R. P.

LODOVICI MOLINAE,

PRIMARII QVONDAM
IN EBORENSI ACADEMIA
SAC. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
E SOCIETATE IESV,

DE IVSTITIA ET IVRE

TOMVS QVINTVS

De Iustitia Commutatiua circa bona honoris & famæ, Itemque circa bona spiritualia.



ANTVERPIÆ,
Sumptibus Martini Nutii
& Ioannis Hetsroy.
Cum gratia & priuilegio,
M. DC. IX.

INDEX
DISPVTATIONVM,
QVÆ HOC QVINTO
TOMO CONTINENTVR.

1. QVid sit honor & fama 2467.
2. Vtrùm homo sit dominus proprii honoris ac famæ.2470.
3. De secreto quantum attinet ad hunc quartum de iustitia tractatũ, & primò de duobus illis modis, in quibus rationem non habet secreti formaliter aut virtute commissi, & tamen obligatio est illud non reuelandi, etiam cum onere restituendi dãna, si ex reuelatione sequantur.2472.
4. De tertio modo seu gradu secreti seruandi, in quo interuenit promissio seu pactum illud seruandi, nec tamen propriè est secretum commissum. 2476.
5. De quarto gradu secreti, quod rationem habet secreti formaliter aut virtute commissi & de secreto confessionis sacramentalis.2477.
6. Seruare secretum, quando ad id tenemur, ad quam pertineat virtutem, & ad quod vitium attineat manifestatio tunc illius. Atque quo decalogi præcepto astringamur secretum tunc seruare.2484.
7. Infamia quid & quotuplex, & de infamia facti. 2490.
8. Infamia iuris in quibus euentibus ipso facto seu ipso iure ante sententiam incurratur.2494.
9. Infamia in quibus euentibus per sententiam incurritur, aut interueniente aliquo ad iudicium attinente.2506.
10. De abolitione infamiæ restitutioneq; infamis in pristinum statum.2522.
11 Infamia à quibus excludat, inhabilemq; infamẽ reddat.2526.
12. De iniuria iniustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contraria: & quæ sub se contineat.2529.
13. Iudicium temerarium, hoc est, sine sufficientibus ad id indiciis conceptum, cuius speciei vitii sit actus. Et quando de re graui nõ sit culpa lethalis, vel quòd non consenserit voluntas, vel quòd cum tanta consenserit deliberatione, quanta ad culpã lethalem requiritur, & multo magis idem de temeria in re graui suspicione.2531.
14. Ad prudentem cautelam quousq; vereri, inquirere intellectu, aut etiam exterius, expendereq; culpas aliorum liceat, absque temerario iudicio, & absq; temeraria suspicione. 2534.
15. Varii gradus distinguuntur, quibus Iudex circa existimationem de delicto ex indiciis & probationibus potest esse affectus ad iudicium publicũ sententiamq; ferendam: & quando in illis erit temeritas, quando non item. Varii etiam alii gradus distinguuntur à Theologis in priuatis hominibus ad iudicium priuatum: & quando in illis erit temeritas, & quando non erit. 2537.
16. Iudicium temerarium an culpa lethalis sit, & num etiam in suspicione & dubio temerarij lethalis culpa aliquando interueniat.2549.
17. Vtrùm dubia interpretari in meliorem partem debeamus. 2557.
18. De vitio in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrario, hoc est de contumelia latissimè sumpta.2559.
19. Vtrùm contumelia latè sumpta ex suo genere sit culpa lethalis, sitq; infima species, & ad quod capitale vitium reducatur.2563.
20. Vtrùm contumeliæ sint patienter ferendæ. 2565.
21. De conuitio, improperio, irrisione, & subsannatione.2567.
22. De maledictione.2570.
23. De vitio in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrario, & de detractione parte illi subiecta.2580.
24. In quibus euentibus absq; vitio, atq; adeò licitè, nocumentum famæ alterius inferatur. 2583.
25. De susurrone & bilingui.2587.
26. Vtrùm vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium ex suo genere sit culpa lethalis, & num sit species infima.2592.
27. Varii detrahendi modi, & num reuelare peccatum graue occultum alicuius, non detegendo personam, quæ illud commisit, culpa sit lethalis. 2597.
28. Vtrùm infamare defunctum culpa sit lethalis, & num peccent historici, qui delicta notasq; defunctorum, in prosapiam illorum redundantia, scribunt.3599.
29. Vtrùm reuelare delictum graue occultum alterius vni tantùm, qui id non detegat, culpa sit lethalis.2600.
30. Vtrùm narrare ex auditu crimen alterius occultum culpa sit lethalis.2605.
31. Publicum crimen aut macula, quæ dicantur ad examen, num absque peccato detegi de illis possint, qui de illis sunt infamati.2608.
32. Infamatus si quis sit de aliqua re in loco aliquo, an ea aut alia, ad infamiam eiusdem attinens, manifestari eam nescientibus licitè possit in eodem loco.2612.
33. Infamatus quando aliquis est de re aliqua in aliquo loco aut tempore, an iniustè & cum restituendi onere id detegatur iis in alio loco aut tẽpore, qui illud ignorabant.2620.
34. Audiens ac tolerans detrahentem an lethaliter peccet, & ad restitutionem teneatur.2626.
35. De famæ detractione famosis libellis.2632.
36. De apertione litterarum alienarum, & de legẽte memoriam peccatorum alicuius, eáve aliis diuulgante.2637.
37. Vtrùm homo contra iustitiam grauiusq; lethaliter peccet se ipsum illicitè infamando, quam si proximum infamaret, ad restitutionemq; suæ famæ teneatur, & simul quousq; in tormentis obligatio sit seruare secreta aliorum, quantaq;

culpa sit, & cum quali restituendi onere, ad tormenta & alia detrimenta vitanda, alii crimen imponere. 2636.
38. De pœna pro iniuria contra honorem ac famam illata. 2662.
39. De pœna ob famosum libellum. 2678.
40. Quæ necessaria sint, vt quis alienam famam restituere teneatur. 2681.
41. Quæ restituere teneatur, qui famam iniustè læsit, & quo pacto fama restituatur ob falsum crimen aut ob falsam notam alteri imposita. 2685.
42. Vtrùm pro infamia, quam passus est is, cui fama restituitur retractatione criminis falsi, aut notæ illi impositæ, à puncto quo ita fuit infamatus, vsq; ad eam restitutionem, sumpta ea infamia præcisè à quocunque alio damno ex illa secuto, restitutio aliqua illi debeatur. 2689.
43. Vtrum indirectè falsum crimen in iudicio alicui imponens, se ipsum in eo iudicio defendendo, teneatur illi ad famæ restitutionem. 2695.
44. De restitutione famæ læsæ iniustè detectione criminis veri, notæve veræ alicuius. 2697.
45. Vtrùm famæ restitutio fieri debeat hæredibus eius, à quo iniustè ablata est, & transeat obligatio eam efficiendi ad hæredes eius, qui iniustè eã abstulit, & quid, quo ad vtrumque, de damnis, quæ ex ea famæ abolitione secuta sunt, & quousque hæc sint restituenda. 2700.
46. De restitutione famæ iniustè facto aliquo læsæ, & vniuersim de restitutione honoris iniustè læsi. 2703.
47. Cum quanto periculo ac detrimento teneatur famam restituere, qui illam iniustè læsit. 2711.
48. Vtrum remissio eius, cui damnum famæ iniustè est illatum, liberet ab onere illud restituendi. 2712.
49. Vtrùm in fama locum habeat compensatio, ita vt deobligetur quis ab onere restituēdi famam, quam iniustè læsit, quia is alius æquale famæ dānum huic iniustè intulit. 2715.
50. De iustitia commutatiua circa bona spiritualia. Et num, qui damni in bonis spiritualibus alteri est causa, ad restitutionem teneatur. 2718.
51. Num retrahens aliquem a religione ad restitutionem teneatur vel ei, quem retraxit, vel religioni. 2724.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE, QVAE HOC QVINTO TOMO CONTINENTVR.

Disp. 1. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Ioan. 10.

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostēdam illi salutare Dei. Psal 49.

Disp. 2. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alterā. Mat. 5.

Attēdite ne iustitiā vestrā faciatis coram hominibus, &c. Te autē faciēte eleemosynā, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito. Matth. 6.

Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriā ab inuicem accipitis? Ioan. 6.

Disp. 15. Date illi infantem viuum. Neq; mihi, neque tibi, sed diuidatur. 3. Reg. 3.

Nónne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Ioan. 8.

Ego dæmonium non habeo. Ibid.

Disp. 16. Nolite ante tempus iudicare. 1. Corinth. 4.

Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Mat. 7. & Luc. 6.

Nolite condemnare, & non condemnabimini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Ibid.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo; frater sine, ejiciā festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Ibid.

Nolite detrahere alterutrum fratres mei, qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrē suum, detrahit legi. Iacob. 4.

In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat. Eccleſi. 10.

Disp. 17. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Rom. 14.

Nolite iudicare, & nō iudicabimini. Mat. 7.

Nolite ad tēpus iudicare, quoad vsq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarū, & manifeſtabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. 1. Corinth. 4.

Disp. 19. Si quis dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5.

Disp. 20. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Ego autem tanquā surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Psal. 37.

Qui cùm malediceretur, non maledicebat; & cùm pateretur, nō cōminabatur. 1. Pet. 2.

Non vos defendentes cariſsimi, ſed date locum iræ. Rom. 12.

Qui te percußerit in vnam maxillam, præbe ei & alteram. Matth. 5.

Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suā, ne efficiaris ei similis. Prouerb. 16.

Respōde stulto, ne sibi sapiēs videatur. Ibid.

Disp. 21. Ascende calue. 4. Reg. 2.

Exigua dabit, & multa improperabit. Eccli. 30.

Prophetiza, quis est qui te percusſit. Luc. 22.

Vah qui destruis templum Dei. Mat. 27.

Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Psal. 2.

Quia vocaui, & renuistis; extēdi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meū, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, &c. Prouerb. 1.

Erat peccatum puerorū grande nimis corā Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini. 1. Reg. 2.

Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Prouerb. 30.

Oculū, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrētibus, & comedāt eū filii aquilæ. Ibid.

Et viri qui tenebāt Iesū, illudebāt ei cædētes. Et velauerunt eum, & percutiebāt faciē eius: & interrogabāt eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percusſit? & alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Luc. 22.

Disp. 22. Neque maledici neque rapaces regnum Dei poſsidebunt. 1. Corinth. 6.

Ipse enim dixit & facta sunt. Psal. 32.

Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cūctis diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. Gen. 3.

Maledictū horreū tuū, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus vētris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & gregum tuorum, &c. Deut. 28.

Montes Gelboë, nec ros nec pluuia veniant super vos, neq; sint agri primitiarū: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esſet vnctus oleo. 2. Reg. 1.

Planxit autē Dauid planctū hunuſcemodi super Saul, & super Ionathā filiū eius, & præcepit, vt docerēt filios Iuda planctū, sicut scriptū est in libro iustorū, & ait, Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelſa tua vulnerati. Inclyti Israēl, &c. Ibid.

A sanguine interfectorū, ab adipe fortiū, sagitta Ionathæ nūquā rediit retrorsum, & gladius Saul nunquam est reuersus inanis. Saul & Ionathas amabiles & decori valde, aquilis velociores, leonibus fortiores. Ibid.

Vidi calūnias, quæ fiunt sub sole, & laudaui magis mortuos quàm viuētes, & feliciorem vtroq; iudicaui, qui nunquā natus est, nec vidit mala, quæ fiunt sub sole. Eccleſiastes 4.

Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Iob 13.

Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Iob 19.

In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Iob. 1.

Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.

Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberauit animam pauperis de manu malorũ. Ierem. 20.

Maledicta dies, in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo dicens, natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœnituit eum. Audiat clamorem manè, & vlulatum in meridiano; qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consumerentur in cõfusione dies mei? Ibid.

Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius.

Cùm maledicit impius diabolo, maledicit ipse animam suam. Ecclesiastici 21.

In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Rom. 12.

Disp. 25. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnẽ viã. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Ecclesiastici 5.

Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio, & pœnitentia super bilinguem. Ibid.

Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam. Prou. 6.

Susurratori autem odium, & inimicitiæ & contumelia. Ibid.

Cùm defecerint ligna, exstinguetur ignis; & susurrone subtracto, iurgia conquiescent. Prou. 26.

Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa peruenient ad intima cordis. Ibid.

Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad interiora vẽtris. Prouerb. 18.

Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & dispersit de gente in gentẽ, ciuitates munitas diuitiarum destruxit, & domos magnatum effodit. Ecclesiastici 28.

Disp. 34. Digni sunt morte, qui consentiũt facientibus. Rom. 1.

Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Prou. 25.

Disp. 37. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri pretiosi & magni. Ecclesiastici 4.

Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Prou. 22.

Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Psal. 51.

Disp. 37. Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terrã reuertentur: sic impii à maledicto in perditionem. Ecclesiastici 41.

Luctus hominum in corpore ipsorum: nomen autem impiorum delebitur. Ibid.

Bona vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æternum. Ibid.

Super argentum & aurum gratia bona. Prou. 22.

Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4.

Disp. 46. Si ergo offers munus tuũ ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

Disp. 51. Sequar te quocunque ieris. Luc. 9.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Ibid.

Sequere me. Domine, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Ibid.

Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade & annuntia regnũ Dei. Ibid.

Sequar te Domine: sed permitte mihi primùm renuntiare his, qui domi sunt. Ibid.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cælorum. ibid.

Principes gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Luc. 22.

Si vis perfectus esse, vade, &c. Matth. 19.

Digitalisiert von Google

INTELLECTVS SINGVLARES

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ PER, NVMERVM PAGINA, PER A COLVMNA PRIOR, PER B. COLVMNA POSTERIOR INDICATVR.

Exodi.

HOmicidium perpetrauit, & ipſe morietur. c 22. pag. 18. B.

Si effringẽs fur domum ſiue ſuffodiens fuerit inuentus & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis, quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit. c. 22. pag. 63, B.

Si quis per induſtriam occiderit. c. 21. pag. 18. B.

Ex. 5. præcept. Decalog.

Non occîdes. pag. 2. A. & 25. B. & 28. A.

Deuter.

Ego occîdam & ego viuere faciam. c. 32. pag. 2. A.

Pſalmi.

Omnia ſubiecîſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas. 8. pag. 2. A.

Sapientiæ.

Tu es Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem. c. 16. pag. 2. A.

Primæ ad Timotheum.

Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. c. 3. pag. 36. B.

Matthæi.

Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit. c. 5. pag. 58. A.

APPRO.

Digitalisiert von Google

APPROBATIO.

Idem de quinto tomo Doctoris Ludouici Molinæ, quod de prioribus iudicium esto. Talem videlicet eum esse, vt nihil in eo, quod ad accuratam materæ propositæ tractationem facere posset, desideretur quarè etiam meritò in lucem edi, & prioribus adiungi poterit.

Laurentius Beyerlinck, Antuerp.

S. Theol. Licent. Eccles. Antuerp. Canonicus, & librorum censor.

DE IVSTITIA COMMVTATIVA CIRCA BONA HONORIS ET FAMÆ, ITEMQVE CIRCA BONA SPIRITVALIA,

TRACTAVS QVARTVS.

TOMVS QVINTVS.

EX dictis in principio tractatus præcedentis liquet, qua ratione tractatus hic de iustitia commutatiua circa bona honoris & famę quartum obtineat locum. Tractatui verò huic adiecimus Disputationem de iustitia commutatiua circa bona spiritualia: ne ea de re peculiarem breuissimum tractatum cõficeremus. Placuit autem ea de re potiùs in hoc quarto tractatu disputare, quàm in aliis. Tum quoniam hic breuior præcedentibus erat futurus. Tum vel maximè, quoniam honor & fama plus ad spiritualia bona accedunt, quàm bona reliqua, circa quæ iustitia commutatiua versatur, de quibus duobus tractatibus præcedentibus est habitus sermo.

Quid sit honor & fama. Disp. 1.

SVMMARIVM.

1. *QVid sit honor, & quomodo differat à reuerentia, quæ alteri exhibetur.*
2. *Honor exhibetur tum verbis tum scriptis. Quid sit sacrificium laudis. Quomodo honor verbis & quomodo factis exhibeatur.*
3. *Honor exhibetur tum viuis, tum defunctis; præsentibus & absentibus. Exhibetur non solùm ratione virtutis, sed etiam ratione alterius boni.*
4. *Fama est bona de aliquo existimatio quoad aliquod illius bonum.*
5. *Qui aliquem infamauerit circa aliqua bona, tam generis quam alia, peccat, & ad restitutionem tenetur.*

1 VT ab explanatione obiectorum, de quibus præcipuè in hoc quarto tractatu futurus est sermo, initium sumamus. Honor est exhibitio alicui rei alicuius velut in testimonium ac recognitionem boni seu excellentiæ illius. Non dixi, est reuerentia quæ alicui defertur, vt multi honorem definiunt. Quoniam superiores reuerentiam non deferunt suis inferioribus, & maximè Deus suis creaturis: & tamen superiores honorare dicuntur suos inferiores, quando aliquid illis exhibent veluti in testimonium & recognitionem boni, quod in eis est, rerúmve ab illis bene gestarum: Deúsque honorare dicitur suas creaturas libero arbitrio præditas, quando honore sunt dignæ, iuxta illud Ioan. 10: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Cùm enim reuerentia reputatio sit cum submissione eius, qui reueretur, comparatione eius, quod reueretur, quasi maius reputans, quod reueretur, illíque quasi se submittẽs, sanè esse non potest superiorem, qua tales sunt, comparatione sibi inferiorum; sed potiùs inferiorum comparatione superiorum, rerúmve ad sublimiores attinentium, quatenus ad illos attinent, & in illis reuerentia sublimioribus defertur. Quòd si signum aliquod exterius accedat, quo exteriùs etiam reuerentia exhibeatur, illa dicitur reuerentia exterior ad differentiam interioris: soletque exterior reuerentia esse signũ & effectus reuerentiæ interioris. Ex definitione honoris à nobis tradita facilè constat, reuerentiam omnem, etiam internam, (eorum præsertim comparatione quibus est cognita) esse honorem; eo quòd sit exhibitio rei alicuius velut in testimonium ac recognitionem excellentiæ eius, cui defertur: non tamen honorem omnem esse reuerentiam, sed honorem latiùs multo patêre, quàm reuerentiam: quippe cùm honor, qui à Deo, & à cæteris superioribus, quin & ab aliis, sine ea reputatione cum submissione illi, cui defertur, reuerentiæ rationem non habeat, sed rationem habeat honoris à reuerentia distincti.

Honor verò interdum verbis (sub quibus 2 scripta etiam comprehende) & interdum factis exhibetur. Quando enim aliquis boni alicuius, aut excellentiæ, quæ in eo sit, in præsentia laudatur, aut scriptis, laúsque illa ita ei defertur, honor profectò est, qui illi exhibetur. Vnde laudis sacrificium, quod Deo decãtatur, honor est, qui Deo exhibetur, iuxta illud Psal. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Quo fit, vt laus sæpe honor sit, quãdo scilicet honorata exhibetur velut recognitio boni, seu excellentiæ illius. Quando verò laudes solùm ordinantur, vt notitia boni aut excellentiæ illius ad aliorum deueniat mentes, tunc laudes famę aut etiam glorię rationem sortiuntur. Est quippe fama notitia boni alicuius. Gloria verò supra famam addit, quod ea notitia sit clara (hoc est, multorum, reíque præclaræ) cum laude. Quo fit, vt si quis in præsentia laudetur, eas laudes illi exhibendo veluti in recognitionem

nem ac testimonium boni illius, quasi illæ ea ratione sint debitę, indeq; eueniat, vt notitia eius boni in alios diffundatur, qui eas audiunt, & qui in alios notitiam illam vlteriùs diffundunt, eiusmodi laudes simul habeant rationem honoris, atque in aliorum notitiam diffusæ habeant rationem famæ & etiam gloriæ. Factis verò honor exhibetur, quando alicui statua erigitur, caput aperitur, genu flectitur, præbetur sedile, variisq; aliis modis, quibus velut in recognitione boni alicuius, quod in eo sit, aliquid eiusmodi fit. Et quoniam magistratus, gradus, ac dignitates cõdignis solent conferri, eorumq; collatione velut ostentatio quædam fieri solet boni ac excellentiæ, quæ in eis est, honores appellari consueuerunt, eorumque collatio exhibitio est honoris, si tanquam eis dignis conferantur.

3 Exhibetur autem honor non solùm viuis, sed etiam defunctis. Vt quãdo eorũ corpora honorificè sepeliuntur, funebres orationes in eorum laudem habentur, monumentũ illis erigitur, & aliis modis. Exhibetur etiam honor non solùm præsentibus, sed etiam absentibus. Vt quãdo ob egregia facta alicuius absentis, hoc in loco illi erigitur statua in illius honorẽ, aut facta præclara illius prędicare publicè decernuntur, aut quãdo in defuncti honorẽ aliis in locis funebris põpa fit, laudesq; illius prædicãtur. Exhibetur item honor alicui non solùm in sua propria persona, sed etiam in rebus ipsi coniunctis, ad ipsúmve attinentibus. Hac ratione honor, qui statua aut imagine alicuius exhibetur, in illius cedit honorem; honor itẽq;, qui Sanctorũ reliquiis exhibetur, Sanctis, quorũ reliquiæ illæ sunt, defertur. Et honor, qui fit pro Rege, aut aliis Regis ministris, qua tales sunt, in honorẽ Regis cedit: sicut & contumelia illis facta in iniuriã ac cõtumeliã cedit Regis. Et honor, qui fit vxori aut filio, quatenus vxor aut filius alicuius est, cedit in mariti aut patris honorẽ: sicut & cõtumelia illis facta cederet in iniuriã & cõtumeliã mariti ac patris. Exhibetur verò honor non solùm ratione boni virtutis, sed etiã cuiusuis alterius boni, vt nobilitatis ac generis, roboris, pulchritudinis, diuitiarum, scientiæ, dexteritatis in bello, aut in alia arte, ratione dignitatis, aut officii, & aliorum donorũ, tam naturalium, quàm supernaturalium, & tam acquisitorum, quàm à natura inditorum: tametsi præcipuus sit, qui ratione veræ virtutis exhibetur. Hæc de honore.

4 Quod verò ad famã attinet, licèt variis etiam aliis modis vsurpetur, prout ad aliud aut ad aliud institutũ de ea est sermo, quod ad præsens tamen institutũ attinet, nõ aliud est, quàm bona de aliquo existimatio quo ad aliquod illius bonũ. Quo fit, vt quamuis aliquis infamia laboret quo ad aliqua alia bona, vt quo ad castitatẽ aut insolentiam, poterit tamẽ habere bonã famam, quòd fur nõ sit; & quãuis infamia laboret quo ad furta, poterit tamen habere bonã famã quoad fidem catholicam, hoc est, quòd hæreticus nõ sit, nec de hæresi sit suspectus. Item licèt aliquis bonam famam circa aliquid, vt circa castitatem, nõ habeat coram aliquibus, qui ea de re vitia illius norunt, poterit tamen habere ea de re bonã famã quo ad alios, qui ea illius vitia ignorãt. Atque de fama hoc modo sumpta nobis hoc loco est sermo.

5 Porrò fama, vt de ea modò loquimur, esse potest de quocunq; bono, ratione cuius suprà diximus posse exhiberi honorẽ. Quo fit vt, qui iniustè infamauerit aliquẽ aut aliquã, circa pulchritudinem, vires, ac magnanimitatem in præliando, aut quo ad alia bona, tam generis, quàm alia, siue illa acquisita sint, siue natura indita, contra iustitiam peccet, & aliquando lethaliter, atque cum onere restituendi, quantum fuerit infamiæ damnum ea via iniustè datum, vt in sequentibus dicetur.

Vtrùm homo sit dominus proprii honoris ac famæ. Disp. 2.

SVMMARIVM.

1. *BOna honoris media sunt inter bona corporis & bona externa.*
2. *Qui se ipsum infamat vel interficit, peccat contra bonum reip.*
3. *Homo dominus est suæ famæ.*
4. *Honor & fama, bona sunt extrinseca, non secùs ac diuitiæ: & ideo felicitas non est in honore, quoniã illa intrinseca est.*
5. *Homo non habet dominium vitæ, sicut famæ.*
6. *Si homo dominus non esset famæ propriæ, non liceret ei se ipsum infamare: quod tamen ei est licitum, vt quando alterius famam læsam cum sui ignominia restituit.*
7. *Licitum est se ipsum pro meliùs comparanda virtute vitaq; æterna adipiscenda infamare, & propria scelera detegere, exemplo multorum Sanctorum. Quin Christus in Euangelio apertè docet, famam esse fugiendam & vanam gloriam.*

BOna honoris & famæ medium locũ quo ad nobilitatem ac præstãtiam tenent inter bona corporis & bona externa. Dubium verò est, cum quibusnam computari quo ad dominium debeant, num cum bonis corporis, hoc est, cum vita & membris, de quibus tractatu præcedente Disp. 1. ostendimus, nos non esse illorum dominos, sed Deum: an verò cum bonis externis, diuitiisve, de quibus tractatu 2 est comprobatum, apud nos esse illorum dominium. 1

Caiet. 2.2.q.73.art.2. & in *summa verb.* detractio. quamuis non dicat, nos nõ esse dominos nostræ famæ, quadam tamen ex parte id videtur innuere, dum affirmat, se ipsum infamantem peccare contra iustitiam comparatione ecclesiæ, ac multitudinis, seu reipublicæ, cuius est pars, teneriq; illi ad restitutionem eius famæ: quemadmodum *diuus Th. 2.2.q.64.art.5.* ait, eum, qui se ipsum interficit, iniuriam reipublicæ facere: quoniam id, quod ipse est, eius est communitatis, cuius ipse est pars. Ad Caietani sententiam videtur accedere *Ioan. Maior. in 4. dist. 15. q. 16.* 2

Quicquid autẽ hi duo doctores hac de re senserint, communis tamen sententia eorũ doctorum, qui ea de re disputant, affirmat, hominem dominum esse sui honoris ac famæ, quæ omnino est amplectenda. Eam inter alios affirmant *Sotus de ratione tegendi memb. 1. q. 3. & lib. 4. de iust. q. 2. art. 3. conclus. 4. & q. 6. art. 3. ad. 4. dub. penult. & vlt. & lib. 5. q. 10. art. 2. Adria. de rest. q. vlt.* inter eas quas de rest. fa. disputat, & *quod l. 11. q. 1. lit. M. Ledesm. 2. 4. q. 18. art. 2. Nauar. in Manu. c. 18. n. 46. & c.* inter verba in commentario Hispano à n. 563. Eandem affirmare videtur *diuus Th. 2.* 3

2.q.64.art.5.ad.3. vbi ait, hominem constitutum esse dominum sui per liberum arbitrium, & ideo licitè de se ipso disponere quo ad ea, quæ pertinent ad hanc vitã, excepto trãsitu de hac vita ad aliam. Quibus verbis solùm dominiũ corporis ac vitæ censet nõ esse illi collatũ, atq; adeò neq; membrorũ, ex quibus corpus & vita constãt. Et *q.73.ar.4.ad.1.* ait, in arbitrio hominis positũ esse pati detrimentũ suę famę, nisi vergat in periculũ aliorum: eaq; de causa posse cedere iuri suo, patienter sustinẽdo detractiones aliorũ, nõ defendendo propriã famam, estò defendere eã possit. Teneri tamen defendere famã proximi à detractionibus, si commodè possit: sicut tenetur subleuare asinũ proximi iacẽtẽ sub onere, aut aliud incommodũ temporale eius vitare: quia nõ est in arbitrio ipsius positum, quòd patiatur detrimentum famæ alterius, sicut suæ. Luce ergo clariùs sentit diuus Th. hominem perinde esse dominum suæ famæ atque suarum diuitiarum.

4 Rationibus verò hæc nostra sententia probatur. Primò, quoniam honor & fama sunt quædã bona nostra extrinseca, nõ secùs atq; diuitiæ: est enim fama opinio aliorum, quę de nobis habetur: & honor est quid exterius, quod nobis ab aliis exhibetur, vt disputatione præcedẽte est explanatũ: qua ratione *Arist.1.Eth.c.5.* probat felicitatẽ non consistere in honore & fama: quoniã hæc sunt extrinseca quædã bona, quæ facilè sine nostra culpa possunt amitti: felicitas verò esse debet bonũ propriũ nobis intrinsecũ, quod facilè, nec sine nostra culpa, nobisve nõ volẽtibus, possit amitti: atq; non solùm honor & fama sunt quædã bona nostra extrinseca perinde atq; diuitiæ, sed etiã insuper habent conducens, vt eorũ dominiũ potiùs sit nostrũ, quàm diuitiarũ, quòd diuitiæ magna ex parte à Deo procreantur sine nobis, in primaq; rerũ constitutione collatæ à Deo fuerunt toti generi humano, posteaq; homines eas inter se diuiserunt, vt tractatu 2 explanatum cõprobatumq; fuit: at verò præcipua fama & honor, vt sunt, quæ ob virtutẽ & ob alia strenuè à nobis gesta nobis competunt, nos ipsi nostra industria comparauimus nobis, illis effecti digni: ergo quemadmodum diuitiarum, sic longè maiori cum ratione domini sumus honoris nostri ac famæ.

5 Secundò, si non militarent rationes, quibus tractatu prædente Disp. 1 ostendimus, dominiũ vitæ nostræ non esse apud nos, sed apud Deum, sanè diceremus, Deum contulisse nobis dominium vitæ & membrorũ, non secùs atque diuitiarũ: sed nulla earum rationũ militat in honore & fama, vt liquet illas intuenti ac percurrenti; quin potiùs honorẽ & famã nostra industria per liberũ nostrum arbitrium, diuina adiutũ gratia, nobis comparamus, vt proximè explicatum fuit: ergo perinde sumus domini honoris nostri & famæ, atque aliarum rerum externarum, quin & longè inferiori quadam ratione.

6 Tertiò, si homo non esset dominus suæ famæ & honoris, sicut dominus non est propriæ vitæ & membrorũ, vtiq; sicut non potest auferre à se vitam, etiam pro salute innocentis, quem morti iniustè obtulit, vt ex dictis tractatu præcedente *Disp.1,9, & 10* constat, sic nec liceret sibi se ipsum infamare: sed in multis euentibus non solùm id illi est licitum, verùm etiam ad id tenetur sub reatu lethalis culpæ, vt quando falsum testimonium de aliquo *dixit*, tenetur cum æquali aut paulo maiori sua iactura se ipsum retractare, cõfiteriq; se fuisse mentitum, atque iuramento, si opus sit, id etiam confirmare, vt patebit infrà dum de restitutione famæ sermo erit: ergo homo dominus est suæ famæ & honoris.

Quartò, si homo non esset dominus suæ famæ 7
& honoris, sicut dominus non est propriæ suæ vitæ, sequeretur, sicut non potest vitam sibi adimere, etiam pro adipiscenda sempiterna vita, vt Disp. 9 citata ostensum est, ita nec pro meliùs comparanda virtute, tutiusq; ac meliùs comparanda vita æterna, posse famam & honorem abjicere aut minuere, se ipsum infamando, suoque scelera detegendo, etiã quando id facere posset sine aliorum scandalo ac iactura: quod tamen nullus sanæ mentis concedet, contrariumq; docent exempla Sanctorum: Augustinus enim in suis cõfessionibus aliqua sua crimina scripta reliquit, & Anselmus suam virginitatem amissam deplorat, & de Ambrosio fertur, feminas in cubiculum adduxisse, ne in Antistitem eligeretur. Item Sancti atq; Euangelium docent, posthabere honores; *Si quis*, ait Christus Matth. *5, te percußerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alterã*, famamq; & honorem apud homines nõ quærere, etiam ex operibus virtutũ, vtpote quæ non leue impedimentum sunt ad virtutem sempiternamq; felicitatem obtinendam; *Attendite*, ait Christus Matth. *6, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondita.* Et Ioan. *6* ait: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*, satisque Christus exemplo docuit honores contemnere ac fugere: ergo homo dominus est sui honoris ac famæ.

Quintò, idem iudicium in re proposita est de honore & fama: nullus autem vnquam affirmauit, hominem dominum non esse honoris, nec posse illum abjicere absque cuiusque iniuria: ergo idem est censendum de fama.

Fundamentum, cui Caietanus nititur, argumẽtaque alia, quæ aduersùs hanc nostram communemque sententiam adduci poterant, commodiùs examinabuntur inferiùs, dum sermo nobis fuerit, num homo lethaliter peccet se ipsum infamando, & num ad restitutionem famæ, quam se ipsum infamando amittit, alicui teneatur.

De secretò quantum attinet ad hunc quartum de iustitia tractatum. Et primò de duobus illius modis, in quibus rationem non habet secreti formaliter aut virtute commißi; & tamen obligatio est illud non reuelandi, etiam cum onere restituendi damna, si ex reuelatione sequantur.

Disp. 3.

SVMMARIVM.

1. *VArii modi secretorum, quod attinet ad obligationem ea non manifestandi. Aliquando enim oritur obligationem manifestandi ex sola natura rei.*
2. *Qui prodit secretum, cum proximi famæ læsione, peccat cõtra iustitiã, licèt nulla obligatio interuenerit de illo nõ prodẽdo, teneturq; ad restitutionẽ.*
3. *Qui reuelat occultũ alicuius thesaurum, & si inde furtum*

furtum sequitur, peccat reuelans, cogiturq; damnum reparare.

4. *Qui prodit consilia exercitus parti contrariæ, peccat non solùm contra iustitiam, sed etiam ad restitutionem obligatur.*

5. *Non solùm in reuelatione secreti peccatur contra iustitiam, sed etiam in manifestatione eius quod est publicum, si nempe illa manifestatio causa aut concausa sit damni iniusti in bonis alterius.*

6. *Oritur aliquando obligatio seruandi secretum ex eo, quòd qui id scit, iniustè venit in cognitionem eius, atq; ideo peculiariter adhuc obligatur illud non manifestare. Qui iniquè litteras alicuius aperuit, & ea via secretum eius didicit, arctiùs tenetur illud seruare, quàm qui illud sine præuia quoad id iniustitia cognouit.*

ANntequam de infamia dicamus, & de iniuriis ac vitiis iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contrariis, atque de restitutione honoris & famę, quando iniustè sunt lęsa, dicendum est de variis modis secreti, quantū ad hunc quartum de iustitia tractatū spectat, vt meliùs intelligatur, quousq; ex manifestatione occulti iustitia cōmutatiua circa bona honoris & famę violetur, obligatioq; restituendi cōsurgat, aut nō cōsurgat. Id verò ad alia etiā inseruiet, maximè ad ea quæ tractatu 5 sequenti dicenda sunt.

1 Secretorū, seu occultorū aliis, varii sunt gradus seu modi, quod attinet ad obligationem ea non manifestandi aliis. Aliquando enim, in primóve gradu, oritur obligatio seruandi secretum, non manifestandive aliis, quod illis est occultum, ex sola ipsa natura rei, non interueniente expresso nec tacito pacto, vel promissione, illud non manifestandi aliis; quatenus videlicet vnusquisque ex natura ipsa rei tenetur, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, nihil facere, quo proximus in bonis suis lædatur, siue ea bona honoris sint & famæ, siue corporis, siue externa & diuitiarū.

2 Hinc primò efficitur, vt qui secretū aliquod seu occultū aliis reuelat, ex cuius manifestatione fama aut honor proximi lædituꝛ, contra iustitiā peccet illud manifestādo, estò nullū pactum aut promissio interuenerit de illo nō manifestādo, teneaturq; ad restitutionē damni in honore aut fama inde alteri iniustè sequuti, non minùs quā fur, aut destructor iniustè rerum externarū proximi, tenetur illi ad earū restitutionē. Hac ratione, qui occulta peccata proximi nouit, ad quorum secretum seruandū, illáve nō manifestandō aliis, nullo pacto aut promissione se astrinxerat, si illa sine sufficiente ad id causa reuelet, contra iustitiam peccat, ad restitutionemque læsionis famæ illi tenetur: quoniam iniustè, ea detractione illorum peccatorum, illam læsit.

3 Inde etiam secundò efficitur, vt qui casu nouit thesaurū alicuius latēre in aliquo loco, esto nullo se astrinxerit pacto aut promissione id aliis non reuelare, si tamē id manifestet, atq; inde sequatur furtum thesauri, non solùm contra iustitiam peccet, sed etiam teneatur restituere rē eo modo furto oblatā, tanquā concausa iniusta eius dāni. Agere verò de huiusmodi secreto, de iniustáve manifestatione huius rei aliis occultæ, nō ad hūc spectat tractatū, sed ad secundū, in quo de iustitia & dāno circa res externas dato sermo est habitus. Satisq; est ibi vniuersim dixisse, eū, qui concausa iniusta illius est, & peccare lethaliter, A si damnum tantum sit, quod ad culpam sufficiat lethalem, & teneri illud restituere in defectum illius, qui causa principalis exequutrixve illius fuit, vt de hoc euentu particulari, & de aliis similibus, dictum ibi sufficienter censeatur.

Inde vlteriùs tertiò efficitur, vt qui nouit secre- 4
ta alicuius exercitus aut principis, à cuius parte bellū est iustū, si ea contrariis reuelet, nō solùm peccet cōtra iustitiam, sed etiā restituere, in defectum tamen causæ principalis, teneatur, si quę damna inde fuerint sequuta. Et quidē si damna, quæ sequentur, aut quæ inde nata sint sequi, fuerint vitæ, aut læsionis alterius in corpore, agere de manifestatione eius secreti, & de obligatione B illud seruandi, ad præcedentē attinet tractatū, in quo sermo est de iustitia & iniustitia circa bona corporis. Si verò damna sint bonorū externorū, agere de ea manifestatione, & de obligatione illud seruādi, quatenus inde nata sunt sequi dāna, pertinet ad secundum tractatū. Quòd si damna simul sint corporis & bonorū externorum, tunc quatenus inde nata sunt sequi damna corporis, agere de reuelatione eius secreti, & de obligatione illud seruandi, ad præcedentē spectat tractatum: quatenus verò nata inde sunt sequi dāna bonorum externorū, agere ea de re attinet ad secundum tractatum: quippe cùm in reuelatione talis secreti peccatum interueniat, tum contra C iustitiam commutatiuam circa bona corporis, tum etiam contra iustitiam commutatiuā circa bona externa: sicut qui pugnando iniustè simul interficit, aut percutit, & deprædatur bona externa, eáve destruit, contra vtrāq; iustitiā peccat.

Illud obserua, non solùm in reuelatione eius, 5
quod est secretū, posse interuenire iniustitiā cū restituendi onere, sed etiam in manifestatione eius, quod est publicum, si ea manifestatio causa aut concausa sit damni iniusti in bonis corporis aut externis alicuius alterius. Vt, verbi gratia, si vnus quærat aliquem, quē non cognoscit, ad iniustè illū interficiendū, sanè estò ille, qui ita quęritur, sit in publico foro, ibiq; à reliquis omni- D bus agnoscatur, qui illum manifestaret quærēti eum ad illum interficiendum, contra iustitiam peccaret tanquam cōcausa eius damni, ad restitutionemq; teneretur in defectū eius, qui tanquam principalis causa id damnū dedisset. Similiter si vnus interrogaret, quæna esset domus cuiusdā alterius, vt illam iniustè exureret, vtiq; qui illam ei ostenderet, contra iustitiam peccaret, similiterq; restituere teneretur damnum ab illo alio in ea datum, estò in eo loco publicū ac notissimum cæteris omnibus esset, cuius esset ea domus. Quia verò quādo peccatum alicuius est publicū, ille amissam iam habet in conuictu humano suam famam ea in re, sanè estò aliquis id E peccatum illius cuidam manifestet, qui illud ignorabat, non peccat contra iustitiam, quin neque contra caritatem, neque proinde ad vllam restitutionem ei tenetur. Cæterùm de hac re copiosior in sequentibus erit sermo.

Aliquando autē, atq; in secundo gradu, oritur 6
obligatio seruandi secretū, non manifestandive aliis, quod ipsis est occultū, non solùm ex natura rei, modo in præcedēte gradu explicato, & simul etiam ex eo, quòd qui id scit, iniustè venit in cognitionē illius, atq; ea de causa peculiarē super se induxit obligationē id aliis non manifestādi, absq; vllo pacto aut promissione, qua se ad id astrinxerit.

astrinxerit. Quemadmodum enim, qui casu rem aliena inuenit, vna tantùm ratione tenetur ex iustitia illã restituere, nempe ratione rei acceptę, quã apud se habet: qui verò furto aut aliter per iniustitiã illã accepit, tenetur duplici ratione eam restituere, nempe ratione rei acceptę, & ratione iniustè acceptionis: ita qui per iniuriã venit in notitiã peccati alicuius, cuius reuelatio nociua est bono proximi, tenetur ex iustitia id nõ manifestare, tũ quia id postulat natura ipsa rei, iuxta ea quę circa pręcedentẽ primũ gradũ obligationis non manifestandi aliis, quod ipsis est occultũ, dicta sunt, in quo hic secundus gradus cũ primo conuenit: tum insuper ex eo, quòd per iniustitiã venit in cognitionẽ illius. Hinc fit, vt qui iniquè literas alterius aperuit, eaq; via in notitiam alicuius secreti deuenit, arctiori vinculo teneatur illud seruare, quàm si sine prævia quo ad id iniustitia in notitiam illius deuenisset. Non tamen peccat duplici peccato reuelando id secretum: sicut neq; is, qui simul tenetur restituere ex parte rei acceptæ, & ex parte iniustæ acceptionis, peccat duplici peccato non restituendo, sed vno tantùm. Qui tamen literas iniquè aperuit, & reuelauit secretum in eis contentum, quod tenebatur non reuelare, vno peccato peccauit literas illas iniustè aperiendo, & altero reuelando postea secretum, in cuius notitiam ea via iniusta deuenerat.

De tertio modo seu gradu secreti seruandi, in quo interuenit promissio seu pactum illud seruandi, nec tamen propriè est secretum commissum. Disp. 4.

SVMMARIVM.

1. *OBligatio seruandi secretum ex pacto, quo quis post agnitũ quid promittit se nõ reuelaturũ.*
2. *Qui pacto promittit se non manifestaturum rem aliquam, vi talis promissionis inducit super se obligationẽ id non reuelandi, nisi cum peccato. Nisi quando pactum iam initum est, postquam illa res a multis cognita est.*
3. *Licet iudici interroganti detegere aliquam rem, licèt delinquenti promiseris pacto non te reuelaturum, si videlicet ante semiplena de delinquente infamia fuerit. Si ante crimen agnitum præcederet promissio de non manifestando, quando per se ipsum in futurum videret illud patrari, tunc teneretur iudici manifestare, si iuridicè ab eo interrogaretur.*
4. *Quamuis pactum obligationem inducat, licet tamen virtutes alicuius reuelare: eo quòd nullum afferant præiudicium; quin potius reuelatio illa cedit in honorem Dei, & proximi ædificationem.*

1 ALiquando, in tertioq; gradu, obligatio seruandi secretũ prouenit ex promissione aut pacto, quo quis post agnitũ aliquid, promittit, se id non reuelaturũ. Vt vidi, aut alia ratione cognoui, aliquem interfeciſſe hominem, aut commisisse aliud flagitium, vel eum feciſſe aliud, aut euenisse aliquid, quod nõ vult sciri: si post agnitam eiusmodi rem illi promittam me illam non reuelaturum, aut pretio, vel in compensationẽ pro aliquo alio, pactum cum eo ineam, me non reuelaturum rem illam, sæpe ea via super me induco obligationem id nõ reuelandi vi talis promissionis aut pacti, siue secluſa ea promissione aut pacto fas mihi esset illud reuelare, siue non, iuxta ea quæ Disputatione præcedente circa duos priores gradus obligationis non manifestandi aliis, quod eis erat occcultum, dicta sunt.

Dixi, sæpe ea via induci obligationem id non reuelãdi vi talis promissionis aut pacti: quoniã est magnopere in hac materia aduertendũ, quòd quando promissio aut pactum non manifestandi aliquid superuenit post id iam agnitum, estò ea promissio aut pactum iuramento confirmentur, non efficiunt, vt, qui alioquin teneretur id reuelare, post eam promissionẽ aut pactũ iuramento confirmata, non possit aut non teneatur illud manifestare. Imò verò non secùs tenetur illud manifestare, quàm si ea promissio aut pactum non aduenisset, & quàm si iuramẽto nõ fuisset confirmata. Ea quippe promissio, pactũ, & iuramentum, solùm habent vim efficiendi, tum vt qui alioquin tenebatur id non manifestare, arctiùs vi eorum ad id teneatur: tum etiam vt qui sine peccato poterat id manifestare, & nõ manifestare, vi eorum teneatur illud facere.

Exemplis hæc omnia elucidemus. Nouit aliquis crimen alicuius, quod duo aut tres testes duntaxat sciunt, iudexq;, quòd de delinquẽte sit iam infamia, aut semiplena probatio, eum, qui id nouit aut vidit, iuridicè tãquam testem interrogat, sanè tenetur tunc detegere id crimẽ eius delinquentis, nihil impediente, quòd delinquenti ipsi, aut cuiusuis alteri, promiserit, se id nunquã manifestaturum, & quod ad id non manifestandum astrinxerit se illi iuramento. Ratio autem est, quoniam ille in eo euentu tenetur sub reatu culpæ id manifestare, secluſa ea promissione & iuramento superuenientibus notitię eius culpę: promissio autẽ & iuramentũ, cùm non sint vinculum iniquitatis, id est, cùm non obligent ad illicitum, obligare non possunt ad contrariũ aut contradictorium eius, ad quod secluſa ea promissione sub reatu culpæ tenetur, hoc est, ad illud tunc iudici, interroganti iuridicè, nõ manifestandũ. Eadẽ ratione, si ante crimẽ agnitũ præcederet promissio, aut etiam iuramentũ, de illo non manifestando, quando per se ipsum in futurum videret illud patrari, aut per se ipsum illud agnosceret, sanè teneretur tunc illud iudici manifestare, si iuridicè modo explicato de illo interrogaretur. Quoniam promissio ac iuramentum in eo euentu essent de re illicita, hoc est, de eo crimine nõ manifestando, quando in futurũ obligatio esset illud manifestãdi. Hæc sint in exemplũ, quando promissio, pactũ, & iuramentum de seruando secreto, de aliquáve re non manifestanda, nullam obligationem inducunt.

Exemplum autẽ, quando obligationẽ omnino inducant, esset, quando aliquis sciret virtutem aliquã alterius, quam integrum ei esset manifestare, & non manifestare aliis: virtutes quippe regulariter licitè manifestantur, etiam si occultę sint, & etiam si inuitus is sit, cuius sunt: eo quòd nullũ afferat præiudicium, sicut præiudiciũ famę affert manifestare vitia: quin potiùs manifestatio virtutum alienarum cedat in honorẽ Dei, & in proximorum ædificationem. Item exemplum esset, quando quis sciret vitium, quod similiter integrũ ei esset illud manifestare, quia esset publicum: aut quia ipse licitè de eo posset accusare; eo quòd posset illud probare, & in præiudiciũ suum esset commissum, aut alia ratione, & cuius licitè posset prærermittere accusationem ac manifestationem. In his enim euentibus, & in similibus

libus aliis, si nuda promissione, pacto, aut etiam A iuramento, se is, qui illa sciret, astrinxisset ea nō manifestare, induceret super se obligationem ea non manifestandi: cū tamen seclusis his superadditis vinculis, nullam ad ea non manifestandum haberet obligationem. Esset autem ex eis vinculis obligatio ea non manifestandi sub culpa lethali, quotiescunq; interuenisset iuramentum. Quando verò iuramentum non interuenisset, obligatio esset sub culpa lethali aut veniali, attenta qualitate rei, ad quam non manifestādam quis se astrinxit, & attentis cæteris aliis circumstantiis concurrentibus.

Quando autem promissio, pactum, aut iuramentum, essent de non manifestanda re occulta, B quam, his vinculis seclusis, teneretur, qui illam sciret, eam non manifestare, iuxta ea quæ in duobus prioribus gradibus secreti, reiue aliis occultæ, Disputatione præcedēte dicta sunt, tunc vincula hæc solùm inducerent obligationē arctiorem ea non manifestandi, quàm antea esset. Vtrùm autem ea obligatio distincta tunc sit specie ab illa alia, quæ erat seclusis his vinculis, & num ex illis resultet species alia peccati distincta, Disp. 6 explanabitur.

De quarto gradu secreti, quod rationem habet secreti formaliter aut virtute commissi. Et de secreto confessionis sacramentalis. Disp. 5.

C

SVMMARIVM.

1. *QVartus gradus secreti est, cùm consurgit obligatio seruandi id ex expresso aut tacito pacto, quo secretum ea lege alicui reuelatur, vt illud cuiquam alteri non manifestetur, sed omnino taceat.*
2. *Censetur sub tacito pacto secretū non manifestandi aliquid alicui reuelari aut dici, quando ei detegitur, qui remedium potest adhibere: vt quando quadam confessario, medico, aduocato, & similibus reuelantur, censentur illi id ex vi muneris sui cum eo onere accipere, ne illud detegāt. Quando autem quid amico declaratur, vel alicui qui remedium adhibere potest, tutum esset, antequam detegeretur, promissionem ab illo exigere cuiquam non reuelandi.* D
3. *Præcedentia non solum locum habent, quando ipse delinquens sub secreto commisso illud alicui manifestaret, sed etiam quando quidam tertius illud idem delictum sub secreto commisso similiter alicui alteri manifestaret, aut quoduis aliud secretum de re ad alterum attinente similiter cuidam alteri, sub pacto non manifestandi, illi detegeret. Etiam habet locum id, quando is cui tale secretum commissum est, id contra fidem tertio cuidam reuelat.* E
4. *Ratio est, quia secretum seruare est ex iure naturali, non solùm quando necessitate seu vtilitate aliqua detectum commissumq; est, sed etiam quando leuitate animi detectum commissumq; est.*
5. *Quando quis via iniusta, vel secreta auscultatione, aut violentia, in notitiam alicuius delicti venit, non minore onere tenetur illud non manifestandi, quàm si per secretum commissum illud agnouisset.*
6. *Non semper est de iure naturali seruare secretum commissum, præsertim in his euentibus, quando scilicet secretum est circa delictum, vnde periculum reip. immineat, aut alicui priuato, quod aliter impediri non potest, quam detectione secreti commissi, & cæteris similibus.*
7. *Manifestari etiam potest, quando is, cuius est secretum, aliter erui a peccato non potest, quam detegendo peccatum secretum illius.*
8. *Quando aliquis præuia sponsione seruandi secretū, aut adhibito iuramēto, admittitur ad intereßendum alicui delicto, aut ad adiuuandum ad illud patrandum, tunc tenetur nō secus detegere, quam si nulla sponsio aut iuramentum præcessisset.*
9. *Obligatio seruandi secretum etiam consurgit ex lege diuina positiua, qua in bonum sacramenti pœnitentiæ salutisq; animarum prohibitum est illud reuelare.*

ALiquando, in quarto quē gradu, consurgit 1 obligatio seruandi secretū ex expresso aut tacito pacto, quo secretum ea lege alicui reuelatur, vt illud non manifestet cuiquam alteri, sed omnino retineat. Atq; eiusmodi secretū proprie appellatur secretum commissum, fidei videlicet illius, cui detegitur: estq; de iure naturali illud seruare, vt *Caiet. 2.2.q.70.ar.1.* & communis doctorum sententia affirmat, exceptis nonnullis euentibus, in quibus natura ipsa rei omnino efflagitat non seruari, vt patebit. Obligatio verò iuris naturalis seruandi hoc secretum vi talis pacti efficit, vt qui ea tantùm via illud nouit, non solùm non teneatur illud detegere, sed etiam vt ita nō possit illud reuelare, vt si id reuelet, contra iustitiam peccet, restituereq; teneatur damna omnia, quæ proximè aut remotè ex ea manifestatione fuerint sequuta.

Exemplum quoddā adhibeamus, quo hæc me- 2 liùs intelligantur: Reuelauit aliquis crimē suum secretò alicui, qui alia via illud non scit, verbi gratia, se interfeciſſe talem hominem, aut flagitium aliud commisisse, idque vel interueniente pacto expresso, ea scilicet lege id ei manifestari, vt nemini id diceret: vel interueniente pacto tacito, ne id cuiquam manifestaret. Tunc autē censetur sub tacito pacto id non manifestandi aliquid alicui reuelari, aut dici, quādo ei detegitur, qui munus habet remedium adhibendi, & tanquam tali ei detegitur gratia consilii, solaminis, aut alterius emolumenti. Quando autē leuitate animi id detegeret, non animo vt audiens teneretur id non detegere, quia gratia consilii, solaminis, iuuaminis, aut alterius emolumenti id diceret, sed iactans de non eo crimine, aut quauis alia ratione parui pendens, quòd sciatur; neq; de secreto curans, tunc neque sub tacito pacto secreti seruandi censeretur id detexisse. Hinc sub tacito pacto secretum seruandi censentur manifestari, quæ sequentibus dicuntur: Quæ confessarius in confessione audit, quæ aduocato tanquam tali à suo clientulo dicuntur, quæ medicis, chirurgis, obstetricibus, & similibus aliis manifestantur, vt iuxta suam artem remedium adhibeant, quæ viris doctis circa causas conscientię, & circa alia, consilii gratia, manifestantur, & circa quæ interrogantur ac consuluntur. Ita *Nauar. in Manu. c.25.n.42.* Hi enim eo ipso, quòd id munus profitentur, censentur ex sua parte cum eo onere & tacito pacto id accipere, ne illud detegant. Quando autē res detegeretur propinquo, amico, viro prudenti, aut alteri, qui consilio, solamine,

lamine, vel quouis alio modo adiuuare posset, tutum esset, vt antequam detegeretur, promissio ab illo exigeretur, seruandi secretum circa rem, quam illi vellet manifestare, vt vi fidei, quam naturali iure seruare tenetur ratione expressæ aut tacitæ præuiæ promissionis, nec teneretur nec licitè ac iustè posset illud manifestare, etiam si à potestate publica interrogaretur, idemq; manifestare pręciperetur, quæ ea de re sciret. Fortasse tamen quando sine aliquo ex explicatis intelligeretur secretò id dici, estò promissio de secreto seruando nō priùs exigeretur, obligatio esset illud non detegendi tanquam virtute dictū sub secreto commissō: qui enim attendit, attendereve debet, aliquid sub secreto ipsi dici, quia id postulat natura rei, & is est animus quasi habitualis dicentis, licèt, qui id detegit, nō aduertat exigere priùs ab illo promissionem, teneri sanè videtur, vel id accipere sub secreto commissō, vel admonere dicentem, ne id sibi dicat, nisi liberum ipsi velit relinquere, vt id detegat. Tametsi non sim certus, in similibus euentibus obligationem esse seruandi secretū, quando potestates publicę iuridicè alioquin interrogant, quasi id ita sciens non teneatur illud detegere, & quasi pactū tacitū eo ipso ex parte sua interuenerit, fidemq; suam tacitè dederit, se id non detecturū. Vt verò ad rem ipsam redeamus, quando quis suū homicidium aut aliud flagitium alicui reuelauit cū pacto prędicto expresso aut tacito, modo explicato, vt id nulli manifestaret, sanè estò delinquens infamia eius delicti laboraret, aut id delictū esset aduersus ipsum semiplenè probatū, iudexq; alioquin iuridicè interrogaret scientē id delictum secretò sibi commissum, num sciret quis illud commiserit, aut num sciret talem, qui verè illud commisit, id cōmisisse, detegere id non posset, quando alia via non sciret eum illud cōmisisse, quàm via secreti sibi cōmissi, quin potiùs si id detegeret peccaret lethaliter contra iustitiam, restituereq; teneretur omnia damna ex ea detractione sequuta: nisi fortè ignorantia inuincibili excusatus fuisset à culpa, & per consequens ab onere restituendi damna inde sequuta: quod euenire aliquando potest. Quando ergo is, qui solùm sub secreto sibi commissō id nouit, à iudice interrogaretur, num id sciret, tunc estò sub iureiurando interrogaretur, respōdere posset ac deberet, se id non scire, intelligendo ita vt posset licitè illud detegere, in quo solo euentu ac sensu deberet iudex intelligere, si iuridicè intenderet interrogare: quid si in alio euentu ac sensu intelligeret, tunc non interrogaret iuridicè, ac proinde opus non esset ad mentem illius respondere, sed satis esset respōdere in illo alio sensu, in quo solo deberet intelligere, si probus esset, iuridicéque interrogare intenderet, vt fusiùs hæc omnia tractatu sequenti exponeretur.

3 Illud hoc loco est obseruandū, quæ dicta sunt, non solùm habere locū, quando is ipse, qui delictum patrarat, illud sub secreto commissō modo explicato alicui manifestaret, sed etiam quando quidam tertius illud idem alterius delictum sub secreto commissō similiter alicui alteri manifestaret, aut quoduis aliud secretū de re ad alterum attinente, similiter cuidā alii sub pacto expresso aut tacito, quòd illud non manifestaret, illi detegeret. Imò verò id locū habet, etiam quando is, cui cōmissum est tale secretū, iniquè, cōtra fidēq; A ab eo datā de eo secreto nō reuelando, atq; adeò contra iustitiam, illud cuidā tertio manifestat. Et quidem quando is, qui iniquè, contra fidemque datā, illud manifestat cuidam tertio, sub secreto etiam commissō illud ei manifestaret, facilè cōstat hunc tertium non minùs teneri id secretum seruare, quā tenebatur is, qui illud ei iniquè manifestauit: quippe cū & ipse sub secreto cōmissō illud acceperit, nec minùs teneatur fidem datam de eo nō reuelando seruare ei, qui iniquè sub ea fide illud ipsi manifestauit, quàm ille teneretur primo, qui sub secreto commissō illud ei antea manifestauerat. Quādo autē ille, qui sub secreto commissō illud acceperat, iniquè, contra fidēq; B datā, illud manifestauit, nō sub secreto cōmissō, neq; astringēdo audientē vt illud nō manifestaret, est dubiū, nū qui ita illud ab eo audiuit, astrictus sit illud nō manifestare, ita vt si sciat eū, qui illud sibi reuelauit, sub secreto cōmissō illud accepisse, neq; ipse alia via illud sciat, quā quatenus iniquè ab illo fuit deriuatū, & à iudice interrogetur (alioquin iuridicè) nū sciat, quis illud crimē cōmiserit, tenearur illud ei non detegere. Atque respondendū arbitror, teneri illud nō detegere. Ratio autē est, quoniā omnis illa cognitio deriuata est à prima manifestatione sub secreto cōmissō, cedereteq; vlterior illa manifestatio, quæ fieret ab eo tertio, in illius iniuriā, qui primò id C sub secreto commissō manifestauerat: etenim id nihil aliud esset, quā extensio & ampliatio iniuriæ ac iniustitiæ ipsi factæ à primo iniquo detectore: nullus autē, etiā pręcipiente iudice, efficere potest id, quod in se alteri iniuriā irrogat, cōtinuatioq; est atq; extēsio iniuriæ illius. Adde in iudicio id testimoniū, cū solùm esset ex auditu, nullā efficere fidē nisi dependenter à confirmatione & testimonio eius, qui id iniquè atq; iniustè detexerat: is autē teneretur & delictum alterius, sub secreto sibi cōmissum, negare in sensu suprà explicato, & excusare aut negare se id dixisse, nisi probari illi posset, similiter intelligendo suam negationem, vt posset id confiteri. Vtrùm autem iudex punire possit, quæ ei iniquè D detegendo secretum commissum manifestata sunt, sequenti tractatu dicetur.

Ratio autē eorū omnium, quæ dicta sunt, hæc 4
est: Quoniā seruare secretū cōmissum ex se est de iure naturali, nō solū quādo necessitate seu vtilitate aliqua detectū cōmissumq; est, vt ad sumēdum consiliū, aut ad leuandā tristitiam, sumendāq; consolationē, vt sæpe euenire solet, sed etiā quando leuitate animi detectū cōmissumq; est: iuri autē naturali cōtrauenire nō potest iudicis præceptum, neq; vllū aduersus illud habet vim. His accedit, in eo quòd non manifesterur, quod præcisè per secretū cōmissum scitur, nullū prę- E iudiciū reipublicę fieri: eo quòd id nō tollat manifestari, quod simul alia via scitur, quatenus scitur alia via, delictaq; perinde relinquātur inquirenda ac punienda à republica, atq; si per secretū cōmissum manifestata nunquā fuissent à delinquente ipso, aut à quocunq; alio: quo fit, vt cùm seruatio secreti commissi de iure naturali in se sit, eiusque detectio in iniuriam eius cedat, qui secretū cōmisit, eiusq; qui inde detrimentū patitur, cōtra iustitiam is peccet, qui illud detegit, ad restitutionēq; damnorū inde secutorū teneatur.

Illud hoc loco admonuerim, cū secreto cōmis- 5
so esse computandū secundū gradū secreti Dis. 3

explicatum,ad effectum,vt obligatio sit illud nō detegendi,etiam ad præceptum iudicis de re illa alioquin iuridicè interrogantis, nempe quando aliquis per iniuriam atq; iniustitiam venit in notitiam delicti,aut alterius secreti alicuius,vt aperiendo literas illius,aut quia dum ille secretò reuelabat aliquid alicui,clā ipse accessit,idq; audiuit, vel quia per vim & metū iniustè illata coëgit aliquē reuelare crimen suum, aut quacunq; alia ratione similiter iniustè secretū agnouit. Ratio autē est,quoniā cùm per iniuriā illud agnouerit, sanè non cū minore onere illud nō manifestādi ex natura ipsa rei censetur illud agnoscere, quā si per secretū commissum illud idem agnouisset: neque enim minus onus inde in se inducit in demnē illū seruare ex ea notitia per iniustitiam ac iniuriam ita comparatā,quàm si sine iniustitia ipsi id fuisset manifestatū, ipso priùs spondente, se id nunquā cuiquam alii manifestaturum:sicut fur non minorē obligationem habet restituendi rem furto oblatam, seruandiq; eum indemnem, à quo illam est furatus, quàm si pacto ad id se astrinxisset:quo fit,vt estō à iudice(iuridicè alioquin) interrogetur circa id, quod ea sola via iniusta nouit, nō plus fas ipsi sit id illi manifestare, quàm si sponsione præuia se id nunquam manifestaturum,cognitionem illius accepisset.

6 Dixi suprà,de iure naturali esse seruandi secretū commissum exceptis nonnullis euentibus, in quibus natura ipsa rei omnino efflagitat nō seruari. Euētus autē hi sunt, quando secretū est circa delictū, vnde periculū reipublicæ imminet, aut alicui priuato,quod aliter impediri non potest,quàm detectione secreti commissi,vt si contaminãda sit respublica,aut aliquis iniustè sit occidendus,vel furtū sit committendū,aut nō velit aliquis id restituere,quod restituere tenetur,neque alia est via similia dāna reipublicæ aut proximi impediendi, quàm detegendo id secretum commissum:tunc enim, si nequitia alicuius, qui nō vult à peccato desistere, ea damna imminēt, detegendū est secretū cōmissum, præcisè quantū sit satis vt impediantur,& non amplius. Dixi,nequitia alicuius, qui non vult à peccato desistere, ea damna imminent : quoniā quāuis ex peccato præterito alicuius illa per accidens immineant, si tamen peccator ille nō tenetur iā tunc illa impedire, detegi licitè nō potest secretū cōmissum vt illa vitentūr. Verbi gratia, Petrus iniustè Ioānem interficit,cuius mors Paulo innocēti imputatur,eaq; de causa vitaPauli periclitatur, nisi detegatur nō fuisse Paulū,sed Petrū, qui Ioannem interfecit. Dico,si Petrus alicui reuelauit secretò, ipsum fuisse,qui Ioannē interficit,non esse detegendū id secretū commissum, nihil impediente, quòd à Paulo innocēte vita eripiatur. Ratio autē est,quoniā Petrus regulariter nō tenetur se ipsū prodere,vt cū tanto suo damno vitā Pauli innocentis cōseruet:eaq; de causa, quia Petrus absq; peccato suo præsente permittit Paulū innocentē mori,detegi licitè non potest secretū,quod ea de re ipse alteri commisit:eo quòd in culpa non sit, non impediendo damnū, quod per accidens ex peccato suo secreto Paulo innocēti imminet. Quòd si Petrus, collocādo se priùs in loco tuto, consulere teneretur vitæ Pauli innocentis, detegendo se fuisse occisorē Ioannis,aut permittēdo,vt is,cui id secretum cōmisit,illud detegeret, quia ea via sine graui suo periculo posset id effi-

A cere,liberareq; Paulū innocentē à morte,quam non cōmeruit;tunc,si id efficere nō vellet, vt tenetur,detegendū esset id secretū, præcisè quantū esset satis,vt consuleretur Paulo innocēti; Petro tamē priùs admonito, vt tēpestiuè se posset collocare in loco tuto. Rario autē est,quoniam iam tunc culpa Petri actuali imminet periculū vitæ Paulo innocēti, quod periculū,suppositā nequitia Petri,à qua desistere non vult, impediri alter nō potest, quā detegēdo secretū ea de re ab ipso cōmissum. Quòd autē in prædictis euētibus detegendū sit secretū,quantū præcisè sit satis,vt dāno cōmuni aut proximi subueniatur, ostēdimus latè cum *dino Th.*& cū aliis in hac 2.2. in materia
B de correctione fraterna,*q.33.art.8.* & cōcinit idē sanctus doctor *eadē.2.2.q.70.art.1.ad.2.* Atq; eius rei hęc est ratio,quoniam talis reuelatio secreti, culpa ac nequitia eius,in cuius damnū aperitur, efficitur necessaria ad propulsandā iniuriā, quam actu infert, cū ab ea possit desistere, atq; ad desistendū teneatur, nec desistere velit:quare cū naturalis ratio doceat, licere, quin & obligationē esse, eripere ac defendere innocentē à damno, quod ei paratur ac infertur, etiam cum iactura nocentis,quando aliter nequitia nocentis eripi ab eo damno nō potest; cōsequens profectò est, vt in euentibus explicatis detegendū sit secretū cōmissum, quantū sit satis, vt damnū publicum
C vel priuatum euitetur ac impediatur : habetque id verum(vt loco citato cum *dino Th.in resp.ad.2.* citata dicebamus) de quocunque secreto,eo excepto quod per confessionem sacramentalem scitur, estō quis iureiurando se astrinxisset illud non detegere : eo quòd in eis euentibus obligatio sit sub reatu culpę reuelare id secretū,quantū sit satis ad impedienda ea dāna; iuramentūq; nō sit vinculū iniquitatis,ad malúmve non obliget.

Eodē modo (vt in materia de correctione fra- 7
terna ostendimus)quando is,cuius est secretū,erui aliter nequitia illius nō potest à peccato,quā detegendo peccatū secretū illius, manifestandū est, quantum satis sit vt eruatur, seruato ordine
D correctionis fraternæ: quoniam præponendum est spirituale bonum illius bono famæ eiusdem: habetq; id similiter verū in omni gradu secreti, (excepto secreto cōfessionis sacramentalis)etiā si iuramento confirmatū fuerit nunquam detegere id secretum: quoniam in eo euentu lege caritatis consurgit obligatio illud manifestandi, quantum satis sit ad eruendum eum proximum à peccato : & iuramentum non est vinculum iniquitatis.

Illud vltimò circa quartum gradum secreti,de 8
quo loquimur,est obseruandū,ad multos quotidianos euentus decidendos. Quādo aliquis,præuia sponsione seruandi secretum,aut simul adhibito iuramento, admittitur ad intellegendū alicui delicto, aut ad adiuuandum ad illud patrandum, non secùs tunc teneri detegere id delictū, quàm si talis sponsio aut iuramentum non præcessissent. Verbi gratia, quando lege est taxatum frumentum vt non vendatur vltra certum pretium,consueuerunt aliqui ea arte vti,ne detegātur postea, quādo potestates publicæ inquirunt de iis, qui vltra pretium lege taxātū frumentum vendiderūt, etiam si ii ipsi,qui illud ab eis emerūt,à potestatibus publicis ea de re interrogētur. Priùs quàm eis frumentū vendāt,ab eis accipiūt iuramentū,se nunquam id detecturos,etiam si à

potesta-

potestatibus publicis interrogẽtur, aliterq; nolunt frumẽtum eis vendere: accepto verò priùs ab eis eo iuramento, frumentũ illis vẽdunt vltra pretium lege taxatum. De eiusmodi autẽ hominibus, qui ita frumentũ emerunt, dico nihil impediente ea sponsione ac iuramento, teneri detegere vendentes in euẽtu, in quo, si talis spõsio ac iuramentũ non præcessissent, tenerẽtur illos detegere. Ratio autẽ est, quoniam aliud est tradere notitiam de delicto iã commisso sola narratione illius, etiam si leuitate animi id efficiat, & etiam si vt is, qui audit, persuadeatur cõmissum esse, ostendantur illi indicia, quòd fuerit cõmissum, vt si ei ostendatur ensis sanguine tinctus, quo quis asserat se interfeciſſe alium; & aliud lõgè diuersum est admittere aliquem ad intuitum delicti quando patrabitur, aut ad participandum in eo delicto dum fiet. Illud sanè primũ est committere illi secretum ea de re, quæ illi detegitur, quando sub sponsione tacita aut expressa, quòd illud non reuelabit, ei manifestatur: hoc verò secundum non est committere illi secretũ, sed facere illum testẽ ac inspectorẽ aut complicẽ eius delicti: eaq; de causa, nihil impediente spõsione ab eo præstita, & iuramento, se nunquã illud reuelaturum, tenetur id manifestare iudici, qui, si non interueniſſet ea sponsio ac iuramentũ, iuridicè interrogaret. Ratio autem est, quoniam ea sponsio adimere non potuerit reipublicæ ius, quod habebat ad inquirendum delicta, & vt sibi manifestarentur ab intuentibus illa: neq; sponsio obligat, quando est de re illicita, contra iusve alterius: & cùm eiusdem naturæ sit etiam iuramentum, quod ad illicitum similiter non obligat; consequens est, vt estò ea sponsio confirmata esset iuramento, teneatur nihilominus is manifestare id iudici, secluſa ea sponsione & iuramento, iuridicè interroganti. Hac eadẽ ratione, quando multi in idem delictũ conspirant, adhibita mutua sponsione ac iuramento, se nunquã id crimen nec complices manifestaturos, sanè si eorum aliquis comprehendatur, iuridiceq; de complicibus, iuxta ea quæ tractatu sequenti dicẽda sunt, interrogetur, tenetur illos manifestare: quoniam ea sponsio & iuramentum afferre non possunt præiudicium reipublicæ quo ad ius, quod habet inquirẽdi ac puniendi delicta, suntque proinde de re illicita, si eum euentum comprehendere in illis intenderunt, ac proinde vim non habent ad obligandum in eo euentu.

9 Aliquando, in quintoq; gradu, consurgit obligatio seruandi secretum, non solũ ex natura ipsa rei, quoniam ibi interuenit pactum tacitũ, sponsióve tacita illud non detegẽdi, (qua ratione hic gradus ad quartum præcedentem etiam spectat) sed etiam longè arctiùs, nullumq; euentum admittẽs, in quo illud ratione vlla fas sit detegere, idq; ex lege diuina positiua, qua in bonum sacramenti pœnitentiæ, salutisq; animarũ, ad quã id sacramentum institutum est, prohibitum est illud reuelare. Qua enim lege Christus sacramẽtum pœnitentiæ statuit, mortalesq; obligauit ad secretam confessionem sacerdoti in eo faciendam, eadem prohibuit detectionem eorũ, quæ ea via scirentur. Cùm autem eiusmodi prohibitio in bonum sit sacramenti pœnitentiæ, contrariaque manifestatio eorum, quæ ibi deteguntur, cederet in detrimentũ eiusdem sacramenti pœnitentiæ, sanè quatenus ea manifestatio positiua illa lege diuina est prohibita, peccatum est sacrilegii contra virtutem religionis. Dixi, quatenus ea manifestatio positiua illa lege diuina est prohibita, peccatum est sacrilegii contra virtutem religionis: quoniam cùm id, quod in confessione sacerdoti reuelatur, ea lege & pacto tacito reueletur à pœnitente, vt sacerdos id non detegat, vtique in eo secreto simul interuenit obligatio quarti gradus, quin & primi, si delictum in se sit occultum. Qua de causa simul peccaret contra iustitiam is sacerdos, qui auditum in confessione reuelaret, ac proinde ad restitutionem teneretur damnorum omnium, tam famæ, quàm cæterorum bonorũ, quæ ex ea reuelatione sequerentur. Agere tamen ex professo, de hoc quinto gradu, ad explanationem sacramenti pœnitentiæ attinet, aliquidque tractatu sequenti dicetur, quantum ad eum tractatum fuerit etiam necessarium.

Seruare secretum, quando ad id tenemur, ad quam pertineat virtutem, & ad quod vitium attineat manifestatio tunc illius. Atque quo decalogi præcepto astringamur secretum tunc seruare. Disp. 6.

SVMMARIVM.

1. *Seruare alicuius secretum, quando ad id tenemur, pertinet ad virtutem fidei.*
2. *Seruare secretum, absque vlla præuia promissione aut iuramẽto, sed obligatio illud seruandi consurgit solùm ex natura ipsa rei, pertinet solùm ad iustitiæ virtutem & non ad fidei.*
3. *Seruare secretum quando ad id tenemur, si solùm interueniat promissio illud seruandi, spectat ad virtutem fidei, & detectio contraria pertinet ad vitium infidelitatis.*
4. *Seruare secretum commissum pertinet ad iustitiam & simul ad fidem, quæ iustitiæ est fundamentum: manifestatio verò illius aduersus iustitiam spectat, & ad infidelitatem.*
5. *Qui ex officio tenetur seruare secretum, contra iustitiam peccat illud reuelando: & tenetur ad restitutionem.*
6. *Seruare secretum confessionis pertinet ad virtutem religionis.*
7. *Seruare secretum rei propriæ pertinet ad caritatem, qua nos ipsos deligere debemus.*
8. *Ad vitam æternam sufficit seruare mandata, & in præceptis decalogi nullum est præceptum de seruando secreto.*
9. *Christus reuelauit peccatum Iudæ in vltima cœna.*
10. *Præceptum de non reuelando secreto continetur sub octauo:* Non falsum testimonium dices.
11. *Christus in vltima cœna non reuelauit occultum peccatum Iudæ, sed prophetico spiritu prædixit proditionem futuram.*

SOtus *de tegendo secreto memb. 1. q. 1.* ait, seruare 1 alienũ secretũ, quãdo ad id tenemur in omnibus gradibus, tribus præcedentibus conclusionibus explicatis, pertinere ad virtutẽ fidei, de qua *tractatu 2, Disp. 262* loquuti sumus, idq; conclusione 1, extendit ad primũ gradũ Disp. 3 à nobis explicatũ: ait enim, eum, qui visu aut relatione tertiæ personæ nouit crimẽ alienũ, quanquã expresè non promiserit secretũ, censeri tamen virtualiter promisisse, propter vinculũ & ius naturale, quo quisq; tenetur seruare secretũ proximi. Præterea arbitratur cum Caiet. (quẽ nos ea de re *q. 262.* citata impugnauimus) virtutẽ fidei, qua tene-

tenemur facto promissa adimplere, quãdo simul ex iustitia tenemur id adimplere, non esse distinctam virtutem à iustitia, sed esse partem iustitiæ subiectam. Item licèt q. 1. citata cum Caietano distinguat fidem, qua tenemur, non ex iustitia, sed ex honestate morali factis promissa adimplere, tanquam distinctam virtutẽ à fide, qua ex iustitia conuenta & promissa implere tenemur: hanćque fidem, qua id implemus, quod ex iustitia tenemur, dicat cum Caietano non esse distinctam à iustitia, sed esse partem quandam subiectam illiũs; illam verò aliam fidem, qua ex honestate tantùm morali tenemur factis promissa implere, dicat esse partem potentialem solùm iustitiæ; addit tamẽ conclusione 2 eum quidem, qui promisit seruare secretum sibi commissum, teneri ex iustitia illud seq̃uare, si actis, cui commissum est depositum, tenetur de iustitia illud seruare, vnde innuit, si illud detegat, peccare contra iustitiam. Eum verò, qui vidit delictum alterius occultum, aut, qui illud nouit ex relatione tertiæ personæ, cui non promisit illud non manifestare, ait teneri illud seruare non propriè ex iustitia, sed ex honestate morali; quibus verbis innuit, si illud manifestet, peccare solùm cõtra fidem, vt est distincta à iustitia, hoc est, quæ est pars solùm potentialis iustitiæ, obligans tantùm ex honestate morali. Omnes tamen profectò affirmant, hunc peccare contra iustitiam, eaque de causa restituere teneri famam, quam iniustè læsit, & damna omnia vlteriùs ex ea manifestatione sequuta. Neque id, dum de hac re est sermo, negat aut negare potest Sotus. Suppositis autem iis, quæ tractatu præcedente Disp. 262 citata diximus, quibus contra Caietanum perspicuè ostendimus, virtutem fidei, qua vniuersim pacta & promissa adimplemus, etiam quando simul de iustitia illa implere tenemur, distinctam specie esse à virtute iustitiæ, atque ex suo genere obligare ex sua parte solùm sub culpa veniali, duplicemq́ue rationem formalem vitii interuenire, vnam ex suo genere lethalem, & aliam ex suo genere venialem, quando simul interuenit obligatio ex iustitia aliquid promissum vel conuentum adimplere: illis, inquam, suppositis, quid de priori parte quæstionis in titulo huius Disputationis propositæ sentiamus, sequentes conclusiones aperient.

2 Prima conclusio: Seruare secretum primi ac secundi gradus, de quibus Disp. 3 est dictum, & in quibus nullum pactum nullaq́ue promissio de illo seruando interuenit, sed obligatio illud seruandi consurgit solùm ex natura ipsa rei modo ibi explicato, pertinet solùm ad virtutẽ iustitiæ, & nulla ratione ad virtutem fidei: ideoq́ue qui illud illicitè manifestat, peccat contra iustitiam circa bona famæ, si ea manifestatione fama lædatur, aut circa bona corporis, vel circa bona externa, si ea manifestatione bona corporis aut externa lædantur modis Disp. 3 explicatis; estq́; id peccatum ex suo genere lethale, eo quòd sit contra iustitiam: non verò peccat ille tunc cõtra virtutem fidei, vitio infidelitatis: atq; in vtraq; parte huius nostræ conclusionis à Soto dissentimus. Cõclusio verò probatur, quoniã sicut abstinere à furto, & à dãno in bonis externis proximo dando, vt ab exurenda sine iusta causa domo aliena, aut à destruendis sine iusta similiter causa segetibus alienis, nõ pertinet ad virtutem fidei, sed ad iustitiam; contrà verò furari aut destruere sine iusta causa domum, aut segetes alienas, non pertinet ad vitium infidelitatis, sed ad iniustitiam circa res externas: sic abstinere à detegẽdo crimine alieno, quando detectione fama illius iniquè læderetur, non spectat ad virtutem fidei, quando nulla sponsio nullumq́; pactũ interuenit de eo crimine non detegendo, sed id spectat ad iustitiam circa bona famæ; cõtrà verò, id crimen iniquè detegere, pertinet ad iustitiam circa bona famæ, non verò ad vitium infidelitatis. Quo loco obserua, me non solùm contendere, abstinere ab ea criminis iniqua detectione, non pertinere ad fidẽ, vt distinguitur cõtra iustitiam, obligatq́; solùm ex honestate morali, & est pars potentialis solùm iustitiæ, vitiũque contrarium non pertinere ad infidelitatẽ, vt distinguitur cõtra iustitiam, vt ex se, quicquid Sotus in contrarium dixerit, est notissimũ; quippe cùm perspicuè in ea iniqua detectione cernatur iniustitia: sed etiam me contendere, in abstinendo ab ea iniqua criminis detectione non cerni fidem, quæ fundamentum est iustitiæ, & quam Sotus & Caietanus cum iustitia confundunt, affirmantes non esse distinctã virtutem à iustitia, atq; cuius transgressio semper habet adiunctam rationẽ iniustitiæ. Ratio autem huius, quod cõtendo, est, quoniã fides non est fundamentũ iustitiæ sumptę in tota sua latitudine, sed sumptæ solũ prout cernitur in pactis & cõuentis: quis enim dicat, fidẽ, quæ est fundamentum iustitiæ, frangi quando committitur furtũ, aut quãdo iniustè exuruntur segetes alienæ, vel quãdo homicidiũ cõmittitur, &deniq; quando nullum omnino pactũ aut promissio interuenit, & nihilominus iustitia cõmutatiua violatur? Certè nulla cũ probabilitatis specie id affirmari potest. Cũ enim in similibus euentibus nullũ, neq; virtute, anteceſſerit dictũ propriũ eius, qui ita iustitiã trãsgreditur, cui teneatur sua facta adequare, id dictũ opere implendo, sanè in eo, quòd is eo modo iniustè operetur, nõ cernitur fractio fidei proximo datæ, atq; adeò neq; infidelitas aduersus proximũ fidei virtuti cõtraria. Quo fit, vt cũ in euẽtibus de quibus nostra cõclusio loquitur, neq; virtute interuenerit dictũ, quo quis se proximo astrinxerit nõ manifestare ea aliena peccata, in qua iniqua illorũ manifestatione non cernatur fidei fractio, neq; vt fides est fundamentũ iustitiæ, neq; fidei latiùs sumptę, vt solũ est cõtra honestatẽ moralẽ, nullã adiunctã habens iniustitiæ rationẽ: sed solũ in eis euentibus cernatur nuda iniustitiæ ratio, qua iniustè proximi fama læditur. Obserua autẽ, si ratio illa, quã Sotus reddit, cur in euentibus nostræ conclusionis virtute interueniat promisio nõ manifestãdi ea delicta, & per cõsequens cur reuelatio illorũ delictorũ sit contra fidẽ, vllius esset momenti, quia scilicet quanquam ille expresè non promiserit nõ manifestare id secretum, censetur tamen virtualiter id promisisse, propter vinculum & ius naturale, quo quis tenetur seruare secretum proximi: si, inquam, ea ratio vllius ad id esset momenti, sanè sequeretur, in omni iniustitia aduersus proximũ commissa interuenire etiam propter eandẽ rationem infidelitatem fidei contrariam, atque adeò iniustitia nunquam ex Soti sententia esset distincta ab infidelitate, neque fides, quando ad illam seruandam obligatio est iustitiæ, esset

pars

pars subiecta iustitiæ commutatiuæ, sed æquè late pateret atque commutatiua iustitia: quod tamen probè idem Sotus & Caietanus negant.

3 Secunda conclusio. Seruare secretũ tertii gradus, Disp. 4 explicati, quando ad id tenemur, iuxta ea quæ ibi dicta sunt, si solùm interuenit promissio illud seruandi, spectat ex eo capite ad virtutem fidei, & detectio contraria pertinet ad vitium infidelitatis: si verò interuenit pactum pro aliquo emolumento, pertinet simul ad iustitiã & ad virtutem fidei, quæ fundamentum est iustitiæ, vt contraria detectio simul pertinet ad iniustitiam & ad infidelitatem fidei illi cõtrariam. Prior pars conclusionis probatur. Quoniam ex virtute fidei tenetur quiuis factis adæquare, impleréve suam promissionem, vt Disp. 262 citata explanatum fuit: quare celare secretum, vt nuda promissione si quis ad id astrinxit, ad virtutẽ fidei spectat, & contraria detectio pertinet ad infidelitatem, ei fidei contrariã. Hoc loco duo obserua: Vnum est, si quis per eam promissionẽ se astrixuit ad id nõ manifestandũ, quod secluſa ea promissione de iustitia tenebatur non manifestare, vt si erat vitium proximi occultũ, quod sine causa ad id sufficiente nefas esset manifestare, tũc simul tenebitur ex iustitia & ex virtute fidei id non manifestare: atque in contraria illicita manifestatione simul interuenient distincta ratio infidelitatis & distincta ratio iniustitiæ, quæ similiter esset, estò ea promissio non interuenisset. Alterũ verò est, cùm per promissionẽ (vt dis. 262 citata explicatum fuit) dupliciter possit quis se intẽdere obligare ad id, quod promittit, nempe ex iustitia, vel ex sola honestate morali, regulariterq; in re, de qua loquimur, solùm se intendant homines nuda promissione obligare ex honestate morali, vtiq; si non ex iustitia se is intendit sua promissione ad id obligare, sed solùm ex honestate morali, tunc transgressio eius promissionis, id secretũ manifestando, vt præcisè est contra eã promisionem, solùm erit contra virtutẽ fidei, & non contra iustitiam: si autẽ ea promissione se intendit obligare ex iustitia, tunc trãsgressio illa ex eo capite & erit iniustitia, quatenus contrauentum est obligationi ex iustitia, quam ea promisione intendit super se inducere, req; ipsa induxit, & erit simul peccatum veniale contra virtutem fidei, quatenus verba illius promisionis manifesto non adæquauit, eáve non impleuit, vt Disp. 262 citata dictũ est. Secunda verò pars conclusionis ex eo probatur, quòd trãsgressio pacti & contractus iusti pertinet ad iniustitiam, sicut seruare eum contractum ad iustitiam spectat, ac proinde spectat ad fidem, prout fides fundamẽtum est iustitiæ circa pacta & conuenta ex iustitia: Disputatione autẽ 262 citata ostendimus, in tali transgressione simul interuenire iniustitię peccatum ex suo genere lethale, & peccatum distinctum infidelitatis ex suo genere veniale.

4 Tertia conclusio. Seruare quartũ gradũ secreti, de quo disputatione præcedente est dictum, & quod propriè rationem habet secreti commissi, ad iustitiam pertinet, & simul ad fidem, quæ iustitiæ est fundamentũ: contraria verò illius manifestatio ad iniustitiam spectat & ad infidelitatẽ fidei virtuti contrariam. Probatur conclusio, sicut probata est posterior pars præcedentis conclusionis. Quoniã obligatio seruandi id secretũ prouenit ex pacto tacito vel expresso, quo ea lege & cõditione id secretũ reuelatur ei, qui illud non manifestare tenetur, vt teneatur illud non manifestare cuiquã alii: seruare autẽ pactũ, seu contractũ illũ, ad iustitiã pertinet, & ad fidelitatẽ, quę illius est fundamentũ circa pacta & cõuenta.

Simili modo, qui ex officio tenetur seruare secretum, vt tabellio in aliquibus euentibus, cõtra iustitiam peccat reuelando id secretum, restituereq; tenetur damna inde subsequuta: non secùs atq;, qui ex officio tenetur defendere aliquem, eumq; non defendit, tenetur restituere ei dãna ex omissione culpabili eius defensionis illi subsequuta. Eodẽ etiã modo, qui communi lege sibi cũ aliis tenetur seruare secretum, ac veluti pacto tacito aut expresso inter eos, vt interdum canonici tenentur circa ea, quæ in capitulo fiunt, & tenentur similes alii, contra iustitiam peccant reuelando id secretum, quod communi ea lege, ac veluti pacto, tenentur seruare.

6 De quinto gradu secreti, de quo Disputatione præcedente habitus etiam est sermo, iam ibi est dictũ, pertinere ad virtutẽ religionis illud seruare, vt diuina lege positiua ratione sacramenti pœnitentiæ, in eius sacramenti atq; in animarũ bonũ, est iustum seruari: contrariam verò iniquam, eius secreti reuelationẽ esse crimen grauissimũ sacrilegii, religionis virtuti contrariũ. Dictum præterea est, vt simul interuenit pactũ tacitũ id secretũ nõ reuelandi, esse peccatũ contra iustitiã illud reuelare, cũ onere restituendi omnia dãna, quæ inde fuerint sequuta. Est præterea peccatũ infidelitatis contra pactũ tacitũ, promissionẽq; tacitã, id secretum non reuelandi. Quòd si peccata in confessione detecta, occulta sint, ita vt iniustitia esset illa reuelare, si aliunde solùm scirentur, sine pacto ac promissione expressis aut tacitis ea non manifestandi, sed solùm ex natura ipsa rei, ita vt ad primum etiam gradum secreti pertineant, ex eo etiam capite iniustitia esset illa reuelare, cum restituendi onere, vt Disputatione præcedente dictum etiam est.

7 Illud est obseruandũ, nos hactenus esse loquutos de secreto rei alienæ. Seruare verò secretum rei propriæ, quando ita expedit famę nostrę, ad caritatem pertinet, qua nos ipsos diligere debemus, curareq; conseruationẽ nostrã, propriæq; nostrę famę, aliorũq; bonorũ nostrorum, pertinet item ad constantiã ac continentiã linguę: & cõtraria inordinata reuelatio rei nostrę proprię occultę pertinet ad vitia his virtutibus cõtraria, atq; ad nostrę famę prodigalitatẽ. Quòd si reuelatio eiusdẽ secreti rei nostræ proprię in scandalum etiam aliorum redundet, aut in iniuriã ac damnum nobis cõiunctorum, simul ex aliorum caritate tenebimur idẽ secretum seruare, reuelatioq; inordinata illius cum caritate, qua eos diligere tenemur, pugnabit. Hęc de primo eorum, quę in titulo huius disputationis sunt proposita.

8 Quod verò ad secundum attinet, vt illud explicemus, aduersus hactenus dicta hac & tribus Disputationibus præcedentibus possumus primò argumentari. Ad vitã æternam consequendam, vitandaq; proinde lethalia peccata, satis est seruare mãdata, vt Christus *Matth. 19* docuit: in præceptis autem decalogi nullũ est præceptũ de seruando secreto: ergo non est peccatũ lethale contra iustitiã illud conseruare in euentibus, in quibus dictum est obligationẽ esse sub culpa lethali illud seruare: præsertim cũ ea obligatio, si

quæ

quę sit, nō sit de iure positiuo, sed de iure naturali, quæ contineri in præceptis decalogi deberet.

9 Secundò, Christus in cœna, vt habetur *Ioan. 13*, manifestauit peccatum Iudæ occultum, quòd cum esset traditurus: ergo reuelare peccatum occultum non est peccatum: alioquin Christus id non fecisset.

10 Ad primum horum est dicendum, præceptum de seruando secreto, quatenus contraria manifestatione fama proximi lædituꝛ, reduci ad octauum decalogi præceptum & in eo contineri, ad illud scilicet, *nō falsum testimonium dices*. Quemadmodum etiam ad illud sextum, *non adulterabꝛis*, reducitur prohibitio omnium aliarū fornicationum, & in eo censetur comprehensa, & ad illud quintum, *non occides*, reducitur prohibitio omnium aliarum iniuriarum corporalium, & in eo censetur comprehensa. Quando autem iniqua manifestatione secreti læderetur vita aliena, corpusve alienum, aut læderentur bona aliena externa, iuxta ea quæ Disput. 3 explicata sunt, tunc prohibitio eius manifestationis secreti reduceretur ea ex parte ad quintum & septimum præceptum decalogi, in eisque comprehenderetur pro qualitate rerum, quibus id iniustum damnum ea iniqua manifestatione inferretur. Quamuis autem seruare secretum effigiem habeat præcepti affirmatiui, vim tamen habet præcepti negatiui, videlicet, non deteges secretum alienum: sicut etiam negatiuum est octauum illud decalogi præceptum, *non falsum testimonium dices*, ad quod reducitur & in quo comprehenditur. Cùm verò reuelare secretum contra bonum famæ sit, quod medium est inter bona corporis & bona externa, consequęs profectò est, vt ex suo genere id sit grauius peccatū, quàm furtum, quo bona externa proximi iniustè auferuntur aut læduntur, vt ex suo genere minus graue peccatum sit, quàm homicidium, adulterium, quin & quàm simplex fornicatio, quæ peccata contra bonum sunt corporis. Ex circunstantiis verò euenire potest, vt furtum aliquod grauius peccatum sit, quàm detectio aliqua iniusta alicuius secreti, & vt detectio aliqua secreti sit grauius peccatum, quàm fornicatio aliqua simplex, & quàm adulterium aliquod, quin & quàm aliquod homicidium, vt si inde spirituale aut corporum grauius aliud malū immineat.

11 Ad secundum verò argumentum, prętermissis aliis solutionibus, dicendum est cum *Adriano quodl. 11. q. 1. ad. 1.* & cum *Soto detegen. secr. memb. 1. q. 2. ad. 1.* Christum Dominum non dixisse peccatum secretum, quod iam erat in Iuda, sed prophetico spiritu prędixisse peccatum proditionis actualis futuræ, quod publicum erat futurum nequitia Iudæ, sicut etiam eodem spiritu prædixit peccatum trinę negationis Petri, quod erat similiter Petri fragilitate futurū. Detexisse verò illud ad finem redemptionis ac salutis generi humano, nempe vt intelligeretur, sua spōte se obtulisse morti: quandoquidem media, per quæ erat futura, & quæ poterat ipse facilè declinare, præsciebat. Præterea illud detexisse, vt corda cæterorum discipulorum confirmarentur in fide, dum cernerent, rem euenisse sicut prędixerat. Adde, eam detectionem prophetico spiritu peccati à Iuda adhuc patrandi adiumento illi fuisse, tum vt doleret de iam patrato, dum decreuit illud efficere, & pactum circa illud cum principibus sacerdotū iniuit, (quod peccatum iam patratum in quo tunc erat Iudas, quodque discipulis erat occultum, Christus non detexit) tum etiam vt desisteret à peccato adhuc committendo traditionis actualis Christi, nisi sua malitia eo etiam adiutorio noluisset adiuuari. Item cùm peccatum illud esset aduersus Christum, in suæ vitæ damnum, grauissimamque iniuriam, fas Christo fuisset, etiam vt personæ priuatæ, illud detegere, vt impediretur ac puniretur, nedum illud prædicere. Adde etiam, cùm Christus, vt Deus, Dominus esset famæ Iudæ, quin & vt homo dominus dono patris esse omnium, maximè quantum expediret ad finem redemptionis generis humani, salutisq; omnium spiritualis, absq; vlla Iudę iniuria potuisse damnum illud famæ Iudæ inferre.

Infamia quid & quotuplex. Et de infamia facti. Disp. 7.

SVMMARIVM.

1. *QVi famam alicuius ladit, peccat contra iustitiam commutatiuam: & etiam qui id attentauit facere.*
2. *Fama latissime sumpta est existimatio de aliquo, maximè exterius manifestata. Rumor & fama sunt diuersa.*
3. *Fama, vt est personæ, est status illæsæ dignitatis, legibus & moribus comprobatus.*
4. *Infamia persona est læsio status, dignitatis, seu conditionis personæ alicuius, qua iuris humani dispositione infamis habetur ac redditur.*
5. *Illegitimo matrimonio natum esse infamia est facti.*
6. *Quando pater in testamento aliquid infame filio diceret, quia ibi maturo iudicio censeretur id dicere, & non iratus, contrahit filius infamiam facti. Similiter quando de aliquo apud graues viros concipitur sinistra opinio quoad mores illius, contrahit ille infamiam facti.*

1 COnsequenter est dicendum de iis, quę contraria sunt iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ. Et primò de contrario obiecto illius, hoc est, de infamia, quæ famæ, circa quam ea iustitia versatur, est contraria. Atq; quęcunque læsio iniusta famæ, hoc est, existimationis alterius circa aliquod bonum, etiam si illum infamem non reddat, sufficit vt, qui ita iniustè lædit, peccare dicatur contra iustitiam commutatiuam circa bona honoris & famæ, & vt, si id damnum famæ permaneat, teneatur illud restituere. Quin & attentare famam iniustè lędere, estò effectus non sequatur, sufficit ad peccatum contra eam iustitiam commutatiuam, licèt non vt obligatio sit quicquam restituendi: quoniam obligatio restituendi famam exigit damnū permanens in eo datum. Imò verò solùm iudicium temerarium merè internum, aut suspicio temeraria & iniusta merè interna, quibus interiùs apud ita iniustè iudicantem aut suspicientem læditur æstimatio ac fama proximi, sufficit ad peccatum lethale aut veniale contra eandem commutatiuam iustitiam: tametsi non ad obligationem restituendi: quoniam eo ipso, quòd à tali iudicio ac suspicione temerariis ac iniustis cessatur,

tur, vt obligatio est cessandi, nullum remanet damnum.

Quamuis autem quæcunque læsio iniusta famæ alterius modis explicatis, aut attentare ita eam iniustè lædere, quin & voluntariè ac iniustè exponere se periculo illam lædendi, sufficiat ad obiectum iniustitiæ, iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contrariæ, siue infamis inde reddatur proximus eo vitio offensus siue non, & siue læsio in illius fama sequatur, siue nō: operę pretium tamen est agere hoc loco de infamia, à qua quis infamatus aut infamis dicitur: tum vt intelligatur, quando illa iniustè vitio cōtrario iustitiæ cōmutatiuæ circa bona honoris & famæ inferatur, cum onere restituendi damnū contrariæ famæ ea via iniustè datum: tum etiam vt intelligatur, quando detectio criminis alicuius iis, quibus non erat cognitus, iniustitia non sit, neque inde obligatio restituendi consurgat; eo quòd ille ea de re infamatus iam erat, famāve amiserat: tum denique vt intelligatur, quando aliquis iuris dispositione infamis censeatur ad multos effectus suis propriis in locis explicandos, quorum aliquos Disput. 10 subjiciemus.

2 Fama latissimè sumpta, vt sub se comprehēdit bonam & malam famam, est existimatio de aliquo, maximè exteriùs manifestata: & quoniam fando solet fieri verbis ea manifestatio existimationis de aliquo, à fando dicta est fama, quasi fama fit, quod de aliquo dicitur quo ad æstimationem & notitiam, quę de eo habetur. Fama, vt bonam & malam comprehendit, atque adeò vt sub se comprehendit infamiam, interdum est de facto, aut de qualitate alicuius, vt quòd commissum sit tale crimen, aut quòd talis persona illud commiserit, aut quòd bonum aliquod egerit, vel quòd legitimus sit, aut illegitimus, quòd descendat ex parentibus tali ac tali nota affectis, &c. Atque quo ad aliquos effectus fama hæc aliquādo sumitur presè, vt à rumore distinguitur, ita vt rumor sit paucorum ea de re dictum: fama verò sit commune dictum in oppido, vicinia, aut congregatione aliqua. Prudentis autem arbitrio est relinquendum, vt iudicetur, quando censeatur commune dictum & existimatio multorum, ita vt censeri debeat plus quàm rumor, transireque censeri debeat in famam. Atque, quod erit satis, vt fama sit in congregatione domus aut collegii, non erit satis vt sit fama in vicinia, cuius pars est ea domus aut collegiū: & quod satis erit vt sit fama in vicinia, non erit satis vt sit communis fama in ciuitate, vel oppido, quod ex multis constet viciniis. Ad aliquos item effectus fama aliquando sumitur adhuc præsiùs, vt distinguitur à vanis vulgi seu populi vocibus, ita vt fama sit communis existimatio ac dictum ortum habens ex verisimilibus coniecturis: si autem ea existimatio, aut dictum, ex verisimilibus coniecturis ortum non habeat, non dicitur fama ita presè, sed id dicitur vana existimatio, aut vanæ voces populi ac vulgi, vt tractatu sequenti dicetur. Interdum verò fama, vt se extendit ad bonā & ad malam, est de persona aliqua quoad facta & qualitates illius: vnde dicimus homo ille est bonæ aut malæ famæ, inquiriqúe solet qualis famæ aliquis sit.

3 Sumpta autem fama vt est personæ, & vt opponitur infamiæ, quæ personam reddit ac denominat infamem, sic definitur iuxta. l. cognitio. §. existimatio. ff. de variis *extraord. cogn. & l. 1. titu. 6. part. 7.* accommodatè ad Azonem, Speculatorem, & alios. *Est status illæsæ dignitatis legibus & moribus comprobatus.* Nomine autem dignitatis, vt ibi glossa exponit, intelligitur conditio ipsa humana in se nullo prauo more infecta (intelligē, neque nota, quę iuris humani dispositione infamem reddat, quæ dignitate super creaturas omnes mente libereve arbitrio minimè præditas. Dum autem status ille illæsus manet, probatusque est legibus & moribus, quia scilicet legibus est conformis, bonisque moribus affectus, existimatio, quæ de eo statu habetur, est fama seu bona fama, quæ de eo homine tunc habetur. Atque eiusmodi fama est omnibus numeris absoluta, integra, seu perfecta. Quando autem status esset illæsus, sed non probatus moribus ac legibus, vt in eo, qui non peruenisset ad vsum rationis, aut ad eam ætatem, in qua mores elucere possent, tunc vt in illo locum non haberet infamia quo ad mores, sic neq; bona fama illi prorsus contraria, qualis est, quæ proximè est definita: esset tamen bonæ famæ secundùm quid, hoc est, status illęsi minimeve deprauati quo ad mores, tametsi bonis moribus non ornati, saltem simpliciter. Intellige, nisi affectus esset nota aliqua, quæ dispositione iuris redderet illum infamen. Vt si esset filius eius, qui de crimine læsæ maiestatis humanæ aut diuinæ esset damnatus: tunc enim legibus quo ad eam notam probatus non esset. Item in adultis bona fama magnam latitudinem potest habere, prout vnus plus alio moribus potest esse ornatus, minusque habere permixtum de malis moribus, aut de nota mala, quæ infamem aliquem iuris dispositione non efficiant: neque enim quæcunque morum malorum, aut notæ non bonæ, admixtio infamem aliquem reddunt: tametsi famam ex parte denigrent ac minuant.

4 Infamia autem personæ, famæ proximè explicatæ contraria, quæ personam infamem reddit ac denominat, cùm à dispositione iuris humani pendeat, quam talem habere ac statuere velit, & non à natura ipsa rei, inconstans omnino est, prout ius humanum stare vult, vel illud, efficere aliquem infamem: eam verò sic possumus definire: Est læsio status dignitatis seu conditionis personæ alicuius, qua iuris humani dispositione infamis habetur ac redditur. Eiusmodi autem infamia duplex est. Quædam facti, alia iuris, vt habetur. *l. 1. titu. 6. part. 7.* & affirmāt glossa. *1. l. 1. ff. de his qui not. inf.* & glossa. *c. infames. §. porrò. verb. infamia 3. q. 7.* & doctores communiter.

5 Inter infamias facti primo loco lex. *2. titu. 6. part. 7.* commemorat, genitum esse aliquem non ex legitimo matrimonio. Duæ tamen glossæ proximè citatæ non meminerint huius infamiæ, dum facti infamiam explicant. Greg. Lopez lege illa. 2. ait, eam legem sequutam esse Azonis opinionem, qui illegitimos infames esse dicit, multosque alios; idem Greg. Lopez refert *titu. 13. in summa, part. 4.* verb. *en verguença*, qui illos infames etiam appellant, aitq; tales esse saltem facti infamia: iusque præsertim canonicum infames eos reputare. *Couar.* etiam *de pract. qq. c. 19. n. 6.* ait, multos eam infamiam facti appellare. Cùm autem hæc qualiscunque infamia ex iuris dispositione descendat, non video, cur non potiùs iuris, quàm facti, infamia ea debeat appellari:

lari: nisi quia eiusmodi illegitimi non simpliciter censentur infames, neque quo ad omnia infames reputantur, à quibus excluduntur, & ad quæ inhabiles censentur, qui iuris infamia simpliciter infames sunt: sed dicuntur quodammodo infames, quia comparati cum legitimis, longè inferiores illis censentur, & ad multa iuris dispositione inhabiles sunt redditi, licèt minus ii, qui illegitimi naturales sunt, quàm qui sunt spurii. Vnde in hoc regno illegitimi naturales non excluduntur ab ea patris nobilitate, quæ *hidalguia* nuncupatur, cùm tamen spurii ab ea excludantur, minusque spurii admittantur ad succedendum in bonis parentum, quàm naturales admittantur. Denique illegitimi licèt inferiores habeantur in existimatione & reputatione, quàm legitimi, solùm tamen censendi sunt inhabiles & excluſi ab iis, à quibus iuris dispositione ciuilis, vel canonici, comperiuntur excluſi, non verò à reliquis, à quibus excluduntur, qui simpliciter sunt infames. Hinc optimè *Couar. de pract. qq. c. 19. n. 6.* cum Calderino aduersus nonnullos affirmat, illegitimum, etiam spurium, non excludi ab obtinendo & administrando officio tabellionatus; à quo tamen excluduntur verè infames: quoniam illegitimus non est simpliciter infamis, sed solùm affectus nota, ob quam iure canonico & ciuili inhabilis ad multa redditur, de quorum numero non reperitur esse tabellionatus officium: quin potiùs cùm *l. generaliter. §. spurios, & l. spurii. ff. de decurionib.* habiles pronuncientur ad decurionatus munus, quod maius est, habiles quoque procul dubio censentur ad officium tabellionatus, quod est minus, præsertim cùm nullibi reperiantur redditi inhabiles ad id munus. Neque refert, quod *§. spurius* citato dicatur, si competitorem ad decurionatum habeat aliquem legitimè natum, eum tunc spurio esse præponendum: non, inquam, id refert: quoniam solùm probat, illegitimos inferiores reputari legitimis, & maximè si illegitimi sint spurii: vnde in electione ad munia publica, quæ honoris sunt, & ad quæ illegitimi incapaces non sint, cæteris paribus, legitimi præponendi sunt natis illegitimè. Iuxta ea verò, quæ de illegitimo dicta sunt, credo, si aliquis, qui descendentibus & ascendentibus caret, hæredem instituerit aliquem extraneum illegitimum, vel spurium, non posset agere frater institutoris querela inofficiosi testamenti, vt ipse obtineret eam hæreditatem: quoniam licèt ea querela competat fratri testatoris, quando eiusmodi testator hæredem instituit aliquem infamem iuris aut facti infamia, iuxta ea quę *tractatu. 2. in calce Disp. 159* dicta sunt: illegitimus tamen non censetur simpliciter infamis nec iuris nec facti infamia, ne ab aliis rebus excluditur, quàm ab iis, à quibus iuris dispositione excluſus comperitur: non verò comperitur excluſus iuris dispositione à successione in tali hæreditate.

6 Quando pater in testamento aliquid infame filio diceret, quia ibi maturo iudicio censeretur id dicere, & non calore iracundiæ, tunc licèt is filius ea de causa non contrahat infamiam iuris, contrahit tamen infamiam facti, qua meritò apud graues & probos viros ea de causa minoris æstimationis haberi debet, quasi prauo more sit affectus. Ita habetur. *l. ea quæ pater. C. ex quib. cauſ. inf. irrog. & l. 2. titu. 6. part. 7* Item si iudex in iudicio (& longè maiori cum ratione de principe) aliquem reprehendendo, illi diceret, vt melius viueret, aut aduocato, procuratori, aut alteri diceret, vt cauere deinceps ab aliquo calumniosè accusando, id similiter licèt iuris infamiam non irrogaret, infamem tamen illum redderet facti infamia: quia similiter apud graues & probos deinceps ea de causa haberet minoris existimationis. Ita habetur. *l. verbum. & l. interloquutio. C. eod. titu. l. ob hec verba. ff. de his qui not. inf. & l. 2. titu. 6. part. 7.* Deniq; quando de aliquo apud bonos & graues conciptur siniſtra opinio quoad mores illius ex dicto fide digni, aut ex aliis non leuibus & vanis indiciis, tunc ille eo ipſo (vt ex se etiam satis liquet) contrahit infamiam facti, non tamen iuris, argumento. *l. honori*, & quæ notantur. *l. licèt. ff. de obſeq. à. lib.* & habetur. *l. 2. titu. 6. part. 7.* atq; affirmãt *gloſſa. c. infames. §. porro. verb. infamia. 3. q. 7.* & doctores communiter. Non tamen est satis apud viros bonos & probos concipi siniſtram opinionem de crimine, etiam manifecto, quòd in conuictu humano non efficit hominem prauæ æstimationis attenta illius qualitate & statu, vt si homo aliquis secularis insolens sit & iracundus, aut in simplices fornicationes incidat, vel immoderatè iuret, similiáve alia crimina habeat: quoniã hæc humano more, & vt in conuictu humano æstimantur, accipienda sunt. *Lege inter alios Iul. Clar. 5. lib. ſent. §. vlt. q. 14. à. n. 9. Idem. Iul. Clar. eodẽ §. vlt. q. 21. in calce. n. 1. cum Saliceto* ait, si infamatus infamia facti de malis moribus per trienniũ illos mutasset, & perseueraſſet integro triennio integræ ac bonæ famæ, censeretur purgasse infamiam facti præteritam, neque ei ad ea noceret, ad quæ infamia facti nocere solet. Item quando aliquis ciuiliter agendo condictione furtiua, aut interdicto, vnde vi, condemnatur, licèt non incurrat infamiam iuris, incurrit tamen infamiã facti, quòd de crimine sit damnatus, ob quod si criminaliter damnaretur, infamiam incurreret: atque vniuersim in quibus criminibus excuſatur quis ab infamia iuris ob qualitatem accuſati & accuſantis, vt si contra patrem aut patronem ageretur, incurrit nihilominus is infamiã facti, ita habetur. *l. neque. ff. de vi & vi arm. l. ceſſat. ff. de acti. & oblig. l. 2. titu. 6. part. 7. & l. honori ac. l. licet. ff. de obſequi. à. lib.* Si enim opinio ea de re concepta à probis & honestis ex verisimilibus indiciis infamem illum redderet infamia facti, vt dictũ est, multo magis illum reddet infamem, quando res eadem deducta est ad iudicium, & is cõdemnatus est de ea, quin etiam si solùm probata sit, nedumque lata sit sententia, imò verò estò solùm verisimilia indicia eius criminis delata sint ad iudicium, cognitaque sint ex ea delatione, estò nondum in iudicio plenè probata sint.

Infamia iuris in quibus euentibus ipſo facto ſeu ipſo iure ante ſententiam incurratur. Diſp. 8.

SVMMARIVM.

1. MVlier coniugata in adulterio deprehenſa, etiam ſi condemnata in adulterio non ſit, infamiam iuris incurrit.

2. Vidua

2. *Vidua ad secundas nuptias transiens intra annum luctus, computatum a morte prioris mariti, infamiam iuris similiter incurrit, itidem pater eius, qui illam sciens nuptui traderet, item ille qui illam ducit.*

3. *Vidua, quæ sine facultate Regis transibat ad secundas nuptias intra annum luctus, amittebat omnia, quæ ei obuenerant ex priori marito, siue ratione matrimonii, siue testamento illius, illaq; obtinebant filii.*

4. *Mulier, quæ intra annum luctus ad secundas nuptias trãsibat, permittebatur obtinere à Principe remissionem infamiæ.*

5. *Iure canonico vidua intra annum luctus nubens pœna & infamia soluta est.*

6. *Eadem pœnas, quæ viduis intra annum luctus nubentibus sancitæ sunt, incurrunt viduæ, quæ intra eundem annum cum aliquo fornicantur. In Hispania vidua luxuriosè viuens siue in anno luctus, siue extra eum annum, amittit hæredibus mariti defuncti medietatem lucrorum, quæ ad ipsam ex eo matrimonio pertinuerunt.*

7. *Eadem pœnas incurrit vidua, quæ suscepta tutela filiorum prioris matrimonii, præstitoq; iuramento se non transituram ad secundas nuptias, nisi prius tutorem peteret filiis, ad eadem nihilominus transit.*

8. *Infamiam ipso facto incurrit, qui vel quæ bina sponsalia aut bina matrimonia, aut sponsalia & matrimonium cum duobus simul contrahit, non iussus ab eo, sub cuius potestate sit.*

9. *Infamiam etiam facto incurrunt lenones & lenæ.*

10. *Itidem histriones & scenici, qui se pretio locant ad scenam: sed raro id modo accidit. Olim quidem apud Romanos & Græcos licebat turpia exhibere.*

11. *Itidem qui operas suas locant, vt pugnent cum bestia fera, & licèt de facto non pugnent, satis est se ad id locasse.*

12. *Qui pretio accepto in certamen cum aliquo homine descendit, vel qui pretium accipit vt aliquẽ interficiat, aut percutiat, ipso facto infamiam subit.*

13. *Item quicunque de exercitu est dimissus ignominiæ causa ob delictum in exercitu commissum, etiam si dux esset: qui autem alia de causa esset dimissus, infamis non esset.*

14. *Item miles qui conducit prædia aliena negotiationis causa.*

15. *Item vsurarius.*

16. *Item qui promisit alicui iureiurando se aliquid facturum aut impleturum, neque impleuit quando potuit, & iuramentum ad id ipsum obligabat.*

17. *Item qui sub homagio aliquid in Hispania promittit alicui, nec eidem adimplet, cùm possit ac debeat. Homagium aliquando includit iuramentum, aliquando non.*

18. *Item infamiam subit Sodomita.*

19. *Item in regno Hispaniæ nobiles, qui in iudicio palinodiam cantabant: sed ille euentus hodie locum non habet.*

20. *Si quis postquam infamiam ipso facto incurrit, ad testimonium dicendum accedat, non est testimonium eius vsque quaque admittendum.*

21. *In iure canonico ipso facto incurrit infamiam, qui in aliquod graue peccatum incidit, vt hæresim, Apostasiam, schisma, incestum, &c.*

1 INfamia autem iuris in sequentibus euentibus ipso facto nulla expectata sententia incurritur. Primò, mulier coniugata, si in adulterio deprehendatur, à quocunq; fuerit in eo deprehensa, etiam si condemnata de eo adulterio non sit, imò verò etiam si sit absoluta, infamiam iuris eo ipso incurrit. Si tamen in adulterio non fuit deprehensa, estò probetur adulterium commisisse, non incurrit infamiam iuris, donec de eo adulterio sit condemnata. Facti tamen infamiam iuxta ea, quæ paulo antea dicta sunt, incurret. Hæc omnia habentur *l. palam. §.* quæ in adulterio, iuncta *glossa. ibi. ff. de rit. nup. & l. 3. titu. 6. part. 7.* consentitq; cõmunis doctorum sententia.

Secundò, de iure ciuili, quæ mulier vidua intra annum luctus, computatum à morte prioris mariti, ad secundas nuptias transibat, infamiam incurrebat, tam ipsa, quàm pater illius, (sub cuius potestate de eo iure communi & partitarum erat) si illam sciens nuptui traderet, atque etiam is, qui, id sciens, cum ea contraheret per verba de præsenti: nisi de mandato patris aut aui, sub cuius potestate esset, contraheret id matrimonium: nam tunc pater aut auus, id ei præcipiens, eam infamiam contrahebat, & non filius ipse aut nepos. Ita habetur. *l. 1. & 2. C. de secund. nup. l. decreto. C.* ex quibus caus. infam. (in qua lege vestes lugubres remittuntur viduæ, quę quondam ei præcipiebantur, modò ad secundas intra eum annum non transeat nuptias) *l. 1. §. qui eam. l. genero. l. liberorum. ff. de his qui not. infam. & l. 3. titu. 6. part. 7.* Atque ea infamia incurritur ipso facto nulla expectata sententia, vt notat glossa. *1. §. qui eam* citato, *consentaneè ad textum ibi, & ad. l. palã. §. quæ in adulterio. ff. de ritu. nup.* & ad alia iura. Incurritur verò ea infamia, etiam si secundum matrimonium esset inualidum ob impedimentum illud dirimens. Ita habetur. l. quid ergo. §. cùm autem factum. ff. de his qui not. infam. Elapso autem anno, impunè poterat contrahere secũdas nuptias, etiam si antea ignorasset maritum suum mortuum fuisse, vt habetur. *l. genero. §. vlt. de his qui not. infam.*

De facultate verò principis mulier contrahẽs matrimonium intra annum luctus euadebat pœnam infamiæ & alias pœnas. *l. solet. ff. de his qui not. infam. & l. 3. titu. 6. part. 7. & l. 3. titu. 12. part. 4.* vidua etiam contrahens sponsalia per verba de futuro intra annum luctus, nullam ea sola de causa incurrebat pœnam. Ita habetur. *l. solet citata. §. vlt.* Sponsa etiam per verba de futuro, si ei sponsus moriatur, celebrare potest statim matrimonium. *l. vxores. ff. de his qui not. infam. & l. 3. titu. 12. part. 4.* Sub hac autem pœna & sub aliis, quas subjiciemus, iure ciuili fuit statutum, vt mulier intra annum luctus non transiret ad secundas nuptias. In primis, quoniam si mulier cõtraheret intra annum luctus, periculum erat, ne esset dubium, an partus sequutus esset prioris mariti vel posterioris, vt habetur. *l. liberorum. §. 1. ff. de his qui not. infam. & l. 3. titu. 6. part. 7.* Quando autem *Vlpianus. l. liberorum. citata. §.* Pomponius, approbat sententiam Pomponii asserentis, si vidua partum edat intra annum luctus, posse deinceps intra eum annum contrahere matrimonium, intellige ex eo capite: secùs autem ex aliis, quæ causę fuerunt motiuæ eius legis: alioquin eo etiam ipso, quòd constaret viduam prægnantem relinqui ex priori matrimonio, contrahere posset: quoniam sciretur partũ aut aborsum esse prioris mariti: item elapso no-

no menſe à morte mariti cõtrahere poſſet, quo-
niam de partu deinceps edito non poſſet eſſe du-
bium, an eſſet ex ſecundo matrimonio. Deinde
ſatis innuitur eadem lege liberorum, vnam etiã
è cauſis motiuis ſanctionis eius legis fuiſſe, quo-
niam decebat mulierem id tempus tranſire in
luctu mariti; & ibidem dicitur, quamuis maritus
dignus non fuiſſet qui lugeretur, vt ſi perduellio
fuiſſet, aut ſe ipſum interfeciſſet ex conſcientia
ſui proprii delicti, vel aliqua alia de cauſa, ob
quam more maiorum defunctus non lugebatur,
nihilominus ſatis eſſe cauſas alias motiuas con-
dendæ eius legis perſeuerare, vt vidua illa intra
eum annum tranſire non poſſet ad ſecundas nu-
ptias: vnde, eſtò partus intra annum editus fuiſ-
ſet, ſi tamen maritus dignus fuiſſet, qui lugere-
tur, indecentia, quę erat aduerſus illum, & ſobo-
lem ex ea ſuſceptam, quòd vidua illa tam citò
ad ſecundas tranſiret nuptias, ſatis erat vt incur-
reret pœnas ob eum tranſitum ſtatutas. Alia item
cauſa traditur in authentico de reſtitutionib. &
ea quę páreret. §. vnum & ſequentibus, cur
tranſitus intra eum annum ſub illis pœnis fuerit
prohibitus, quia ſcilicet eo celeri tranſ-
itu ſuſpectam ea vidua ſe redit, & quòd non ca-
ſtè vixerit tempore prioris matrimonii, & quòd
machinata ſit mortem prioris mariti: hæc verò
ratio motiua eius legis perſeuerat, eſtò duæ aliæ
deſtarent. I. ex. 3. titu. 6. part. 7. & l. 5. titu. 3. part.
6. ad hanc tertiam & primam cauſas prohibitio-
nis tranſitus ad ſecundas nuptias intra annum
luctus Baldus addit quartam aliam, quia ſcilicet
tactus ventris viduæ illius, coitu ſecundi mariti,
in cauſa eſſe poſſet aborſus, ſi mulier illa grauida
maneret ex priori matrimonio. Huius tamen
cauſæ eius prohibitionis iura non meminerunt,
& propter eam cauſam, ſi illius eſſet habenda ra-
tio, prohibitus eſſet coitus cum propria vxore
prægnante, prohiberive deberet, quod tamen eſt
falſum. Adde, quando conſtaret eam viduã præ-
gnantem non eſſe, atque adeò poſt decimum
menſem à morte mariti, prohibitus non eſſet
tranſitus eius viduæ ea de cauſa ad ſecundas nu-
ptias.

5 Præterea vidua, quæ ſine facultate Regis tranſ-
ibat ad ſecundas nuptias intra annum luctus,
amittebat omnia, quæ ei obuenerant ex prio-
ri marito, ſiue ratione matrimonii, ſiue te-
ſtamento illius, illaque obtinebant filii, ſi qui
erant ex eo matrimonio, aut ex alio eius mariti,
alioquin ea obtinebant hæredes alii mariti il-
lius aſcendentes quidem mater & pater, & in
horum defectum auus & auia, & ex collatera-
libus fratres & ſorores eius mariti: & iuxta
gloſſam lege. 1. citanda, fratres & ſorores ſucce-
debant ſimul cum auis, idq; æqualiter; eo quòd
omnes eſſent in æquali gradu, & qui æquales
ſunt in eodem gradu, omnes ſimul æqualiter
ſuccedũt: deficientibus verò his omnibus cõſan-
guineis mariti, fiſcus ſuccedebat in eis bonis.
Item nullus extraneorum poterat eam mu-
lierem inſtituere hæredem, vel illi relinquere le-
gatum, fidei commiſſum, vel donationem cauſa
mortis, ſed neque conſanguinei ipſius poterant
ea illi relinquere, neque poterat illis ſuccedere
ab inteſtato, niſi eſſent conſanguinei ipſius vſq;
ad tertium gradum: nam his ab inteſtato &
ex teſtamento ſuccedere poterat, & accipere
poterat ab eis legatum, fidei commiſſum, & do-

A nationem cauſa mortis. Quæ autem ab aliis
eſſent eis relicta, ſiue conſanguinei illius eſſent
vltra ad tertium gradum, ſiue extranei, in eis ſuc-
cedebant alii hęredes eorum, qui id ei reliquе-
bant ex teſtamento, & in defectum hæredum ex
teſtamento ſuccedebant hęredes eiuſdem ab in-
teſtato. Hæc omnia habentur. *l. 1. C. de ſecund. nup. in authentico de nuptiis. §. primæ ſiquidem, & l. 3. titu. 12. part. 4. iuncta l. 5. titu. 3. part. 6.*

Mulier autem, quæ ita illicite intra annum lu- 4
B ctus ad ſecundus tranſibat nuptias, permitte-
bater obtinere à principe remiſſionem infamię
& cæterarum pœnarum, quas ea de cauſa incur-
rerat, abſolutè quidem & abſque aliqua condi-
tione, ſi filium aut filios nõ habebat ex eo prio-
ri matrimonio: ſi autem illos habebat, non ali-
ter permittebatur ei obtinere eam remiſſionẽ
ac veniam, niſi ex omnibus ſuis bonis, quæ ipſa
habebat tempore, quo poſterius matrimonium
cõtraxit, medietatem integram ei filio aut fi-
lis abſolutè abſque aliqua conditione omnino
donaret, non relinquendo ſibi vſumfructum
C eorum, ſed eum in illos etiam transferendo, at-
que ita vt ea medietas bonorum æqualiter
inter eos filios diuideretur, ſi plures vno eſſent,
& vt, ſi aliquis eorum ex hac vita diſcederet,
perinde ex ea portione poſſet ex teſtamento
diſponere, atque de aliis ſuis bonis: ſi autem
de illa non diſponeret, nec filios haberent, ſuc-
cederent in illa fratres ex eodem priori ma-
trimonio: neque aliter ea medietas bono-
rum ad eam matrem deueniret, quàm ſi om-
nes ex hac vita diſceſſiſſent, neque aliter de illa
diſpoſuiſſent, aut de parte illius. Hæc habentur
l. 5. qua mulier. C. ad Turpil. & in authentico de nu-
ptiis. §. primæ ſiquidem nuptiæ, verſ. dicimus autem
infamiam.

Obſeruandum eſt tamen, iure canonico. c. 5
pænul. &. c. vlt. de ſecund. nupt. ſublatam eſſe pę-
nam infamiæ, ſublataſq; eſſe cæteras alias pœnas
viduæ nubenti intra annum luctus, cùm iuxa
doctrinam Apoſtoli, mortuo marito, ſoluta ma-
D neat à lege viri, eique permittat nubere eo ipſo
cui vult, tantùm in Domino. Et quamuis gloſſa
& quidam alii contenderint, adhuc vim habere
leges ciuiles in foro ſeculari, maximè quando
ex ſecundo matrimonio dubium eſſe poterat,
num partus primi an ſecundi maritis eſſet, legeſ-
que partitarum vniuerſim voluerint, nihil im-
pediente diſpoſitione illa iuris canonici, vim ha-
bere in foro ſeculari pœnas iure ciuili tali vi-
duæ impoſitas, vt apertè ſtatuit *l. 3. titu. 12.*
part. 4. atque iuxta id ſtatutæ etiam ſint. *l. 5.*
titu. 3. part. 6. & l. 3. titu. 6. part. 7. nihilo-
minus communis ſententia affirmat, diſpoſi-
tionem iuris canonici circa eam matrimonii
E materiam, & circa libertatem, quæ in eo ce-
lebrando eſſe debet, auferendo, pœnas ei liber-
tati contrarias, derogare diſpoſitionibus il-
lis pœnalibus ciuilis iuris: qua de cauſa me-
ritò in hoc regno, cùm antea in foro ſecu-
lari ſtaretur legibus illis partitarum relatis,
ſancita eſt lex. 5. titu. 1. lib. 5. ordinam. quæ
eſt lex. 3. *titu. 1. lib. 5. noua collect.* & ſic ha-
bet: *Mandamos que las mugeres biudas puedan*
libremente caſar en el año que los maridos mu-
rieren con quien quiſieren, ſin alguna pena y ſin al-
guna infamia ella ni con quien ella caſare, no ob-
ſtantes qualeſquier leyes, que en contrario ſean he-
chas

chas y ordenadas: las quales ahnulamos y reuoca-mos, y mandamos à los nueſtros jueẓes y alcaldes de la nueſtra caſa y corte y chancilleria, y de todas las ciudades y villas y lugares de nueſtros reynos y ſeñorios, que no atienten de proceder ni procedan por la dicha cauſa y raẓon contra las dichas biudas, ni contra aquellos que con ellas ſe caſaren, ſo pœna de dos mil maruedis para la nueſtra camara, y los que lo contrario hiẓieren, ſean emplacados que pareẓcan ante nos en la nueſtra corte. Idem ſtatutum eſt lib. 4. Luſitanarum ordinationum titu. 11. Hæc autem omnia adiunge dictis tractatu 2, Diſput. 154. §. de iure ciuili.

6 Tertiò, pœnam infamiæ, & cæteras pœnas, quæ commemoratæ ſunt ſtatutas eſſe iure ciuili viduis, quæ intra annum luctus tranſibant ad ſecundas nuptias, incurrunt viduæ, quæ intra eum annum luctus cum aliquo fornicantur. Ita habetur *in authentica eiuſdem C. de ſecund. nupt.* & copioſiùs in *authentico de reſtitutionib.* & ea quæ punit. *§. vlt. iuncto authentico de nupt. §. & verſ. citatis ac gloſſa* ibi verb. interpoſitionem, & habetur. *l. 3. titu. 12. part. 4. & l. 3. titu. 6. part. 7.* Atque cùm hæ pœnæ ſublatæ non comperiantur iure canonico aut ciuili ab eiuſmodi vidua, quæ intra id tempus fornicatur, adhuc vim habent, illaſque incurret, vt cum multis, quos citauimus, tractatu præcedente Diſput. 90 §. vtrùm autem adultera in hoc regno, &c. dictum à nobis eſt. Longè autem diuerſa eſt illa alia pœna, quam etiam vidua in hoc regno incurrit, ſi luxuriosè viuat, ſiue in anno luctus, ſiue extra eum annum, vt ſcilicet amittat hæreditas mariti defuncti medietatem lucrorum, quæ ad ipſam ex eo matrimonio pertinuerunt, de qua pœna dictum eſt *Diſput. 90 citata. §. citato, & tractatu 2.* in calce *Diſput. 434.* ad quam incurrendam non ſatis eſt vna aut altera fornicatio eius viduæ, ſed tot requiruntur prudentis arbitrio, vt cenſeatur iam luxuriosè viuere, vt locis citatis explanatum eſt. Atque hæc adiunge iis, quæ illis in locis dicta ſunt.

7 Quartò infamiam & cæteras pœnas, quas dictum eſt iure ciuili ſtatutas eſſe viduæ, quæ intra annum luctus tranſibat ad ſecundas nuptias, incurrit ſimiliter vidua, quę ſuſcepta tutela filiorum prioris matrimonii, præſtitoque iuramento ſe non tranſituram ad ſecundas nuptias, niſi priùs tutorem peteret filiis, & rationem redderet, ac ſolueret, quæ ad illos attinebant, contra id iuramentum ad ſecundas tranſibat nuptias. Ita habetur authentica eiuſdem *C. de ſecundis nuptiis*, & copioſiùs *in authentico de nuptiis. §. ſi autem tutelam.* Cùm autem poſtea in authentico vt ſine prohib. matr. §. propterea igitur, ſancitum fuit, vt eiuſmodi viduæ iuramentum non præſtent, ſed ſolùm promittant ſe illa omnia præſtaturas, antequam ad ſecundas nuptias tranſeant, dubium eſt, an hodie eam pœnam incurrant. Gloſſa item authentica eiuſdem citata opinionem in partem vtramque refert, & in partem negantem, quam ſecundo loco refert, videtur propendere. Atque ſi ſtemus in ſolo iure communi, fortaſſe probabilior eſt pars affirmans, quòd ſcilicet eas pœnas incurrat, ſi illa quæ ſine iureiurando hodie promittit, non adimpleat, idque propter illa verba. §. propterea igitur, citati. *Iuſiurandum verò non præberi, ſed ſufficere abrenunciationem ſolam Velleiani & aliorum omnium & de ſecundis nuptiis, nullo iuſiurando de hoc dando. Mox tamen vt ſecundas contraxerit nuptias, repente expelli à tutela, & ea agi, quæ ſi eam iuraſſe contigiſſet, perferret, ſemel iudicio mentita, & præponens propriæ confeſſioni & depoſitioni ſecundas concupiſcentias.* Ecce dicit, *& ea agi,* (hoc eſt, exequutioni mandari aduerſus illam) *quæ ſi eam iuraſſe contigiſſet, perferret.* Atque hanc ſententiam amplectit gloſſa in authentico de nuptiis, verb. interpoſitionē, ſuprà citata, quæ abſolutè affirmat, viduam, quæ illis non ſeruatis ad ſecundas nuptias tranſit, incurrere omnes eas pœnas. Cæterùm in his regnis vſu videtur recepta pars, quæ negat, eam ſcilicet non incurrere eas pœnas, ſed ſolùm amittere tutelam, cui conſuetudini conſentit. l. 5. titu. 16. part. 6. quæ de ea muliere agens, ſolùm ſtatuit amittere illam tutelam, neque vllam de eiuſmodi pœnis mentionem fecit, eaque de cauſa nos de ſola ea pœna amiſſionis tutelæ mētionem fecimus tractatu 2. Diſput. 220. §. quando impuberi, huic idem opinioni vſu in his regnis receptæ, conſonæque legi illi 5 citatæ, adhærentes, quæ vt eſt benignior, ita potiùs eſt complectenda. Atque hæc iniunge paragrapho quando impuberi citato.

Quintò infamiam ipſo facto incurrit, qui vel quæ bina ſponſalia, aut bina matrimonia, aut ſponſalia & matrimonium, cum duobus ſimul contrahit, non iuſſus ab eo, ſub cuius poteſtate ſit: nam ſi ita infans id feciſſet, non ipſe, ſed qui id iuſſit, & qui habens aliquem, vel aliquam, ſub ſua poteſtate, nomine illius eidem facit, vel fit ab eo, qui ſub poteſtate ipſius eſt, id ipſo præcipiente, vel ſciente ac permittente, infamiæ pœnam incurrit: ſecùs autem ſi id ignoraſſet, eſtò poſtquam id ſciuiſſet, ratum id haberet eſſe factum: nam in eo euentu ratihabitio non retrotrahitur, vt æquiparetur mandato, aut promiſſioni, ad effectum incurrendi eam infamiæ pœnam: quare ſolus qui celebraſſet ea bina ſponſalia, aut matrimonia, vel matrimonium & ſponſalia, incurreret tunc eam infamiæ pœnam. Dicitur autem quis ſimul celebrare cum duobus bina ſponſalia, aut matrimonia, vel matrimonium & ſponſalia, quando nondum diſſoluto vno eorum cum vno celebrato celebrat aliud cum alio, eſtò non in eodem puncto temporis ea cum diuerſis celebret, ſed in decurſu temporis variis temporibus. Item incurritur ea infamiæ pœna, eſtò prohibita aut inualida ſint ea matrimonia aut ſponſalia, vt quia erat impedimentum ea inualida reddens, aut eorum aliquod. Hæc omnia habentur. *l. 1. in fine, & l. quid ergo in prin. & tribus. §§§. ſequentibus. ff. de his qui not. infam.* Porrò quòd dicitur, eum qui in poteſtate habęt ita contrahentem ſimul cum duobus incurrere pœnam infamiæ in euentibus explicatis, locum habere poteſt in hoc & in Luſitaniæ regno, in quibus celebrantes matrimonium eo ipſo egrediantur patriam poteſtatem.

testatem. Et maximè in hoc regno, in quo per matrimonium non fit egressio à patria potestate, nisi accedat velatio coniugatorum. Vnde si celebrentur bina sponsalia patre præcipiente, aut permittente, aut id efficiente nomine filiæ aut filii, aut si priùs celebrentur eo modo sponsalia & postea matrimonium, aut in hoc regno post celebratum matrimonium eo modo, necdumque sequuta velatione, sequantur alia sponsalia similiter celebrata, vel matrimonium, pater eam infamiæ pœnam incurret.

9 Sextò infamiæ pœnam incurrunt ipso facto lenones & lenæ, vt tractatu præcedente in calce Disput. 97 explanatum fuit. Exceptis, qui in crimen incidunt legis Iuliæ de adulteriis modis eadem Disput. 97 explicatis, vt in eodem calce eiusdem disputationis dicimus: hi enim solùm incurrunt pœnam infamiæ post latam sententiam, vt ibidem explicatum est. Quot autem sint genera lenonum & lenarum, & quas pœnas alias incurrant, eadem disputatione fusè dictum fuit: eaq; de causa quo ad hæc non plura hoc loco dico.

10 Septimò infamiam ipso facto incurrunt histriones ac scenici, qui se pretio locant ad scenica spectaculumque sui corporis exhibendum: non tamen est satis vt eam infamiam incurrant, si se ad id locent, nisi id, ad quod se ita locant, efficiant. Ita habetur *l. 1. & l. 2. §. ait prætor, iunctis duabus legibus sequentibus. ff. de his qui not. infam. & l. 4. titu. 6. part. 7.* Hodie verò non video apud nos, qui hanc infamiam incurrant, nisi fortè isti qui *farsas*, quas Hispani vocamus, apud nos ab aliquot annis prætio repræsentant, in quibus obscena bonosque corrumpentia mores repræsentant. Etenim tempore Romanorum ac Græcorum, dum idola deorumque multitudo colebatur, turpia & obscena in suorum deorum honorem per vias & in theatris celebrauantur, quæ dii illi à suis cultoribus exigebant, vt *Augustinus 2 de ciuit. Dei* per multa capita testatur, eaque ratione frequens inter eos erat vsus eiusmodi comediarum, tragædiarum, ac ludorum, ad quę scenici se conducebant. Et cùm scenici eiusmodi in pretio apud Græcos haberentur, honoribusque afficerentur, tanquam qui ea exhiberent, quæ diis suis placerent, & quibus colerentur, vt *Augustinus 2 lib. citato. c. 11. ait*: à Romanis tamen ob turpia & indigna, quæ efficiebant, infamiæ nota afficiebantur, vt ex iuribus citatis constat. Vnde Augustinus ibidem, præsertim c. 13, eos redarguit, quòd eos deos colerent, qui ea sibi exhiberi vellent in cultum, ob quæ, qui illa exercent, ab ipsis afficiantur nota infamiæ: vnde intelligere deberent, dæmonia eos esse, & non deos. Cùm enim Augustinus, cum Scipione ex lib. de repub. Ciceronis agens, obiecisset, Romanos ferre circa deos suos, quæ circa homines non ferunt, capite 13 sic ait, *Sed responderet (* Scipio scilicet *) mihi fortasse, si viueret: Quomodo nos ista impunita*

A *esse nollemus, quæ ipsi dii sacra esse voluerunt, cùm ludos scenicos, vbi talia celebrantur, dictitantur, actitantur, & Romanis moribus inuexerunt, & suis honoribus dicari exhiberiq; iusserunt? Cur ergo non hinc magis ipsi intellecti sunt non esse dii veri, nec omnino digni, quibus diuinos honores deferret illa respublica? Quos enim coli minimè deceret, minimeq; oporteret, si ludos expeterent agendos conuitiis Romanorum, quomodo quasi dii colendi putati sunt? quomodo non detestandi spiritus intellecti, qui cupiditate fallendi inter suos honores sua celebrari crimina poposcerunt? Itemq; Romani, quamuis iam superstitione noxia premerentur,* B *vt illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suæ tamen dignitatis memores ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoranerunt more Græcorum, sed sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur; cùm artem ludicram scenamq; totam probro ducerent, genus id hominum, non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoria voluerunt. Præclara sanè & Romanis laudibus annumeranda prudentia. Sed vellem se ipsa sequeretur, se imitaretur. Ecce enim rectè quisquis ciuium Romanorum esse scenicus elegisset, non solum* C *ei nullus ad honorem habebatur locus, verum etiam censoris nota tribum tenere proprium minimè sinebatur. O animum ciuitatis laudis auidum, germaneq; Romanorum! Sed respondeatur mihi, qua consentanea ratione homines scenici ab omni honore pelluntur, & ludi scenici deorum honoribus admiscentur? Illas theatricas artes diu virtus Romana non nouerat: quæ etsi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, & vitio morum irrepserint humanorum, dii eas sibi exhiberi petiuerunt. Quomodo ergo abjicitur scenicus, per quem colitur Deus? Et theatrica illius turpitudinis qua fronte notatur actor, si adoratur exactor?* D *In hac controuersia Græci Romaniq; concertant. Græci putant rectè se honorare homines scenicos, cum colant ludorum scenicorum flagitatores deos. Romani verò hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quanto magis senatoriam curiam, dehonestari sinunt. In hac disceptatione huiusce modi ratiocinatio summam quæstionis absoluit. Proponunt Græci: si dii tales colendi sunt, profectò etiam tales honorandi sunt. Assumunt Romani: sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani: nullo igitur modo dii tales colendi sunt.* Hæc Augustinus ibi.

Octauò infamiam ipso facto incurrunt, 11
E qui operas suas locant, vt pugnent cum bestia fera, satisque est aliquem se ad id locasse, estò non pugnet, vt ipso facto infamiam incurrat. Qui verò se locaret ad interficiendam bestiam, quæ aliis nocumentum afferret, pernicioséve esset, aut ad pugnandum cum illa, infamiam ea de causa non incurreret: quoniam id opus esset virtutis, cederetque in commodum bonum, neque quòd pretium ea de causa sumat, dehonestat id opus. Qui item cùm fera, quæ aliis non noceat, fortitudinis gratia pugnaret,

ret, nullo accepto pretio, non incurreret infamiam: quoniam id non ad abiectum ac vilem animum attineret. Hæc omnia habentur. *l. 1. §. item senatus consulto, & §. bestias. ff. de post. l. 4. titu. 6. part. 3. & l. 4. titu. 6. part. 7.*

12 Nonò, qui pretio accepto in certamen cum alio homine descendit, infamiam quoque ipso facto incurrit: quam non dubito incurrere eum, qui pretium accipit, vt aliquem interficiat aut percutiat. Qui verò nullo accepto ad id pretio cum aliquo pugnaret, infamiam non incurreret, estò vincenti præmium esset positum. Atque qui ita pugnant lucta, aut quouis alio certaminis genere, fortitudinis ostendendæ ac victoriæ causa, athletæ dicuntur, vt ait glossa tituli, consentaneè ad textum ibi. *l. 1. C. de athletis lib. 11.* Ibique statuitur, vt qui athletæ tres coronas in certaminibus publicis obtinuerint, modò vnam earum in noua aut in veteri Roma obtineant, immunis sit à muneribus oneribúsve personalibus. Quòd autem, qui pretio in certamen priuatum descendunt, infamiam incurrent, habetur *l. 2. §. vlt. ff. de his qui not. infam.* cuius verba sunt; *Eos autem qui quæstus causa in certamina descendunt*; infamiam scilicet incurrere. Quamuis autem glossa ibi exponat, cum bestia dentata, & addat, idem esse de pugilibus, hoc est, de iis, qui se locant ad certamen cum alio homine, eosque affirmet infamiam incurrere; sanè certamen propriè est cum homine: neque ibi videtur esse sermo de pugna cum fera, de qua re habitus fuerat sermo integer & copiosiùs *l. 1. citata. ff. de postul. sed de certamine cum alio homine*: vnde lege athletas statim sequenti continuò subiungitur, athletas, qui non pretio, sed fortitudinis gratia in certamen cum alio homine descendunt, infamiam non incurrere. Atque hanc totam nostram sententiam statuit *l. 4. titu. 6. part. 7.* ita intelligendo paragraphum illum vltimum & legem athletas, non verò sequendo solùm additionem illam glossæ. §. *illa vlt. vt sibi Greg. Lopez ait.*

13 Decimò infamiam ipso facto incurrit, quicunque de exercitu aut ex alia militum congregatione, est dimissus ignominiæ causa ob delictum in exercitu commissum, etiam si dux esset, & quicunque exautoratus ea de causa esset, hoc est, militaria insignia essent ab eo detracta, vt ensem è singulo illi adimendo ignominiæ causa ob id delictum, aut calcaria ab illo auferendo, vel illi aliquid tale præscindendo. Ita habetur *l. 1. in prin. & l. 2. ff. de his qui not. infam. & l. 4. titu. 6. part. 7.* Qui autem alia de causa esset dimissus de excercitu, infamis non esset, vt constat ex iuribus citatis. Qui item exautoratus esset, non quidem propter crimen commissum in exercitu, sed quia nomen militiæ dedit, eo quòd litem cum aliquo haberet, vt ea ratione suas partes meliores redderet, infamiam non incurreret, vt habetur l. qui cum. §. exautoratus. ff. de re milit.

14 Vndecimò miles, qui conducit prædia aliena negotiationis causa, infamiam ipso facto incurrit. *l. vlt. ff. de locato, & l. 4. titu. 6. part. 7.*

Duodecimò infamiam ipso facto incurrit 15
vsurarius *l. improbum fœnus. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 4. titu. 6. part. 7. & l. vlt. titu. 6. lib. 8. nouæ collect.* dictumque copiosè est tractatu *2, Dispnt. 334,* in prin. Atque, vt ibi dictum est, ea pœna comprehendit omnes vsurarios, qui veras vsuras naturali iure & canonico damnatas exercent, estò iure Cæsareo essent permissæ. Placetque nunc cum *Gregorio Lopez, l. 4. citata, verb. vsureros*, comprehendere etiam vsurarios occultos, estò de eorum infamia non sufficienter constet, nisi post latam sententiam, qua pronunciantur commisisse vsuram: neque tunc ex sententia infamiam incurrunt, sed ex delicto antea ab ipsis commisso illam iam incurrerant, licèt tunc constare incipiat, illam antea incurrisse.

Decimo-tertiò infamiam ipso facto incurrit, 16
qui promisit alicui sub iureiurando, se aliquid facturum, aut impleturum, neque impleuit, quando potuit, & iuramentum ad id ipsum obligabat. Ita habetur *l. 4. titu. 6. part. 7. iuxta. l. si quis maior. C. de transact. concinit. l. quoties. C. de dignitatib. lib. 12.* & affirmat ibi glossa, & glossa. *l. Lucius. ff. de his qui notantur infam.* Neq; refragatur eadem lex Lucius, quatenus definit, quando quis egit iniuriarum ex scriptura, in qua testes deposuerant, reum ea iniuria illum affecisse; si iudex fidem non adhibeat ei scripturę, & absoluat reum, testes illos infamiam non incurrere. Non, inquam, refragatur definitio illa eius legis. Tum quia ille non est euentus, de quo modò agimus. Tum etiam, quoniam non eo ipso, quòd illi scripturæ fides non adhibetur, quantum satis est vt condemnetur ille reus, sequitur testes illos conuictos esse falsi testimonii. In hoc autem regno in euentu, in quo dictum est, incurri eam infamiam, qui non implet id promissorium iuramentum, amittit eo ipso in pœnam bona omnia sua fisco regis. Ita habetur l. 1. titu. 6. lib. 8. ord. quæ est l. 1. titu. 17, lib. 8. nouæ collect.

Decimo-quartò de iure huius regni, qui 17
sub homagio (*pleito menaje appellant in hoc regno*) aliquid promittit alicui, nec ei adimplet, cùm possit ac debeat, infamiam ipso facto incurrit. Ita habetur *l. 2. titu. 5. part. 7.* eamque infamiam lex illa appellat *menos valer*. Quo loco obserua, homagium interdum includere iuramentum, vt multis explicat ac probat *Greg. Lopez, l. 26. titu. 11. part. 3. glossa vlt.* quando iuramentum quidem includeret, tunc promissio sub homagio non esset euentus distinctus à decimo-tertiò præcedente, neque esset quid peculiare huius regni. Quando autem iuramentum non includit, tunc est peculiaris euentus de iure huius regni statutus, vt infamia in eo incurratur: & de hoc euentu apertè loquitur lex. 2. citata, vbi dicitur in hoc euentu *caer en menos valer segund la costumbre vsada en Hespaña.* De decimo autem illo tertio euentu, in quo in

tota sua latitudine de iure communi infamia incurritur, loquitur *lex 4. titu. 6. part. 7.* cùm eodem iure communi, vt satis perspicuè constat.

18 Decimo-quintò infamiam ipso facto statuitur incurri ob peccatum sodomiæ. *l. 4. titu. 6. part. 7.* Quo in loco *Greg. Lopez* verb. *contra naturam*, ait, non reperiri ita expressum de iure communi: ibidemque, &*l.6.titu.1.part. 6. glossa vlt.* citat tres doctores, & inter eos Bart. & Barb. qui idem asseruerunt stando in iure communi. Ego verò non video hactenus ius commune, vnde id colligatur. In hoc autem regno. *l.1.titu. 21.lib.8.nouæ collect.* statuitur, vt estò aliquis damnetur ac puniatur ob id crimen, descendentes tamen eius nullam ea de causa incurrant infamiam.

19 Decimo-sextò infamiam incurrebant ipso facto de iure huius regni illi nobiles, quos *hidalgos* vocant, quando *se desdezian en juizio o por corte*, palinodiámve recantabant, vt habetur *l.2.titu.5.part.7.* vbi *Greg. Lopez* verb. *el hidalgo*, sic addit: Idem de plebeio damnato actione iniuriarum. Duo tamen obserua. Primum est, infamiam, quam tunc incurrebat ille nobilis, esse infamiam ipso facto incursam, ac se *desdezia*, atque illud erat, quando erat reptatus, more túc Hispaniarum, vt constat *titu.4.antecedente:* cùm autem mos ille reptandi hodie locum non habeat, prohibitis duellis, vt hodie sunt prohibita: locum quoque hodie non habet euentus ille, in quo ea infamia ipso facto aut ipso iure à nobilibus incurrebatur. Secundum est, Infamiam aliam, quam incurrit plebeius, aut etiam nobilis, damnatus actione iniuriarum, esse non ipso iure, sed post latam sententiam, de qua infamia mox erit sermo: neque, si in consequentiam, quòd iniuriam intulerit, falsum aliquod alicui imponendo, damnatus quis sit actione iniuriarú, præcipiatur in pœnam, aut in satisfactioné ac restitutionem famæ offensi, *desdezirse*, incurrit infamiam *desdiziendose*, sed illam antea incurrit, quando damnatus iniuriarum fuit.

20 Notat bene *Greg. Lopez l.4.titu.6.part.7. glossa vlt.* cum Baldo in his omnibus euentibus, in quibus infamia ipso facto incurritur, necessarium non esse sententiam declaratoriam delicti, vt incurratur, vt de vsurario suprà est dictum, sed ante sententiam fuisse incursam; si autem notorium non erat, neque facti, neque iuris notorietate, illum commisisse id delictum, sic consequenter notorium faciet, incursam ob illud antea ab eo fuisse eam infamiam.

21 Vlteriùs etiam cum aliis, quos citat, inde optimè notat, quando infamia incursa est ipso facto, si qui illam incurrit, ad testificandum accedat in aliqua causa, illique obiiciatur eam infamiam incurrisse, tunc in eadem ipsa instátia examinandum esse, an eam infamiam habeat iam contractam, commiseritque id, ob quod illam iam contraxit, vt videatur, an admitti eius testimonium debeat, vel non. Quando autem infamia incurritur post latam sententiam de aliquo crimine, tunc si, qui crimen illud commisit, nondum de eo damnatus sit, accedatque ad testificandum in aliqua causa, vtique, cùm nondum infamis sit, causæque diuersæ sint illa, ad quam A testificandum accedit, & ea, quæ aduersus ipsum competit circa crimen, de quo si damnetur, infamiam incurrit, admitti debet ad testificádum, neque in ea instantia examinari debet, an commiserit crimen, ob quod post latam sententiam, qua de eo condemnetur, incurret infamiam, sed seorsim id examinari debet, si ea de re aduersus eum contendere quis vellet.

Vlteriùs notant, tam idem *Greg. Lopez* ibi, 22
Syluest. verb.infam.n.11. quàm alii doctores communiter, de iure canonico non solùm esse aliquem infamem in prædictis euentibus, in quibus de iure cæsareo communi dictum est infa- B miam incurri, sed etiam quando incidit in peccatum aliquod graue, vt in hæresim, apostasiam, etiam ab ordine, & à religione, hoc est, à vita regulari, in schisma, incestum, rapinam, furtum, sacrilegium, homicidium, periurium, veneficium, impositionem manuum violentarum in parentes, & in plerisque aliis similibus criminibus, quę memorantur, & ratione quorum statuitur incurri infamiam. *c.infames.6.q.2.c. alieni, & duobus sequentibus.2.q.7.c.1. & duobus sequentibus. c. cõsanguineorũ.c.cõspiratores.c.nullus.c.ones.c.clericus, & c.hi qui.3.q.4.c.constituimus.3.q.5.* & aliis iuribus, adeò vt communiter doctores dicant, de iure canonico ob quodcunque lethale pec- C catũ publicũ, in quo quis perseueret, neq; ostenderit se esse iam omnino emendatum, incurri infamiam. Et quo grauior & fœdior ac diuturnior fuisset culpa, eo maior reputãda esset infamia, difficiliusque abstergetur cessatione ab illa, in bonisque perseuerando moribus: qui quo meliores essent, eo citiùs ac magis antecedentem infamiam abstergerent, quæ solùm infamaret quia ex culpa lethali. Atque in congregationibus, in quibus vitæ puritas magis viget, eo lethalia peccata maiorem efficient infamiam, quo magis in eis vitæ puritas disciplinaque regularis ac ecclesiastica magis viguerit. Quæ enim antiquitus mores Ecclesiæ non erant D adeò corrupti, vt hodie sunt, illa eo modo fuerunt sancita: hodie verò in tanta morum perditione fortè illa non cum tanto rigore sunt in praxi recepta: tametsi illorum maxima habenda sit ratio ad admittendum ad honores ecclesiasticos, ben eficiaq; & ministeria Ecclesiastica, & vt testibus non tanta fides habeatur, quando laborant aliqua tali infamia.

Infamia in quibus euentibus per sententiam incurritur, aut intrueniente aliquo ad iudicium attinente.

Disp. 9.

SVMMARIVM.

1. *DAmnatus à iudice competente de crimine publico, sumpto crimine publico, vt à priuato distinguitur, infamiam iuris incurrit: non vero damnatus à iudice incompetente.*
2. *Ex sententia arbitri infamia non incurritur, licèt delictum sit tale, quòd si sententia à iudice ordinario esset circa illud lata, incurreretur infamia.*
3. *In Hispania si quis appellasset à sententia arbitri, ob quam, si lata esset a iudice ordinario, incurreret*

ret infamiam, tunc si confirmaretur à iudice ad quem appellasset, incurreret infamiam.

4. In euentibus in quibus infamia non incurritur nisi lata sententia, id solùm intelligitur de sententia, quæ in rem transit iudicatam, non verò de ea, quæ in rem iudicatam non transit.

5. Variæ opiniones de eo, vtrùm si aliquis via inquisitionis de crimine aliquo condemnetur, ob quod lata sententia infamia incurritur, infamiam tunc incurrat.

6. Calumniari est accusare aliquem de falso crimine scienter seu ex intentione. Qui dr calũnia est dãnatus, eo ipso quòd ita damnatus est, infamiam incurrit.

7. Si iudex instigatorem accusatoris in sententia calliditatis argueret, non incurrit instigator infamiã iuris, sed pudorem potiùs, ac proinde solam infamiam facti.

8. Quando pater filiæ defũctæ aliquem accusat, quod eam interfecisset, non incurrit infamiam: scilicet quando non malitiosè accusauit, sed tantùm ex suspicione.

9. Iuris infamiam incurrit mulier lata sententia, quæ sciens se non esse prægnantem ex marito defũcto, fecit se mitti in possessionem bonorum mariti, ratione filii, quem à defuncto marito finxit se in ventre portare.

10. Si quis damnetur, quòd prævaricator fuerit, tunc eo ipso incurrit infamiam.

11. Tergiuersator, hoc est, qui intentata accusatione circa aliquem de aliquo delicto, non ad pœnam pecuniariam ipsi applicandam, sed ad quamcunque aliam pœnam, ab accusatione desistit, non interueniente criminis abolitione, incurrit infamiam: idq; scilicet in iure communi.

12. Item damnatus de furto, rapina, iniuriis, & actione doli.

13. Quicunque damnatus est de rapina bonorum, de crimine publico est damnatus.

14. Violator sepulcri, expilator hæreditatis, incurrunt lata sententia infamiam.

15. Quando aliquis iniustè de furto damnatus est vel de aliquo alio crimine, ob quod dicitur incurri infamiam, infamis est, si sententia non reuocetur.

16. Nõ solùm infamiam incurrit is, qui re ipsa de aliquo crimine supra dicto damnatus est, sed etiam is qui pactus est, ne aliqua earum actionum accusaretur: nisi pactum ex iudicis authoritate esset factum non gratuitum, tunc enim censetur reus crimen confiteri.

17. Quando aliquis ad redimendam suam vexationem pactum non gratuitum facit, ne ipsi intentetur actio de crimine iniusto, euitat infamiam.

18. In Hispania & Lusitania non liberatur infamia, qui paciscitur ne ipsi actio intentetur. Infamiam item subit, qui ictibus, aut aliapœna publica delicto commerita, à publicis potestatibus est punitus non præcedente sententia, at præcedente delicto.

19. Aut pœna incurritur ipso facto nulla lata sententia, aut incurritur lata sententia condemnatoria, & etiam si tunc Iudex maiorem pœnam pecuniariam imponat, non euitatur infamia.

20. An deprehensus in delicto, pro quo lata sententia, aut facta transactione, pactóve non gratuito, circa illud infamia incurritur, incurrat infamiam ante latam sententiam?

21. Vt damnatus de aliquo crimine (ex quo lata sententia infamia incurritur) eam infamiam incurrat, necesse est vt dãnetur propter factũ propriũ.

22. Qui actione pro socio dãnatur, vt aliquid socio soluat ratione doli præstè sumpti, vt à lata culpa distinguitur, incurrit infamiam.

23. Qui tutelæ actione dolo interueniente dãnatur, vt aliquid minori aut successoribus illius soluat, infamiam incurrit.

24. Qui mandati actione directa damnatur, vt aliquid mandanti soluat, dolo ex parte mandatarii interueniente in eo, ratione cuius soluere mandanti id teneatur, infamiam incurrit.

25. Qui damnatur actione directa depositi, quæ ex depositio competit aduersus depositarium, si dolus interuenit, depositarius ita damnatus infamiam incurrit.

26. Ad stellionatus crimen puniendum vel criminaliter agitur, vel agitur ciuiliter circa, id in quo stellionatus crimen interuenit.

INfamia autem iuris in sequentibus euentibus, non ipso facto commisso crimine incurritur, sed per sententiam latam de eo crimine.

Primus. Damnatus à iudice competente de crimine publico, sumpto crimine publico vt à priuato distinguitur, eo ipso infamiam iuris incurrit. Licèt enim committens crimen publicũ, vt proditionis, falsi, homicidii, adulterii, aut aliud publicum, ipso facto infamiam iuris nõ incurrat, antecedente tamen sententia iudicis cõpetentis, qua de eo crimine damnetur, infamiã iuris incurrit. Ita habetur. *l. 1. §. qui in iudicio. ff. de his qui not. infam.* & apertiùs. *l. infamem. ff. de pub. iud.* & *l. 5. titu. 6. part. 7.* affirmatque communis doctorum sententia. Poterit tamẽ, qui commisit crimen publicum, ante sententiam incurrere infamiam facti, quin & qui commisit crimen priuatum, iuxta ea quæ Disp. 7. dicta sunt. Quæ autem delicta publica sint, & quæ priuata, tractatu præcedente Disp. 44. copiosè fuit explicatum, vbi multa dicta sunt, quæ hoc loco onere nos leuant. 1 A B C

Dictum est, à iudice competente: quoniam si ab incompetente esset lata in hoc & in sequentibus euentibus, in quibus lata sententia dicemus incurri infamiam, tũc damnatus de illo crimine à iudice incompetenti infamiam non incurreret, etiam si imperator eam sententiam tulisset, vt cum Baldo, Angelo, & Paulo Castrensi affirmat *Greg. Lopez. l. 5. citata. glossa. 1.* D

Itẽ ex sententia arbitri infamia nõ incurritur, estò delictum sit tale, quòd si sententia à iudice ordinario esset circa illud lata, incurreretur infamia. Ita habetur. *l. quid ergo. §. ex compromisso. ff. de his qui not. infam.* & *l. 5. titu. 6. part. 7.* Et quamuis quando crimen est publicum, aut etiam priuatum de quo criminaliter agatur, locum nõ habeat sententia arbitri, sitque omnino nulla, estò ex ignorantia, quòd sit inualida, sit lata, vt habetur. l. nõ distinguamus. *§. Iulianus. ff. de receptis arbitr.* quando tamen crimen est priuatum, & agitur ciuiliter, valida est sententia arbitri, cæterùm ex ea nõ cõtrahitur infamia, estò, si lata esset à iudice ordinario, ex illa contraheretur infamia in euentibus explicatis, atq; id est, quod habetur. §. ex compromisso citato. Ait verò *Greg. Lopez. l. 5. citata. verb. de auenencia*, cum aliis quos citat, ex tali sententia arbitri infamiam non incurri, estò in compromisso fuisset expressum, quòd ex ea sententia infamia incurreretur, & estò sententia esset emologata, iuxta ea quæ 2 E

tractatu 2. Disput. 556. dicta sunt.

3 Ibidem tamen quærit, num in hoc regno, in quo. *l. 4. titu. 21. lib. 4. nouæ collect.* sancitum est, vt sententia arbitri, aut arbitratoris, si lata sit de contentis in compromisso, & intra tempus in eo concessum mandetur exequutioni, infamia incurratur in euentu, in quo si ea sententia lata esset à iudice ordinario, ea damnatus infamiam incurreret. Atque citat Bart. pro parte affirmante, quòd scilicet stante tali statuto, infamia incurratur. Et pro contraria parte, quòd scilicet tunc infamia non incurratur, citat Panormitanum, in hanc quæ sententiam ipse propendet. Quoniam tale statutum non tribuit iurisdictionem, sed, ad obuiandum incommodis, tribuit solùm effectum exequutionis: neque id statutum ad alium effectum est extendendum, quàm ad eum, quem concedit: maximè quando effectus est odiosus & pœna, vt est infamia. Neque credo Bartolus contrarium diceret attenta lege illa huius regni, quæ nihilominus concedit damnato ab arbitro appellationem ab ea sententia, dicereque de nullitate, & nihilominus non impediri eam exequutionē. Et fortasse in hoc regno, si quis appellasset à sententia arbitri, ob quam, si lata esset à iudice ordinario, in remque transisset iudicatam, incurreret infamiam, tunc, si confirmaretur à iudice, ad quem appellasset, incurreret infamiam: quoniam, vt ex lege 4 citata constat, is iudex futurus est ordinarius, ac proinde iam tunc ille damnatus esset à iudice ordinario circa id, circa quod, sequuta sententia iudicis ordinarii, infamia incurritur.

4 In euentibus, in quibus infamia non incurritur nisi lata sententia, id solùm intelligitur de sententia, quæ in rem transit iudicatam, non verò de ea, quæ in rem iudicatam non transit. Vnde, si à sententia, quæ, si transiret in rem iudicatam, induceret infamiam, appellatum fuerit intra tempus ad appellandum concessum, tunc ad effectum vt incurratur ea infamia iuris, perinde est ac si extincta esset ea sententia, nunquamq; lata fuisset: quoniam, estò à iudice, ad quem fuit appellatum, confirmetur, deueniaturque tandē ad sententiam, quæ in rem transeat iudicatam; infamia tamen illa iuris solùm incurritur vi sententiæ, quæ in rem transit iudicatam, & non vi antecedentis sententiæ, estò sequatur confirmatio illius, pronuncieturque malè ab illa prima fuisse appellatum; eaque de causa infamia illa incurritur à puncto latæ vltimæ sententiæ, quæ in rem transit iudicatam, nec retrotrahitur vt incurratur à puncto primæ sententiæ: quare si is, qui ita condemnatur, testimonium adhibuisset tempore intermedio inter primam sententiam, à qua fuit appellatum, & vltimam, quæ in rem transiuit iudicatam, validum esset testimonium, neque inualidaretur, quia præstitum ab infami iuris infamia; eo quòd neque iuris fictione per retrotractionem fuisset ille intermedio illo tempore infamis ea infamia, sequuta postea sententia, quæ in rem transiret iudicatam. Ita habetur. *l. furti. §. 1. ff. de his qui not. infam.* & consentit. *l. 1. §. vlt. ff. ad senat. consul. Turpill. & l. 6. titu. 6. part. 7.* iuncto *Gregorio Lopez ibi*, verb. *el enfamamiento*. Neq; in re proposito locum habet illa regula, quòd pendente appellatione nihil innouetur, & quòd, si aliquid innouatum A fuerit, sit inualidum: quoniam id intelligitur de iis, de quibus erat lis, & de quibus directe lata est sententia: infamia autem de qua loquimur consequitur sententiam, non quamcunque, sed quæ in rem transit iudicatam: quare cùm nondum adfuerit talis sententia, nondum fuit ille infamis, ac proinde validum est testimonium, quod illo tempore is dedit, vtpote datum à non infami tūc ea infamia, etiam iuris fictione. Infamari tamen posset & extenuari posset id testimonium ex eo, quòd ille iam tunc infamis esset infamia facti, maximè accedente illa sententia, iuxta ea quæ Disput. 7. de infamia facti dicta sunt. Quando tamen lata fuit sententia, à qua potuit appellari, B tunc, si non appelletur ab ea intra tempus ad id à iure concessum, transeatque proinde ea sententia tempore illo elapso in rem iudicatam, retrotrahitur infamia, vt censeatur incursa à pūcto latæ sententiæ, vt expresè habetur. l. furti. §. 1. citato: quoniam vi sententiæ ipsius iam latę incurritur infamia, atque à puncto, quo fuit lata, dependenter tamen ex eo, quòd ab ea non appelletur intra tempus ad id à iure concessum, tanquam à conditione sine qua, vt ea sententia non transiret in rem iudicatam, ita effectus infamiæ ab illo puncto censeretur sequutus. Quare si in eo euentu, in quo appellatum ab ea sententia non fuit intra tempus à iure C concessum, medio illo tempore ita condemnatus testimonium præstitit, transeunte ea sententia in rem iudicatam, inualidum redditur, vtpote latum à iam infami. Quę dicta sunt de sententia, quando ab ea appellatū non fuit intra tempus ad appellandum concessum, similiter sunt intelligenda, quando fuit quidem appellatum intra id tempus, sed deserta fuit appellatio, eaq; desertione sententia, à qua fuit appellatum, transiuit in rem iudicatam; tunc enim condemnatus ea sententia, à qua appellauit, censetur infamis à puncto latę sentētię, à qua appellauit: quoniam reputatur ac si non appellasset. Ita habetur. *l. 6. titu. 6. part. 7.* iuncto *Gregorio Lopez ibi* verb. *fincaria infamado porende*.

Dubium est, vtrùm si aliquis via inquisitionis 5 de crimine aliquo condemnetur, ob quod lata sententia infamia incurritur, infamiam tunc incurrat. *Greg. Lopez. l. 5. citata glos. 2.* hoc dubium mouet, & citat glossam. *l. 3. §. præterea. ff. de suscip. tutor. & Bartolum & alios*, ad quos circa id dubium remittit, nec illud definit Iulius *Clarus lib. 5. sent. §. vlt. q. 72. n. 3.* idem dubium etiam mouet, relatis autoribus in vtramque partem: atque ipse propendet, infamiam incurrere, quando esset præsens & auditus: secùs autē quando aut esset absens, aut præsens non esset auditus, neque seruata essent seruanda. Dicerem, quando patefacto delicto via inquisitionis, intentata fuisset accusatio aduersus reum, aut iudice ex suo officio procedente aduersus illū, intentata similiter esset aduersus illum accusatio, illeque condemnatus esset sententia, quæ in rē transiret iudicatā, incurrere infamiam, estò ille absens esset, atque ob suā cōtumaciā, quòd accedere non vellet ad se defēdendū, esset cōdēnatus. Si verò accusatio aduersus illum intentata non esset, sed iudex ex officio, sine accusatione ac defensione illius, illum damnaret, aut remouendo illum à tutela, aut alia ratione, tunc infamiam iuris non incurreret: id tamen adiumento esset vt incurreret

infamiam

infamiam facti, de qua Disp. 7 habitus est sermo. Atque in hoc euentu, quando scilicet iudex ex officio remoueret dolosum tutorem à tutela, propterea quòd constaret eum infideliter ac malè illam administrare, ait glossa illa citata, fortè tutor ille infamiam non incurreret, lata sententia à iudice ex suo officio, qua illum à tutela remoueret.

6 Calumniari, vt habetur *l. 1. in prin. ff. ad senat. consul. Turpil.* est accusare aliquem de falso crimine scienter, seu ex intentione: qui enim sciens aliquem innocentem esse de aliquo crimine, aut nesciens aliquem crimen aliquod commisisse, de eo illum accusat, aut denunciat, præsumitur intendere falsò de eo crimine illum accusare, aut denunciare, eoque ipso calumniæ crimen incurrit. Hoc posito. Secundo loco, qui de calumnia est damnatus, eo ipso, quòd ita damnatus est, infamiam incurrit. Non itaque sufficit aliquem calumniæ crimen commisisse, vt hanc infamiam incurrat, sed necesse est vt de calumnia sit damnatus: per eam enim sententiam hanc infamiam incurrit. Ita habetur. *l. in prin.* & apertiùs. *l. athletas. §. calumniatur. ff. de his qui not. infam.* Quando iudex solùm accusatori in sententia diceret, non probasti, non censeretur condemnare illum de calumnia: quando verò in sententia diceret, calumniatus est, tunc censeretur illum de calumnia condemnasse, vt habetur *l. 1. ff. ad senat. consul. Turpil.* ac proinde infamiam incurreret.

7 Lege *ob hæc verba. ff. de his qui not. infam.* ait Papinianus, si instigatori accusatoris, vt accusaret, iudex in sententia diceret; *callido commento videris accusationis instigator fuisse*; non incurrere eum instigatorem infamiam iuris, sed pudorem potiùs illius eis verbis onerari, ac proinde solam infamiam facti incurrisse, iuxta ea quæ Disput. 7 dicta sunt. Reddit verò rationem Papinianus, dicens: *Non enim, qui exortatur, mandatoris opera fungitur.* Ei autem legi contraria videtur *lex. 1. §. incidit. ff. ad sen. consul. Turpil.* Vbi & mandator, & instigator, atque exequutor de crimine calumniæ condemnantur. *Accursius. l. hæc verba. verb. irrogari*, varias responsiones adhibet. Prima, quòd lege hæc verba, sermo sit de sententia interloquutoria, & sine causæ cognitione, &. *§. incidit*, sit sermo de sententia definitiua & cum causæ cognitione, iuxta. l. quid ergo. §. *quantum. ff. de his qui not. infam.* cuius verba sunt: *Quantum ad infamiam pertinet, multum interest, an in causa quæ agebatur, causa cognitali quid pronunciatum sit,* (per sententiam scilicet definitiuam) *an quædam extrinsecus sint eloquuta,* (etiam per interloquutoriam sententiam) *nam his* (quę ita scilicet extrinsecus sunt eloquuta) *infamia non irrogatur*, iuris scilicet: poterit tamen irrogari infamia facti, iuxta dicta Disp. 7. Secunda, quòd instigator damnatus videatur calumniæ, & subinde infamiam incurrat, non quidem iuxta verba senatus consulti Turpilliani, sed iuxta mentem illius; & quòd iuxta mentem senatus cõsulti loquatur, §. incidit: Papinianus verò lege hæc verba loquatur iuxta verba senatus cõsulti, nec negare intendat, re vera infamiam incurrere iuxta mentem eiusdem senatus consulti. Tertia (quę magis explicat probanda est) quòd paragraphus incidit, vt in eo patet, non loquatur de A quocunque instigatore, sed de eo, qui accusare incepit, ac destitit, aliumque incitauit, vt eandẽ accusationem intentaret: atque hic æquè cum mandante, & cum exequutore calumniæ, condemnatus de cælumnia censeatur per verba illa; *callido commento videris accusationis instigator fuisse*, & per consequens infamiam incurrat. Papinianus verò lege hæc verba, loquatur de instigatore, qui mandans non fuit, sed tantũ consulens ac suadens, neque antea de eodem crimine accusare cæperat ac destiterat. Atque inter hunc & mandante discrimen constituat, quòd in mandante & in exequutore verba illa sententiæ sufficiant ad incurrendam iuris infamiam: in B eiusmodi verò instigatore sufficiant quidem ad incurrendam infamiam facti, non verò ad incurrendam infamiam iuris.

Lege. vltima. ff. de pub. iud. à numero damnatorum de calumnia eximitur, vt infamiam non incurrat, pater filiæ defunctæ, qui accusauit aliquem, quòd eam interfecisset, siue seruum generi mariti eius filiæ, siue aliquem liberum: idque propter coniunctionem patris cum filia defuncta, & fortasse simul propter dolorem mortis filiæ: idque intelligerem, quando non malitiosè accusauit, sed temeraria suspicione, sine vllo fundamento. 8

Tertiò loco iuris infamiam lata sententia in- 9
C currit mulier, quæ per calumniam ipsius in ventris possessionem est missa, hoc est, quæ sciens se non esse prægnantem ex marito defuncto, quia vel sciebat se prægnantem non esse, vel esse prægnantem ex alio, ita per calumniam fecit se mitti in possessionem bonorum mariti ratione ventris, filiive quem defuncto marito finxit se in vtero portare: si enim de ea calũnia cõdemnetur, eo ipso lata ea sententia infamiã incurrit. Excipitur, si de iure communi sub potestate patris aut aui erat, atque ex eorum consilio id fecit: nam tunc non ipsa, sed talis pater aut auus damnatus de ea calumnia, infamiam eam incurrit. Quòd si is pater aut auus non consulat, patiatur
D tamen eam filiam, aut neptem, vti ea calumnia, tunc & prægnans ipsa, & pater, aut auus, si damnentur de ea calumnia, eam infamiam incurrunt. Hæc omnia habentur. *l. notatur, & quatuor sequentibus. ff. de his qui not. infam. iuncta glossa ibi. l. non alia, verb. nomine.*

Prætiuaricator is dicitur, qui partem contra- 10
riam adiuuat, vt si stando à parte actoris, reum adiuuet, detegendo illi secreta causæ, aut consilio, vel si stando à parte rei, actorem adiuuet. Ita habetur. *l. 1. ff. de prætiuaric. l. prætiuaricatores. ff. de verb. signif. l. athletas. §. item prætiuaricator. ff. de his qui not. infam. & aliis iuribus.* Quarto ergo loco, si quis damnetur, quòd prætiuaricator extite-
E rit, tunc eo ipso infamiam incurrit. Ita habetur. *l. 1. in prin. & l. athletas. §. item prætiuaricator. ff. de his qui not. infam.*

Stando in iure communi, similiter quinto 11
loco incurrit infamiam tergiuersator, hoc est, qui intentata accusatione circa aliquem de aliquo delicto, non ad pænam pecuniariam ipsi applicandam, sed ad quamcunque aliam pænam, ab accusatione desistit non interueniente abolitione criminis, vel generali, vel particulari, iuxta ea quæ tractatu præcedente Disput. 46 conclus. 3. explanata sunt: si enim de ea tergiuersatione damnetur,

netur, infamiam eo ipso incurrit, vt habetur. *l. 1. & 2. C. si intra cert. temp. & l. 2. C. ad senat. consul. Turpill.* atque affirmat *glossa. l. 1. verb. qui iudicio. ff. de his qui not. infam.* Dixi stando in iure communi: quoniam, vt tractatu præcedente Disp. 46 & 47 copiosè est explicatum, neque in hoc regno, neque in Lusitania, neque regulariter in aliis, punitur aliquis eo, quòd desistat ab accusatione intentata pacto gratuito, aut transactione, vel alia ratione, ac proinde locum non habet incurri eam infamiam.

12 Sexto loco infamiam eo ipso incurrit, qui de furto est damnatus. Septimo, qui vi bonorum seu de rapina est damnatus. Octauo, qui damnatus est iniuriarum actione. Et nono, qui actione de dolo est damnatus. Tunc autem actio de dolo cõceditur, vbi interuenit dolus presè sumptus, vt à lata culpa distinguitur, fraúsve, quando nulla alia actio nec remedium ei competit, qui dolum est passus: quando enim actio alia aut remedium ei competit, quibus illi subueniatur, actio de dolo ei non competit, nec illi cõceditur, vt patet. ff. de dolo per totum eum titulũ. Quòd autem in quatuor euentibus explicatis, lata sententia, qua aliquarum actionum quis condemnetur, infamiam is eo ipso incurrat, habetur. *l. 1. in prin. & l. athletas. §. vlt. ff. de his qui not infã. l. infamem. in fine. ff. de pub. iud. & l. 5. titu. 6. part. 7.*

13 Cùm autem, vt habetur. *l. 1. ff. de pub. iud.* & tractatu præcedente Disp. 44. dictum fuit, vis publica & priuata sint crimina publica, & non priuata; atque in rapina semper vis publica aut priuata interueniat; sanè damnatus actione vi bonorum raptorum, de crimine publico est cẽsendus damnatus, ac proinde infamiam incurrit comprehensam in primo euentu hac disputatione explicato, nec ea infamia computari debuit inter infamias, quæ incurruntur lata sententia de crimine priuato, vt fit. *l. infamem.* citata, & aliis iuribus citatis, in quibus permixtim cũ infamia, quæ incurritur ex damnatione de criminibus priuatis, computatur. Hanc difficultatem mouet *glossa vlt. l. infamem.* citata. Et primò respondet, id gratia exempli esse dictum, in exemplisque non requiri veritatem. Secundò melius respondet, quòd quia aliquando reperitur rapina, locumque habet actio vis bonorum raptorũ, estò vis non interuenerit re ipsa, vt quando aliquis ingreditur domum alienam animo vim inferendi, si aliquis resistat, & furatur nemine ibi existente, qui resistat, iuxta legem si quis ex domo. ff. de furtis propter eum euentum, in quo competit actio vis bonorum raptorum, neque crimen illud est publicum, sed priuatum, incurriturque infamia, si raptor ille damnetur, infamiam incursam ex sententia actionis bonorum raptorum fuisse computatam inter infamias, quæ incurruntur lata sententia circa crimina priuata. De eo autem euentu fuimus nos loquuti tractatu. 2. Disp. 683. §. dubium est.

Licèt damnatus de furto infamiam incurrat, vt iuribus citatis, *& l. si furti. C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* constat, si tamen res furtiua apud aliquem reperta est, atque condicatur seu vendatur ex illa conditione furtiua, & sequatur sententia, non incurrit infamiam, vt habetur. *l. si furti citata*, & affirmat *glossa. l. 1. verb. qui furti. ff. de his qui not. infam.*

14 Decimò, qui damnatur actione de sepulchro violato, infamiam eo ipso lata sententia incurrit, vt habetur. *l. 1. ff. de sepul. viol. iuncta glossa 2 ibi.*

Vndecimò, qui damnatur de expila. hæreditate, eo etiam ipso incurrit infamiam, vt habetur. *l. si te expilasse. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.*

Quando aliquis damnatus esset de furto, quod 15
vere non commisisset, aut aliqua alia sententia ex iis, ob quas dictum est, & dicetur, incurri infamiam, neque tamen id crimen commisisset, de quo damnatur, infamis nihilominus esset, dum sententia non reuocaretur: quoniam sententia, quæ in rem transit iudicatam, pro veritate habetur. Ita affirmant *glossa vlt. l. athletas. §. vlt. ff. de his qui not. infam. glos. in l. non poterit. ff. de furt. glos. vlt. ff. de pub. iud. & Greg. Lopez. l. 5. titu. 6. part. 7.* verb. *feria.*

Lege. l. in prin. & l. athletas. §. vlt. ff. de his qui not. 16
infam. non solùm asseritur, eum, qui actione furti, vis bonorum raptorum, iniuriarum, aut de dolo, est damnatus, infamiam incurrere, sed etiã eum, qui pactus est, ne aliqua earum actionum accusaretur, siue pactum ea de re factum esset antequam intentata esset accusatio, siue postillã intentatam. Atque ratio redditur. l. quoniã (quæ proximè post paragraphum illum vltimum citatum subiungitur) &. l. 5. titu. 6. part. 7. *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur.* Imò verò habetur eo ipso pro conuicto de illo, vt habet iura alia, quæ tractatu præcedente Disput. 46 in calce probationis primæ partis tertię conclusionis retulimus. Id quod intelligendum in primis est, stando in iure communi, atque ad effectum vt habeatur pro confesso & cõuicto de eo crimine, intelligendum est, quo ad delicta omnia, circa quæ Disp. 46 citata ostensum est, illicitam nullamque esse transactionem stando in iure communi circa ea factam: de quorum numero non est crimen, circa quod vel non potest intentari nisi actio ad pænam pecuniaram parti applicandam, vel concessum parti est agere, si ita velit, ad eam solam pænam, nullaque alia imponetur reo pœna in bonum commune, vt esse de iure communi solet actio iniuriarum: tunc enim neque inualida neque illicita est transactio, pactumve, non gratuitum circa id delictum, quo aliquid datur aut promittitur, vt ea de re actio nõ intentetur, aut vt desistatur à iã intentata, vt ibidem ostensum est: ac proinde ex tali pacto circa id delictum infamia non incurretur, vt ibidem etiam dictum est. Quare à delictis commemoratis, de quibus iura citata docent, non solùm condemnatos de illis incurrere infamiam, sed etiam eos, qui circa illa pacisc untur, vt actio non intentetur, aut vt ab intentata desistatur, excipiẽdum est, quando actio, circa quam fieret id pactum, esset solùm pecuniaria applicanda parti, aut in potestate eius, qui illam adhuc intentare posset, si tum esset intentata re actio, ex qua reus solùm esset condemnatus pœna parti applicãda: in eo enim euentu ex pacto non incurritur infamia; cùm tamen si intentata esset ea actio, & reus ex illa fuisset condemnatus, infamiam eo ipso incurrisset. Præterea quod iura illa docent de pacto circa illa quatuor crimina, cum limitatione proximè à nobis circa id adhibita, intelligendum similiter est de simili pacto circa quæcunque alia crimina, ob quæ, si sequatur condẽnatio, incurritur infamia, quãdo ea crimina sunt talia,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

talia, vt circa ea prohibita, nullaque sit reddita transactio: si enim circa talia crimina fiat similiter pactum non gratuitum de actione ob illa nõ intentanda, aut vt desistatur à iam intentata, similiter eo ipso de iure communi incurritur infamia, sicut si, quiid crimen commisit, damnatus de illo esset, idque propter eandem rationem, vt Disp. 46, conclusione 3 citata comprobatum est. Ob quæ autem crimina sequuta condemnatione incurratur infamia, in hac Disputatione explanamus: ob quæ verò eorum de iure communi prohibita sit transactio, & ob quæ permissa sit, Disp. 46 citata copiosè fuit traditum.

Illud verò est obseruandum, quando pactum non gratuitum iudicis autoritate esset factum, vt desisteretur ab actione intentata, tunc ex tali pacto non incurri infamiam, reum ea pactione non gratuita circa id delictum censeri illud confiteri. Ita habetur *l. furti. §. qui iussu. ff. de his qui not. infam. & l. 5. titu. 6. part. 7.* Legito *Greg. Lopez* ibi verb. *sin mandado del judgador.*

17 Dubium est, vtrùm si aliquis ad redimendam suam vexationem faciat pactum nõ gratuitum, ne aduersus ipsum intentetur actio de crimine, quod verè non commisit, aut vt desistatur ab ea actione, in euentibus, in quibus dictum est ex eo pacto incurri de iure communi infamiam, quia censetur confessus id crimen & de eo conuictus, vtrùm, inquam, tunc euitet eam infamiã, si probet, se non commisisse id crimen, sed ad redimendam suam vexationem fecisse id pactum. Dicendum est cum *glossa vlt. l. athletas. §. vlt. ff. de his qui not. infam.* euitare tunc eam infamiam: id quod Disp. 46, concluf. 3 citata latiùs est à nobis ostensum.

Quod dictum est, in euentibus explicatis pacisCentem ne aduersus ipsum actio intentetur, aut vt ab ea desistatur, incurrere de iure communi infamiam non secùs atque si de eo crimine esset damnatus, intelligendum est id, de pacto non gratuito pro pecunia, aut pro alia re pretio æstimabili: non verò de pacto merè gratuito, vt si aliquis precibus, aut interuentu alicuius, aut alia ratione, merè gratuitis obtineat, vt actio aduersus ipsum non intentetur, aut vt desistatur à iam intentata: tunc enim nec pro confesso id crimen habetur, nec infamiam incurrit, vt habetur expresè l. furti. §. pactúsve. ff. de his qui not. infam. latiusque dictum est Disp. 46, concluf. 3 citata.

18 Hæc autem, quæ de pacto dicta sunt, quòd scilicet, qui in euentibus explicatis paciscitur, pro confesso crimen, circa quod paciscitur, habeatur & quòd infamiam incurrat in euentibus, in quibus si damnatus esset de eo crimine infamiam incurreret, locum non habent hodie in hoc & in Lusitaniæ regnis, in quibus tractatu præcedente Disp. 47 ostensum est, permitti etiã transactionem pactúmve non gratuitum circa crimina inter offensum, eósve, quibus incumbit prosequi illius iniuriam, & inter delinquentem, integrumque manere potestatibus publicis, nihil impediente eo pacto & remissione criminis, progredi ex officio suo ad punienda ea delicta in commune bonum: idemque dictum est esse hodie regulariter in cæteris rebus publicis.

19 Vt quædam aliã circa hactenus dicta examinemus, obseruandum est. Duodecimo infamiã illam incurrere, qui ictibus, aut alia pœna publica delicto commerita, à publicis potestatibus iussúve eorum est punitus, non præcedente sententia, præcedente tamẽ delicto, in quo ille fuit deprehensus, aut quod ille confessus est, quando id delictum erat tale, quòd si sententia adesset, qua de illo damnaretur, ipso iure lata ea sententia infamiam incurreret, iuxta ea quæ dicta sunt: ob criminis tamen notorietatem aut confessionem rei, maximè exigente id rei qualitate, aut ad id adiuuantibus aliis circumstantiis tunc concurrentibus, sine sententia alia iussus fuit ea pœna puniri, mandataque ea pœna fuit exequutioni. Ita communis doctorum sententia iuxta *l. ictus fustium. ff. de his qui not. infam. & l. fustibus. C. ex quib. caus. infam. irrog.* sancitumque est *l. 5. in fine titu. 6. part. 7.* Neque refragatur *l. nullam. C. eod. titu. quæ non incurri infamiam illam* definit, qui causa indagandæ veritatis, vt illam confiteretur, iussus est torqueri fustium ictibus: quoniã ob torturam ad indagandam veritatem infamia iuris non incurritur.

Dictum fuit; qui ictibus, aut alia pœna publica delicto commerito fuit punitus: quoniam estò delictum esset tale, vt ex illo lata sententia infamia incurreretur, si tamen propter illud pœna grauior quàm delictũ commereretur, esseruè pro eo imponi consueta, imposita esset iudicis sententia, tunc eo ipso censeretur quasi transactum inter iudicem & reum, vt pro illo excessu pœnæ remitteretur infamia, nihil impediente sententia, qua de eo delicto esset condemnatus, ac proinde tũc dãnatus ita de eo delicto infamiã non incurreret. Vt, si pœna ordinaria pro aliquo delicto, ex cuius condemnatione infamia irrogaretur, esset pecuniaria certæ bonorum partis, & iudex imponeret pro illo pœnam corporalẽ, censeretur eo ipso remississe ei delinquenti infamiam. Idem si pro eo delicto imponenda fuisset pœna minor corporalis, & imponeretur grauior. Si tamen imponenda fuisset pro aliquo delicto pœna pecuniaria leuior, & imponeretur grauior pecuniaria, non euitaretur infamia, vt si furtum manifestum, quod solùm est puniendum pœna dupli, iuxta ea quæ tractatu 2 dicta sunt, puniatur pœna quadrupli, non est censenda remissa infamia, quam lata ea sententia is fur incurrit. Censeretur verò, etiam in furto, pœna infamiæ remissa, si pœna pecuniaria commutaretur in corporalem, vel corporalis leuior in grauiorẽ corporalem. Hæc habentur *l. quid ergo. §. pœna grauior ff. de his qui not. infam. & l. in seruorum. §. vlt. ff. de pœnis*, iunctis glossis vtrobique.

Vt verò varia iura concilientur, & res hæc exactiùs intelligatur, sic arbitror distinguendũ: Aut pœna incurritur ipso facto, nulla de crimine lata sententia, & tunc siue iudex postea pro eo delicto imponat maiorem pœnam, siue minorẽ, non tollitur infamia ipso facto iam incursa ante latam sententiam, neque eam auferre cadit sub iudicis potestatem. Ita cum *Ang. Greg. Lopez l. 6. titu. 6. par. 7.* verb. *es quito el infamamiento.* Aut pœna infamiæ incurritur lata sententia condemnatoria de crimine, & tunc si iudex imponat maiorem pœnã pecuniariam, quàm imponere debebat, aut pro pœna corporali imponat pœnam pecuniariam, non euitatur infamia, iuxta dicta paulo antea ex *§. pœna grauior, & l. seruorum. §. vlt. citatis.* Excipe, nisi pœnam pecuniariam imponeret loco corporalis grauioris, quia circumstantiæ

ſtantiæ minuerent delictum, ex quibus id delictum non iudicaretur dignũ maiori pœna, quàm ea pecuniaria: nam tunc, iuxta ea, quæ mox ſubijciemus, cenſeretur remiſſa infamia. Quando autem iudex ſine rationabili cauſa pro pœna pecuniaria, quam deberet imponere, malè imponit pœnam corporalem, aut cùm imponere deberet pœnam corporalem minorem, imponit maiorem manifeſtè, tunc iuris ipſius interpretatione cauſetur remittere, vt infamiã ea criminis condẽnatione nõ incurrat, commutata infamia in illo augmento pœnæ, iuxta duo illa iura citata *l. ſi Poſidonia. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. qui cum vna. §. ad tempus ff. de re mil. l. ordine. ff. ad municip. & l. 6. titu. 6. part. 7.* Quando autem iudex ex rationabili cauſa auget pœnã, ſubdiſtinguendũ eſt. Quoniam vel id fecit, quia circunſtantiæ concurrentes augent culpã delicti, augendoq; pœnã, imponit eam commenſuratã delicto, & tunc nõ cenſetur commutare infamiã in id augmentum pœnæ, ac proinde ita punitus maiori ea pœna nõ excuſatur ab infamia. Vel id facit in bonũ commune, vt quando ob multitudinẽ graſſatorũ, aut aliter delinquentium, augetur pœna, & tunc augmentũ id pœnæ eſt in commutationem pro infamia, iuxta iura citata, ac proinde ita damnatus ac punitus infamiã non incurrit, vt rectè *Greg. Lop. l. 6. citata gloſ. penul.* ait. Si autẽ iudex minuat pœnã ſolitam pro eo delicto imponi, tunc vel illud facit ſine rationabili cauſa, & tunc punitus ita minori pœna nõ euadit infamiã, ſiue ex ignorantia ſiue ex malitia id efficiat, iuxta *l. diuus. ff. de iniur. conſentit. l. 6. tit. 6 part. 7. allis verbis, por alguna razon derecha,* & habetur apertè *l. ord. ff. ad municip.* vel id facit ex rationabili cauſa. Siquidem ſi id faciat, quia attenta qualitate puniẽdi, vt quia eſt perſona nobilis, tanta pœna in eo eſt ea minor corporalis, aut pecuniaria loco corporalis, quanta in ignobili eſt pœna maior, tunc infamiam incurrit: quoniã delictũ ad æqualitatem atq; iuxta iuris diſpoſitionẽ eo modo punitur, neq; eſt cur infamia cenſenda ſit remiſſa. Si verò pœnã minuat, quia circunſtãtiæ minuunt culpã, vt quia non ex dolo cõmiſſum fuit delictum, vel quia delinquẽs erat minor, vel quia ex aliqua alia circunſtantia extenuatur adeò culpa, vt minori pœna, quàm ordinaria, aut quàm imponi cõſueta, prudentis arbitrio puniri debeat id delictũ, tunc damnatus ita de eo crimine & punitus ea leuiori pœna infamiã nõ incurrit, vt habetur l. etſi grauior, & *l. ſi Poſidonium. (iuxta vnã lecturam) C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. ad tempus. ff. de decurionib. & l. 6. titu. 6 part. 7.* Obſerua tamen, ſi leuior pœna eſſet impoſita, qua ad tempus relegaretur & priuaretur adminiſtratione aliqua, tunc intra id tẽpus cẽſeretur quoad id infamis: finito verò eo tẽpore, omnino finiretur infamia, iuxta. *l. ſi cũ vno. §. ad tempus. ff. de re mil. l. ordine. ff. ad municip. & l. etſi. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Quando item aliquis pœna mitiori aut grauiori deportaretur aut damnaretur in metallũ, tum quia per eam pœnã ſtatum amitteret, maneret eo ipſo infamis, vt cũ Bal. ait *Greg. Lopez. l. 6.* citata verb. *es quito del infamamiento.* Quando pœna minuitur ex circunſtantia quòd ſit ſenex, ait *Greg. Lopez. l. 6.* citata verb. *por alguna razon derecha,* illum non manere infamem. Contrarium non dubito eſſe verum: quoniam ſenex ratione ætatis non minùs fed plus delinquit: minuuntur verò illi interdũ pœnæ: quoniam aliqua pœna corporalis in illo eſt grauior, quàm maior in iuuene, iuxta ea quę tractatu præcedente Diſp. 37 dicta ſunt, vbi & Diſp. 38 & aliis antecedentibus explicauimus, ex quibus cauſis pœna minui debeat.

Nunc quærite, vtrùm deprehenſus in delicto, pro quo lata ſententia, aut facta tranſactio, pactóve non gratuito circa illud, infamia iuxta hactenus dicta incurritur, vt deprehẽſus verbi gratia in furto, incurrat infamiam ante latã ſententiam. Et ſimiliter, vtrùm confeſſus id delictu in iudicio, incurrat eo ipſo infamiã ante latã ſententiam. Pars, quæ affirmat, ſtatui videtur apertè *l. 1. in fine tit. 6. part. 7.* in vtroq; dubio propoſito. Ductíque videntur conditores eius legis ex eo, quòd is, qui pacíſcitur circa tale crimen, infamiã incurrit eo ipſo, idq; propterea quòd, vt habetur *l. quoniã. ff. de his qui not. infam.* cẽſetur tali pacto id crimen confiteri: ergo qui idẽ crimen confitetur formaliter in iudicio, multo magis illã incurret ante latã ſententiam; quo argumẽto Azo & quidã alii id affirmarunt ſtando in iure communi. Et idẽ videtur eſſe, quando reus deprehẽſus fuit in delicto, crimenq; eſt notoriũ: quoniã ea notorietas æquipollet cõfeſſioni eius criminis, neq; indiget ſententia, vt pœna pro eo crimine ſtatuta exequutioni mandetur. Contrarium tamẽ in vtroq; euentu eſt dicendũ cum Bart. Panor. & cũ communi doctorũ ſententia. Quoniã in pœnis non valet hoc argumentũ; iura diſponunt, vt qui pacíſcitur circa crimẽ, pro quo lata ſententia incurritur infamia, cenſeatur illud cõfeſſus, incurratq; eam infamiã eo ipſo ante latã ſententiam: ergo id extendendũ eſt ad eum, qui in iudicio eſt confeſſus ſuũ crimẽ, aut ad eũ, qui in eo crimine fuit deprehenſus: in pœnis enim non valet argumentũ ex paritate aut maioritate rationis, vt pœna in eo euentu ſtatuta extẽdenda ad id ſit, ad quod iure nõ reperitur extẽſa: odiaq; reſtringenda ſunt, & nõ ampliãda & extẽdenda.

Vt damnatus de aliquo crimine (ex quo ſecuta ſententia infamia incurritur) eam infamiã incurrat, neceſſe eſt, vt damnetur propter factum ſuum, & non propter factũ alienũ, cui ſuccedat, aut cuius perſonæ ipſe ſubeat ac defendat: itẽq; requiritur, vt ipſe litẽ ſuam defendens damnetur, neq; ſatis eſt, ſi per ſuum procuratorẽ ac defenſorem ipſe damnetur. Et qui in his euentibus excuſari dicitur ab infamia, damnari dicitur nomine alieno, *l. furti. §. ſi quis alieno. ff. de his qui not. infam.* Vnde ſi lite conteſtata cũ defuncto actione furti, hæres perſonã defuncti repræſentans, de furto defuncti damnetur, neq; hæres neque defunctus infamiã incurrunt. Si itẽ, in quibus euentibus locũ habet procuratorem defendere reum circa actionẽ, ex qua ſi alioquin damnatio ſequatur, incurritur infamia, ſi procurator damnetur, neq; ipſe neq; defenſus ab eo infamiam incurrunt. Si itẽ curatore aut tutore defendẽte minorẽ circa talẽ actionem, damnatio ſequatur, nec minor, nec curator, aut tutor, infamiam incurrunt. Hæc omnia habentur *§. ſi quis alieno citato.* Hinc ſi ob delictũ mancipii intentata ſit noxialis actio cum domino illius, vt ob furtũ mancipii, & lite cũ domino conteſtata, moriatur dominus relicto mãcipio hærede ac libero, ſequaturq; condẽnatio poſt mortẽ domini, nõ incurrit id mancipiũ infamiã ex ea condemnatione: quia non nomine proprio, ſed nomine domini,

cum

cum quo lis fuit contestata, & cuius personâ ipse tanquam hæres illius repræsentat, damnatur: cùm tamen damnetur ob factum suum, atque si lis cum ipso esset cæpta, aut incipiatur, (vt glossa lege citanda ait) & damnetur ipse suo nomine proprio, infamiam incurrat. Ita habetur l. seruus. ff. de his qui not. infam.

22 Decimo-tertiò, qui actione pro socio damnatur, vt aliquid socio soluat ratione doli præsè sumpti, vt à lata culpa distinguitur, infamiam incurrit. *Ita habetur l. 1. in prin. vers. qui pro socio, iuncta glossa ibi. ff. de his qui not. infa. & l. 5. titu. 6. part. 7.* Cùm autem mortuo vno sociorũ societas dissoluatur, ac proinde cõtractus ille ad hęredes nõ transeat, etiam si pactũ fuerit appositũ vt ad hæredes transiret, nisi quando societas esset circa vectigalia, aut circa alias res publicas conductas, appositũq; fuisset pactũ vt ad hæredes transiret, hæresq; idoneus esset, vt tractatu 2 in calce Disp. 412 & Disp. 414 hæc omnia ostensa fuerunt; inde est consequens, vt estò hæres alicuius sociorum damnetur ex societate cũ defuncto cõtracta ob dolũ defuncti circa illã commissum, aut ob suũ cõmissum post dissolutã societatẽ in absoluẽdis, quæ cæpta erant tempore socii defuncti, ad quæ hæres tenetur, vt locis citatis comprobatum est, vel in ratione reddenda, & diuidendis bonis societatis, tunc tales hæres infamiã non incurrat: quoniã vel non damnatur nomine proprio, sed defuncti, hoc est, ob factũ cum dolo in societate per defunctũ, & non per ipsum hæredem; vel si damnetur ob factum cum dolo ab ipso hærede, nõ damnatur vt socius; eo quòd ipse socius tunc nõ esset, sed vt gestor loco defuncti, viceq; illius subiens, eorũ, quæ ad extrinsecũ societatis complementũ necessaria sunt: in quo euẽtu dãnatus infamiã nõ incurrit. Atq; hoc est, quod habetur ac asseritur *l. furti. 8. illud planè. vers. non planè. ff. de his qui not. infam.* In euentu autẽ illo, in quo societas trãsit ad hæredẽ, si postquã ad ipsum transiuit, aliquid circa societatẽ ipse dolosè cõmisit, actioneq; pro socio de eo dãnetur, tunc quia vt socius id delictũ circa societatẽ commisit, infamiã incurret: neq; de hoc raro euentu est sermo versiculo citato. Idẽ dic, si tacito aut expresso cõsensu cõtinuetur societas inter hæredem & alios socios, iuxta ea quæ Disp. 414 citata dicta sunt, & post ita continuatam seu de nouo tacito aut expresso consensu initam societatem aliquid dolosè efficiat, actioneque pro socio condemnetur: quoniam iam vt socius verus, & non vt hæres prioris socii defuncti, condemnaretur.

23 Decimo-quartò, qui tutelę actione dolo interueniente damnatur, vt aliquid minori, aut successoribus illius, soluat, infamiã incurrit. Ita habetur *l. 1. vers. citato. ff. de his qui not. infam.* iuncta eadem *glossa ibi. §. suspectus autem remotus. inst. de susp. tutor ib.* cuius verba sunt: *Suspectus autẽ remotus, si quidem ob dolum famosum est*, (id est, infamiã incurrit) *si ob culpam, non aquè. & l. 5. titu. 6. part. 7.* Et quia hæres tutoris tutor non est, sed solùm tenetur ad debita tutoris defuncti, & ad rationem tutelæ defuncto iniunctæ reddendam, vtiq; siue ob dolũ defuncti damnetur, siue ob suum proprium circa rationem tutelæ defuncti reddendam, restituendisq; bonis minoris, infamiã non incurrit, sicut etiam de hærede socii paulo antea dictum est. Atque hoc etiam est, quod de hærede tutoris habetur ac docetur *l. furti. §. illud planè.*

A *vers. non tamen. ff. de his qui not. infam.*

Quando aliquis aliquid alicui mandauit, tunc ratione mandati à mandatario susceptí cõpetit mandanti actio mandati directa aduersus mandatariũ: & mandatario competit aduersus mandantẽ actio mandati contraria, quam iura vocãt, vt tractatu 2. Disp. 549. §. quamuis, dictũ est, vbi explanatũ est, ad quæ actiones illæ se extendant. Illud itẽ obserua, quando aliquis fidei iubet pro alio, tunc contractus, quo is alicui se obligat pro alio, est fidei iussio comparatione eius, cui ita pro alio se obligat, si ad petitionem eius, pro quo se obligat, id efficiat, vel eo id sciẽte & tacẽte, habet rationẽ mandatarii vt pro ipso ita fidei iubeat, & B is, pro quo ita fidei iubet, comparatione huius habet rationem mandantis: vnde is, pro quo hic fidei iubet, tenetur huic actione mandati contraria, vt tractatu 2. Disp. 539. §. illud est, explanatum relinquimus.

His ita cõstitutis, decimo-quintò, qui mandati 24
actione directa damnatur, vt aliquid mandanti soluat, dolo ex parte mãdatarii intercueniente in eo, ratione cuius soluere mãdanti id dãnatur, infamiã incurrit. Ita habetur *l. 1. in prin. vers. qui pro socio*, iuncta glossa ibi, & *l. furti. §. mandati. ff. de his qui not. infam. ac. l. 5. titul. 6. part. 7.* Et quamuis ex actione mandati contraria seu indirecta, itemq; tutilæ cõtraria seu indirecta, qua minor, aut sucC cessores illius, ad aliqua tutori ex tutela tenẽtur, neq; etiã ex actione cõtraria seu indirecta depositi, (de qua depositi actione mox erit sermo) qua deponens ad aliqua tenetur depositario, etiã sequuta condemnatione ex eiusmodi cõtrariis seu indirectis actionibus, doloq; interueniente, nõ incurratur infamia, vt habetur l. 1 citata versiculo citato *l. furti etiam* citata. §. *contrario iudicio.* (in actione autem pro socio, cùm æquales eiusdẽq; rationis & appellationis sint socii, non ita distinguuntur actio directa & contratia seu indirecta) quamuis, inquã, hæc ita sint, excipitur tamen in actione mandati indirecta sequens euentus. Si enim aliquis fideiussit pro alio, ac soluit loco D eius, pro quo fideiussit, cõueniatq; illum postea actione mãdati indirecta, & ille condẽnetur, interueniente dolo ex parte mãdantis, qui ita condẽnatur, infamiã incurrit ita dãnatus actione illa indirecta. Ita habetur *l. furti. §. mandati. ff. de his qui not. infam.* vbi hic solus euentus excipitur ab actionibus omnibus contrariis seu indirectis.

Et quoniam, vt tractatu 2 in calce Dis. 552 ostẽdimus, contractus mãdati, re integra, nõ expirat morte mãdatarii, sed transit ad hæredẽ, qui tanquam verus mandatarius potest mandare exequutioni ac prosequi idẽ mandatũ; inde est cõsequens, quòd si hæres dãnetur actione mandati directa ratione eius, quod dolo ipse fecit in exeE quutione mãdati, aut ratione eius, quod dolo omisit in exequutione eius mãdati, damnetur nomine proprio quo ad id, ac proinde infamiam incurrat, secùs autem si damnatus ex eo, quod mandatarius defunctus dolo fecit aut omisit. Atque hoc est, quod habetur *l. furti. §. illud planè. ff. de his qui. not. infam.*

Decimo-sextò, qui damnatur actione directa 25
depositi, quæ ex depositio competit aduersus depositarium, si dolus interuenit, depositarius ita damnatus infamiam incurrit. Secùs si deponens actione depositi contraria seu indirecta damnetur. Ita habetur *l. 1. in prin. vers. qui pro socio*, iuncta

glossa ibi *& l.furti.§.contrario iudicio.ff.de his qui not.infam.& l.5.titu.6.part.7.* Et quoniam contractus depositi trãsit etiam ad hæredẽ depositarii, vtiq; si hæres damnetur actione depositi ob id, quod dolo ipse facit aut omisit, postquã depositarius esse cæpit, damnatur nomine proprio, ac proinde infamiã incurrit: secùs autẽ si damnetur ob id, quod dolo fecit aut omisit depositarius defunctus, cui ipse in depósito successit. Et hoc est, quod habetur *l.furti.§.illud planè.ff.de his qui not. infam.*

Circa quatuor actiones directas, pro socio scilicet, tutelę, mandati, ac depositi, de quibus dictũ est, damnatũ ex illis, si solus interuenit, infamiã incurrere, obserua, cùm actiones ex contractu sint, & non ex delicto, esto, qui illis conuenitur, aut conueniri timet, pactũ non gratuitũ, nec cõueniatur, aut vt ab actione cessetur, celebret, nõ incurrere infamiã: sicut de iure communi eam incurrit, qui simile pactũ celebrat circa eã actionem ex delicto, ex qua si damnetur aliquis, infamiam incurrit: atq; ea ratione *l.1.in prin.ff.de his qui not.infam.* commemoratis actionibus ex delicto, ex quibus si aliquis damnetur, infamiã incurrit, addidit, idem esse, si pactũ non gratuitum ne accusetur, aut vt desistatur ab accusatione, circa illas celebrat: cõmemoratis verò quatuor aliis actionibus ex contractu, nihil tale adiecit. Quòd autem causa eius discriminis sit, vnas actiones esse ex delicto, & alias ex contractu, subiungit *l.in actionibus.ff.eod.titu.* dicens: *In actionibus, quæ ex cõtractu proficiscuntur, licèt famosæ sint, & damnati notentur*, (infamia scilicet) *attamen pactus non notatur. Meritò, quoniam ex his causis non tam turpis est pactio, quam ex superioribus*, (quę scilicet sunt ex delicto.

26 Lex quid ergo. *§.vlt.ff.de his qui not.infam.* sic habet: *Crimen stellionatus infamiam irrogat damnato, quamuis publicum non est iudicium.* Cui legi contraria videtur *lex.2.ff.de crim.stellionat.* quæ sic habet: *Stellionatus iudicium famosum quidem non est: sed coërcitionem extra ordinariam habet.* De eo crimine quid sit, & quibus pænis puniatur, tractatu 2 in calce Disp. 532 dictum est. Vt verò ad concordiam duo iura citata reducantur, & intelligatur quid ea de re veritas habeat, obserua. Quando interuenit stellionatus crimen, vel posse agi criminaliter ad puniendũ crimẽ ipsum stellionatus vel ciuiliter circa id, in quo stellionatus crimen interuenit. Si agatur criminaliter ad delictũ ipsum stellionatus puniendum, tunc damnatus de eo crimine ac punitus infamiã ea de causa nõ incurrit: quoniã id crimẽ publicum non est, neq; de numero priuatorum, ob quæ, si quis de illis, infamia incurritur, vt cõstat *l.infa.ff.de pub.iud.* & ex hactenus dictis liquet. Atq; de crimine stellionatus, quando criminaliter accusatur, loquitur *l.2.ff.de crim.stellionat.* quæ negat damnatũ de eo crimine infamiã incurrere. Quãdo autẽ interuenit crimen stellionatus, & agitur ciuiliter circa id, in quo id crimẽ interuenit, tũc si agatur actione, de qua damnatus aliquis infamiam incurrit, iuxta ea quæ proximè dicta sunt, infamia incurritur interueniente stellionatus dolo: atq; in hoc euentu loquitur lex *quid ergo.§. vlt.* relato. Si verò agatur actione, de qua damnatus aliquis, etiam si dolo interuenerit, infamiam non incurrit, tunc vtiq; estò crimen stellionatus interuenerit, qui ita fuerit damnatus, infamiam non incurrit. Exemplũ est, quando aliquis, cùm primò non haberet rẽ aliquã vni creditori obligatam, illum sciens & prudens alteri etiam obligauit, quæ tamen res non sufficiebat vtriq; debito inde soluendo: tunc enim si secundus creditor agat ciuiliter aduersus eum debitorẽ, qui id crimen stellionatus commisit, contraria pignoratitia actione, vt vel statim sibi aut priori creditori soluat debitũ, ita vt ipsi sit satisfactũ, aut obligata sibi soli maneat ea res, soluto debito priori creditori, vel vt sibi rem aliam pro suo dębito obliget, isq; debitor ea contraria pignoratitia actione damnetur, vt vnũ illorũ trium posteriori creditori præstet, iuxta *l. tutor. §. contrarium ff. de pignorat. act.* & ea quæ Disp. 532 citata dicta sunt, sanè debitor ille ita damnatus infamiam non incurret: quoniam ea actio non est de numero earum ciuilium actionum, ob quas si aliquis earum aliqua damnetur, infamiam incurrat, etiam si dolus in ea re interuenerit, ob quam ea ciuilis actio competit.

De infamia, quam incurrunt, non solùm committentes crimen læsæ maiestatis diuinę aut humanæ, insequentes hostiliter cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut manus violentas in eos injicientes, fautores & cooperatores ad ea crimina prædictis omnibus, sed etiam eorum filii aut etiam nepotes, dictum est tractatu 2 Disp. 658, & tractatu 3 Disp. 65.

De abolitione infamiæ restitutioneq; infamis in pristinum statum. Disp. 10.

SVMMARIVM.

1. *NOn est in potestate principis, vel alterius, infamiam facti quo ad existimationem, quam alii de te concipiunt, abolere non solum efficiendo, vt concepta non fuerit, sed etiam illam ab aliorum cordibus amouendo.*
2. *Remittere infamiam iuris aut facti, quoad ea ad quæ impedit, Princeps qui non habet superiorem potest & respublica, quæ non agnoscit superiorem: & item Princeps qui alteri feudatarius est.*
3. *Summus Pontifex summus in temporalibus, comparatione eorum qui sibi in temporalibus sunt subditi, remittit infamiam.*
4. *Clericum, qui infamiam incurrit, famæ restituere ad Põtificem summum spectat, non ad Principem secularem.*
5. *Cardinales infamiam remittere non posunt.*
6. *Episcopus directè non remittit infamiam: indirectè verò in euentu in quo dispensare potest, vt nihil impediente delicto, ob quod in causa est infamia.*
7. *Quando aliquis delictum commisit, ob quod infamiam iuris incurrit, tunc Princeps remittens crimen aut pœnam criminis, solùm censeretur illud remittere quo ad pœnã, non verò abolere infamiã.*
8. *Quando Princeps crimen remittit ante latam sententiam contra eum qui deliquit, tunc censetur ei omnis pœna condonata, & in pristinum statum restitutus.*

INfamiam facti quo ad existimationẽ, quam 1 alii de aliquo concipiunt, siue iustam causam id ita concipiendi atque existimandi de illo habeant, siue non, non in potestate principis aut alicuius alterius illam abolere, non solùm efficiendo vt accepta nõ fuerit, cùm ad præteritum

potentia

potentia nõ sit, sed etiam illã amouendo ab alio-
rum cordibus ac mẽtibus. Atq; in hoc sensu (re-
ferente id *Gratiano.2.q.3.post.c.Euphemiũ.§.*hinc
colligitur) dixit Gelasius: *Quanquam animas per
pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abo-
lere non possimus.* In eodemq; sensu *l.6.titu.6.part.
7.* simile quid dixit, illudq; idem tradit *Panor. c.
cum te.n.9.* de sentent. & re iud. Potest tamen po-
testas publica per sententiã declarare, contrariã
habere rei veritatẽ, vt homines contrariã de illo
habeant existimationem, aliaq; media ad id po-
terunt adhiberi, quæ interdũ effectũ sortientur,
& interdum illum non sortientur. Item infamia
facti, siue iustè siue iniustè fuerit cõcepta, ad ef-
fectũ, vt in futurum ad dignitates obtinendas &
ad alia non noceat, mutatione morũ, ad meliorẽ
frugem se recipiendo, iusteq; ac piè viuendo, tã
quo ad id de quo erat ea infamia, quã quo ad alia,
aboleri ac tolli potest, ita vt, qui antea infamis e-
rat & habebatur, infamis deinceps nõ cẽseatur.
Neq; de abolitione huius infamię est nobis præ-
cipuè hoc loco sermo. Tametsi effectũ etiã huius
infamię, quatenus illa impedit ad dignitates ob-
tinẽdas, & ad similia alia, abolere ac tollere prin-
ceps possit, sicut & infamiã iuris, vt subjiciemus.

2 Remittere infamiam iuris, aut etiã facti quo ad
ea, ad quæ impedit, non solùm ad principẽ, qui
superiorẽ nõ recognoscit, spectat, atq; adeò spe-
ctat similiter ad rempublicã, quæ non recogno-
scit superiorẽ *l.1.§.eum qui.vers.de qua autẽ. ff.de
post.l.si qua mulier. C.ad Tertull.l.imperialem. C.de
nupt.l.6.titu.6.part.7.* & tradit *Panor. c. cùm te de
sent. & re iud.a.n.10.* iuxta textũ ibi, & doctores
communiter. Et quamuis quondã id etiam spe-
ctaret nõ solùm ad imperatorẽ, sed etiã ad sena-
tum Romanũ, qui leges etiam condere poterat,
vt constat vers. *de qua autem citato:* senatus tamẽ
principũ vt hodie habent potestatem condendi
leges, sic neq; hæc alia potestas solet eis à princi-
pibus concedi. Inferiores autẽ, siue summi Pon-
tificis ad spiritualia, vt legati à látere ac nuncii,
siue principũ secularium, non habent potesta-
tem remittendi infamiam, nisi eis à principibus
summis fuerit concessum, & quantum præcisè
fuerit illis concessum.

Princeps, qui feudatarius alteri est, vt Rex
Neapolitanus summo Pontifici, & alii similes, si
regnũ aut alium principatũ acceperunt ad illud
omnino administrandũ siue dependenter ab il-
lo, cui sunt feudatarii, aut cum ea potestate, re-
mittere infamiam possunt, vt ex se est notissimũ.
Vtrùm autem principes alii, qui superiorẽ reco-
gnoscunt, præscribere possint potestatẽ remit-
tendi infamiã. Dicendũ est, eã posse præscribere
tempore de cuius initio nõ extet memoria: sicut
& potestatẽ imponẽdi tributa eodẽ tẽpore potest
præscribere, vt tractatu 2 Disp. 666 dictum est.

3 Summus Pontifex cùm eorum comparatione,
qui sibi in temporalibus sunt subditi, supremus
sit temporalis princeps, vt sunt alii Reges, super-
iorẽ in temporalibus non recognoscentes in
sibi subditos, dubium non est, posse illis remit-
tere infamiam, non solùm quatenus illa impedi-
mento illis est ad spiritualia ac ecclesiastica, sed
etiam quatenus est illis impedimentum ad tem-
poralia. Quo ad reliquos verò, qui sibi non sunt
subditi in temporalibus, dicendum est, nõ posse
ab illis tollere infamiam ad ea, quæ ad suam iu-
risdictionem spiritualem; non spectant sed ad

principes seculares, quorum sunt in temporali-
bus subditi, id attinere. Excipitur, nisi id necessa-
rium multum esset ad finẽ spirituale, neq; præstò
esset id efficere princeps illius in temporalibus:
nam tunc posset, iuxta ea quę tractatu *2.Disp.29,
171, & 172* dicta sunt de legitimatione ad tempo-
ralia: est enim vtrobique eadem ratio, eaq; de
causa hac de re non plus dico, consentit quo ad
hæc omnia communis doctorũ sententia, quam
refert ac sequitur Panor. c. cùm te citato, n.10.

4 Clericum quemcunq;, qui infamiam incurrit,
cùm de iurisdictione sit summi Pontificis, & nõ
principis secularis, in quacunq; republica secu-
lari ille degat, restituere famæ spectat ad sum-
mum Pontificẽ, non verò ad principem secula-
rem: restitutusq; à summo Pontifice, desinet sim-
pliciter & absolutè esse infamis. Si summus Pon-
tifex ab aliquo laico, ad alterius principis secu-
laris iurisdictionẽ attinente, infamiam tollat, vt
ad sacros ordines ascendat, quod licitè potest ex
rationabili causa efficere, tunc ille sacris ordini-
bus initiatus per accidens, amittet infamiã sim-
pliciter & quo ad omnia: quoniam eo ipso, quòd
sacris ordinibus est initiatus, ad iurisdictionem
solam ecclesiasticam spectat: & qui iam ad eum
altiorem ac digniorẽ statum ascendit, & à quo
quoad id sublata est infamia, integræ famæ sim-
pliciter censetur. Ita Panor. vbi suprà *num. 11. &
Sylvest. verb. infamia. n. 17.*

5 De collegio Cardinaliũ num remittere pos-
sit infamiam, quando illã remittere posset sum-
mus Pontifex, neganter est respondendũ, quãdo
Sedes Apostolica non vacat. Neq; enim colle-
gium illud iurisdictionẽ habet, vt illam habebat
senatus Romanus tempore Imperatorũ, in quo
perseuerabant aliqua ex iis, quæ vt reipublicæ li-
bere quo ad capita illi senatui cõueniebant, an-
tequam idem senatus ac respublica subjicerẽtur
imperatoribus, de quorũ numero erant potestas
condendi leges ac remittendi infamiã. Tempore
etiam sedis vacantis remittere similiter nõ po-
test infamiam collegium Cardinalium, nisi bo-
num ecclesię in aliquo euentu efflagitaret, vt an-
te electionem summi Pontificis alicui infamia
remitteretur: quod rarò aut nunquam eueniet.
Ita *Panor.* vbi suprà *n.12 & 13.* & alii, quos citant.

6 De Episcopo est dicendum, directè remittere
non posse infamiam: indirectè verò in euentu,
in quo dispẽsare potest, vt nihil impediente de-
licto, ob quod incursa est infamia, vt, verbi gra-
tia, nõ impediente adulterio, de quo aliquis cle-
ricus fuit damnatus, eaq; de causa depositus, in-
famiãq; incurrit, ministret sanè eo ipso quo ita
cũ illo dispẽsat, remittit illi indirectè infamiã ex
tali adulterio contractã. Ita *Panor.* vbi suprà *n.15.
Sylvest. verb. infam. n.16.* & doctores cõmuniter.

7 Obserua, quando aliquis delictũ commisit, ob
quod infamiam iuris incurrit, tunc ex eo, quòd
princeps diceret, remitto id crimen aut pœnam
talis criminis, solùm censeretur illud remittere
quo ad pœnã, non verò censeretur abolere infa-
miam ob illud incursam, neq; item condonare
bona ob illud ad fiscum delata ac confiscata, vt
tractatu præcedente Disp. 48 copiosè dictũ est:
quod intellige, nisi aliud adderet, vnde intelli-
geretur abolere infamiam incursam, aut nisi ex
circunstantiis concurrentibus perspicuè intelli-
geretur abolere etiam infamiã, restituereq; illũ
in pristinũ statum quo ad famã. Quòd autẽ in re-

missione criminis facta à principe, si aliud nõ exprimatur, aut si aliunde non intelligatur fuisse mentẽ principis, infamiã quoq; remittere, non censeatur facta remissio infamiæ incursæ, neq; condonatio bonorũ ad fiscum delatorũ, habetur *l.vlt. C.de generalib.abol. l. generalis. C.de sen.passis*, cõcinit *l.ad tempus. C.ex quib.caus.infa.irrog.* Lege alia iura, quæ Disp.48 citata addidimus, & alia, quæ ibi dicta sunt. Neq; refragatur *l. cum indulgentia. C.de sent.pas.* Quoniã ibi non est sermo de infamia, sed de pœna cõfiscationis, quæ specialiter fuerat remissa, concedendo dãnato illi proprios lares. Fortasse ratio, cur in remissione pœnæ nõ intelligatur abolitio infamiæ, est: quoniã nota infamiæ nõ videtur propriè pœna, quoniã pro aliquibus criminibus ea nota incurritur ipso facto sine sententia, neq; dependenter à sententia: in aliis verò incurritur ex sententia condemnationis de crimine, nulla facta mẽtione de infamia: quia est nota, quæ ex iuris dispositione consequitur sententiam. Quando autẽ in remissione diceretur, remitto tibi infamiã, aut restituo te in tuam famã, vel in pristinũ statum, tunc abolita censeretur infamia. Quando autẽ princeps diceret, restituo te in integrum, tunc etiam infamia censetur abolita, & cõdonantur ei bona sua, si quæ erant confiscata, vt habetur *l. 1. C. de sent. pas. iuncta glosa ibi. l.1. §. cum qui. ff. de postul.* & aliis iuribus, quæ glossa illa citat. Excipitur nisi bona ad fiscum delata sint iam alienata, neq; in aliquo fiscus ex illis maneat locupletior. Fructus etiam stantes in se aut in aliquo alio, apud fiscum, sunt quoque restituendi, iuxta ea quæ tractatu 2, Disp. 575 dicta sunt. Lege quæ longè copiosiùs hac de re Disp. 48 citata dicta sunt.

8 *Lege 2.tit.32.part.7.* habetur: Quando princeps crimen remittit ante latam sententiam contra eum, qui deliquit, tunc omnem pœnam censeri ei condonatã, restitutumq; censetur in pristinum statum, in quo erat ante crimen, ac proinde remissa est illi infamia, ita vt non alia maneat, quã ea, quę in hominũ existimatione remanet, quam in potestate principis non est à mentibus illorũ auferre, ac recuperare omnia sua bona, etiam si annotata ac secrestata essent à fisco, vt dependenter à sententia ferenda ad fiscũ attinerẽt. Et quidem, quod attinet ad eam iuris infamiã, quæ nõ incurritur nisi lata sententia, nullũ potest esse dubium: quoniã cùm crimen ante latã sententiam remittatur, neq; progrediendũ iam sit ad sentẽtiam ferendã de crimine remisso, incursurus is delinquẽs iam nõ est infamiam ob illud crimen. Quòd verò attinet ad eã infamiã iuris, quæ talis erat, vt propter crimen commissum incursa iam esset independenter à sentẽtia ferenda, idẽ quoque dicendũ videtur iuxta dispositionẽ eius legis, illã scilicet censeri remissã & abolitã remisso à principe eo crimine ante latã sententiã de illo: quoniam per eã remissionẽ, qui ita deliquit restituitur ad statum ex parte principis, in quo ille erat ante delictũ commissum. Additur in eadem lege 2: Quando princeps post latam sententiam de aliquo crimine dicit, se illud remittere, aut pœnã illius, nõ id intelligere nisi de pœna corporali, ac proinde nec cẽseri remissam infamiã, neq; illi restituenda aut relinquenda esse bona fisco adiudicata, nisi princeps exprimeret, vt rederentur ei delinquenti omnia sua bona, aut nisi diceret, se restituere illũ in pristinũ statũ: nam tũc infamia censeretur ab eo abolita, reddẽdaq; illi essent omnia sua bona, quæ apud fiscũ manerent in se aut in aliquo alio, in quo fiscus factus esset locupletior: aut nisi aliud circa consumpta & alienata princeps disponeret, vt scilicet ei quoque redderentur. Tunc tamen videndũ esset, an ea etiã concedi illi, maximè alienata, expediret aut liceret: & num recompensa iis esset faciẽda, ad quos ea bona legitimo deuenissent titulo. Atq; iuxta hæc lex illa 2 intelligere ac interpretari videtur dispositiones iuris communis præcedente paragrapho relatas. Et iuxta hactenus dicta intelligenda ac exponenda est *lex.6.tit.6. part.7.* quo ad ea quæ hac de re disponit.

Lege quæ tractatu 2 Disp.624 dicta sunt, quousq; restitutus in pristinũ statũ principis gratia, in maioratum, cuius factus fuerat incapax, succedat: & quæ tractatu præcedente Disp. 48 copiosiùs dicta sunt, atq; hæc illis adiunge. Quando enim hæc scripsi, recordabar quidem me illa scripsisse, memoria tamen excidit me ea Disp.48 citata disputasse, omnia tamen consonant.

Infamia à quibus excludat inhabilemq; infamem reddat. Disp. 11.

SVMMARIVM.

1. *INfamis infamia iuris & infamia facti excluditur ab omni dignitate obtinenda.*
2. *Licèt spurii ad dignitates promoueantur, quando non est competitor idoneus, qui cum iis de ea dignitate contendat, tamen infames infamia facti ad illas non sunt admittendi: qui olim fuerint decuriones in vrbibus, & qui* regidores *modo in Hispania.*
3. *Si infamia sit iuris aut facti notoria, inualida est electio ad dignitatem: & infamis qui ita se curat eligi peccat, & puniendus est: Quando verò quis iam in dignitate constitutus esset, & tum infamiam incurreret, tunc si infamia sit iuris, amittit dignitatem: si verò infamia sit facti, non ideo amittit dignitatem.*
4. *Quando dignitas est annexa alteri rei, cuius infamis incapax non esset propter infamiam, tunc neq; per infamiam iuris amitteretur illa dignitas.*
5. *Officia, si publica sint & aliquid authoritatis habeant, non potest infamis adire, nec etiam beneficia ecclesiastica; si verò ea ad authoritatem administrantis non spectant, infamis ab iis non excluditur.*

INfamis, non solùm infamia iuris, sed etiam infamia facti, (modò tamẽ hæc notabilis ac momenti sit, quo ad id de quo agitur, vt tractatu 2, Disp. 620 in responsione ad 2 dictum est) excluditur ab omni dignitate obtinenda *l. 2.C.de dignitatib.lib.12.l.vnica. C.de infamib. lib.10. l.7.tit. 6. part.7. reg.infamibus de reg.iur. lib.6.* cuius verba sunt: *Infamibus porta non pateant dignitatũ.* Quid autem sit dignitas, tractatu 2 Disp. 620 citata copiosè fuit à nobis explanatum. Quo in loco cõmuni doctorũ sententia fusè ostendimus, quando dignitas annexa est rei alicui, cuius infamis incapax non est, vt titulus marchionatus, ducatus, aut comitatus, vel iurisdictio, bonis maioratus, quorum infamis non est incapax, sæpe adiuncta sunt, tunc infamiam nõ excludere ab ea dignitate annexa: cùm tamen excluderet, si per se, & non tanquam rei alteri annexæ, in illa esset succeden-

cedendum. Legas quæ ibi dicta sunt.

2 Ex eo autem, quòd spurii admittantur ad decurionatus dignitatem, quando non est competitor ad illam idoneus, qui cum ipsis de ea dignitate contendat, vt habetur *l. generaliter. §. spurios. ff. de decurionib.* non sequitur, infames infamia facti admittendos esse ad dignitates, quādo alii circa illas cum ipsis non contendunt. Quoniam licèt aliqui cōputent illegitimos inter infames infamia facti, vt Disp. 7 dictū est, longè tamē verius est, illegitimos non esse infames infamia facti, sed solùm esse incapaces ex dispositione iuris ad aliqua, non quidē ob suum crimen, sed quòd geniti nō sint ex legitimo matrimonio, culpa in ipsorū generatione interueniente ex parte parentū ipsorū: neq; ego in iure video aliam infamiam facti, quā eam, quæ posita est in mala existimatione de moribus alicuius, siue illa ortum habuerit ex moribus prauis alicuius à multis cognitis, conspicientibus eos prauos mores aut indicia illorū, siue ex dicto iudicis, aut patris in testamento, siue aliunde, & siue vera sit ea existimatio siue non. Quòd si incapacitas illa illegitimorum ad aliqua ex dispositione iuris infamia esset appellanda, potiùs dicēda esset infamia iuris ad illa, quā infamia facti. Quoad reliqua verò, ad quę iuris dispositione expressum non est, eos esse incapaces, sanè incapaces nō sunt, sed idonei reputantur, vt ad testimonium ferendū, ad munus tabellionatus, ad dignitatē decurionatus, vt de dignitate decurionatus habetur *l. generaliter. §. spurios, & l. spurii ff. de decurionib.* idemq; est de reliquis, ad quæ incapaces redditi nō reperiuntur iuris dispositione, vt rectè hæc omnia affirmat *Couar. de pract. qq. c. 19. n. 6.* Neq; hanc sententiam impedit, quòd meritò *§. spurius* citato sit dispositum, si competitor idoneus adsit, qui simul cum spurio dignitatem decurionatus obtinere contendat, præponendum esse legitimū spurio, vt ex parte hæc omnia Disp. 7 dicta fuerūt: quoniam id sancitum idcirco fuit, quòd cæteris paribus, vt dignior anteferri legitimus spurio debeat, vtpote spurio dignior ac honorabilior. Portò decuriones, de quibus in eo titulo *& C. de decurionib. 10.* est sermo, erant, qui in singulis oppidis eligebantur, vt à consilio regimini essent oppido, tanquā capita illius oppidū cum rectore ac iudice tepræsentantia: quibus in hoc regno respondent illi, quos *regidores* vocant, & in Lusitania illi, quos vocant *vercadores*, qui annui eliguntur, annui etiam eligebātur in hoc regno, & eliguntur aliquibus in locis illi, quos *regidores* vocant: in præcipuis tamen locis pretio dignitates illæ comparantur à Rege illas ementibus, & successoribus ipsorum, illisve in quos transferre eas volunt, modò tamen nominent successorem viginti diebus ante ipsorum mortem. In alia autem longè diuersa significatione illi decuriones in exercitu dicebantur, qui ducē militibus præficiebantur à denario illo numero decuriones nuncupati: illis verò hodie apud nostros respondent, quos *cabos de esquadra* in exercitu appellant.

3 Notant verò *Panor. c. super eo de electione, & c. inter dilectos de excessib. prælat. Couar. de pract. qq. c. 19. n. 5.* præsertim *conclus. 5. Greg. Lopez. l. 7. titu. 6. part. 7. gloßa 1 & 2*, & alii, quos citant. Si infamia sit iuris aut facti notoria, inualidam esse electionem ad dignitatem, beneficium, aut officium, A de quibus mox erit sermo, iuxta regulam *infamibus de reg. iur. lib. 6. l. 2. C. de dignit. lib. 12. l. vnica. C. de infam. lib. 10. & c. cum in cunctis de elect.* peccareq; infamem, qui ita cūrat se eligi, aut id permitti, eaque de causa puniri, vt patet *l. qui vno. §. 1, 2, & 3 ff. de re mil. & l. 2. C. si seruus vel libert. ad decur. asp. lib. 10.* Quando tamen, qui eligeretur esset indignus, neque illius indignitas esset manifesta, tunc non teneretur ille eam manifestare, vt cum *Bart. & Ioan. de Platea* ait *Greg. Lopez gloßa. 1. citata* in fine. Quando verò aliquis esset iam in dignitate, beneficio, aut officio, de quibus erit sermo, infamiāque incurrit; tunc, si infamia sit iuris, amittit dignitatem, beneficium, B aut officium, iuxta *l. infamiam. C. de decur. lib. 10. l. 7. titu. 6. part. 7.* & alia iura citata, estque ab illis remouendus eo ipso, quòd talis infamia probata sufficienter sit. Ait verò *Greg. Lopez gloßa 2* citata, non amittere illa ipso facto, sed per sententiam, satisq; id innuit l. 7 citata, tametsi Greg. Lopez addat, si infamia sit notoria, non valere, quæ is infamis exercet, ac proinde innuit cum aliis amittere illa ipso facto. Si verò infamia sit solùm facti, non propterea is amittit dignitatem, beneficium, aut officium, vt colligitur apertè ex *c. super his de accusat.* & affirmant doctores citati. Ait bene *Couar. conclus 5. citata*, cum plerisque aliis, quos citat: Si infamis eligatur ad dignitatem aut officium, de quibus erit sermo, aut C postquam illud obtinuit, infamiam iuris incurrit, & si toleretur, tunc acta per illum valida esse, iuxta *l. Barbarius. ff. de offi. præfid.* Quia satis ad id est, electum ad id fuisse, licèt titulus fuerit inualidus, aut ex titulo antea valido obtinuisse munus in quo toleratur, postquam illud infamia omisit ob communem errorem, vt valida sint, quæ in eo munere exercet. Inualida tamen essent, si absque titulo, etiam inualido, munus exercuisset, vt idem autor cum aliis rectè affirmat.

Quando dignitas esset annexa alteri rei, cuius 4
infamis incapax non esset propter infamiam, vt D titulus ducatus, marchionatus, comitatus, & iurisdictio, annexa sunt bonis maioratus, iuxta ea quæ in principio huius Disputationis & tractatu 2 Disput. 620 dicta sunt, tunc neque per infamiam iuris amitteretur ea dignitas: sicut neque ipsa bona maioratus per eandem infamiam amittuntur, nisi aliud habeat annexum, ratione cuius amittantur: ad quod sanè attendisse non videtur Greg. Lopez glossa 2 citata.

Quod ad officia attinet, quæ dignitates non 5
sunt, est distinguendum, quoniam si publica sunt, & honoris ac autoritatis aliquid habent, vt sunt officium iudicis, assessoris iudici, postulantis seu patrocinantis in iudicio pro aliquo, E tabellionis autoritate publica, quamuis non sint de numero eorum, quos regios, seu *del numero*, vocant, idem de illis est dicendum, quod de dignitatibus est dictum: ab illis scilicet eodem modo rejici infames, quo à dignitatibus. Atque idem propter eandem rationem est dicendum de beneficiis ecclesiasticis, quæ dignitates non sunt: si verò officia ad honorem & autoritatem ea administrantis non pertinent, & præsertim si ad onus illa administrantium pertinent, in bonumque commune cedat eorum administratio, tunc ab eis infames nō excludūntur. Item si munera publica non sint, vt si quis

iudex arbiter à partibus ipſis earum electione constituatur, tunc ab eis muneribus infames similiter non excluduntur. Et quoniã hæc in particulari ſuis in locis ſunt à nobis explicanda, explicandumq; item eſt ſuis propriis in locis à quibus aliis infames excludantur, aut minùs idonei reputentur, ea de cauſa non plura hac de re hoc loco dico. Interim legas legẽ 7 citatã, & iura quę Greg. Lopez ibi citat. Ea lex ſtatuit, infames non excludi ab officio tutoris teſtamentarii, & à cõtrario ſenſu à parte docet excludi à munere tutoris legitimi ac datiui. Contrarium verò refert ibi *Greg. Lopez ex Bart. & Bald.* eſſe ſcilicet eos poſſe etiam legitimos & datiuos tutores, quãdo illi, quorum conſtituuntur tutores, non ſunt nobiles altioriſque multum notæ comparatione talium tutorum.

A

B

De iniuria iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contraria: & quæ ſub ſe contineat. Diſp. 12.

SVMMARIVM.

1. *INiuria eſt duplex, latè ſumpta & preſsè. Iniuria latè ſumpta eſt omne quod contra ius fit: preſsè ſumpta eſt, prout præiudicat iuri circa bona honoris & famæ præcisè.*
2. *Quando alicui alapa iniuſtè impingitur vel ſimile quid fit, tunc duplex ei fit iniuria, vna contraria iuſtitiæ commutatiuæ circa bona corporis, vel externa: alter a circa bona honoris & famæ, & tunc duplex actio intentari poteſt.*
3. *Iniuria ſeu iniuſtitia circa bona honoris & famæ interdum fit ſolo actu interno eius, qui illam re ipſa infert.*

EXplicata infamia, contraria obiecta iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famę, dicendum conſequenter eſt de vitio in genere eidem iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famę contrario, & de partibus, quas id vitium ſub ſe continet.

1 Tractatu præcedente Diſp. 40 cum *Vlpiano l. 1. ff. de iniuriis*, & aliis iuribus ibi citatis, duplicẽ iniuriam diſtinximus. Vnam latè ſumptã, prout id iniuria dicitur, quod non iure ſeu contra ius alicuius fit. Et hoc modo quicquid fit in præiudicium cuiuſcũq; iuris alicuius, ſiue ſit circa bona illius externa, ſiue bona corporis aut perſonę illi coniunctæ, ſiue circa bona honoris & famę, iniuria dicitur. Atq; iniuria hoc modo ſumpta, idem eſt cum iniuſtitia latè ſumpta, prout iuſtitiæ in genere contrariatur. Alio modo ſumitur iniuria preſsè, prout præiudicat iuri, præcisè circa bona honoris & famæ. Atq; hoc modo ſumpta, appellatur ab Vlpiano contumelia, ſumpto latè vocabulo, prout cõtumelia id omne dicitur, quòd præiudicat honori aut famæ. Quando autẽ ea contumelia fit contra ius alicuius, atq; adeò iniuſtè, eſt iniuria contraria iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ: in eaq; iniuria cernitur iniuſtitia cõmutatiuę iuſtitiæ circa bona honoris & famæ contraria, de qua ſola in hoc tractatu eſt nobis ſermo, tanquam de propria huius tractatus. Quæ omnia Diſp. 40 citata copioſè explanata ſunt, eaque de cauſa ſummatim illa hoc loco refero.

2 Ibidem diximus, quando cũ iniuria ſeu iniuſtitia circa bona externa aut corporis, in perſonãve

C

D

E

impingitur, fuſte ignominioſè quis percutitur, per vim cõtumelioſè auferuntur ab eo bona externa, & in aliis ſimilibus euẽtibus, tunc duplicẽ iniuriã ſeu iniuſtitiã ſimul interuenire, vnã contrariã iuſtitiæ cõmutatiuæ circa bona corporis aut circa bona externa: & alterã ſpecie diſtinctã, propriamq; huius tractatus, contrariamq; iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ: duplicemq; proinde competere tunc actionem, vt Vlpianus & alii iuriſconſulti rectè docẽt, ſiue ſeorſim duæ illæ actiones intentẽtur, ſiue ſimul vna coniunctim cum altera, aut in conſequentiã alterius, vt ibidem explanatũ comprobatumq; fuit. Coacti verò fuimus eo in loco (propter rationem ibi redditã) multa in genere tradere de iniuria propria huic tractatui, quatenus cõiuncta eſſe ſolet cũ iniuria ſeu iniuſtitia circa bona corporis, vt explicaremus pænas, quibus puniri debeãt corporales iniuriæ, quæ infra mortẽ fiunt. Vnde, quæ eo in loco diximus, multo nos onere in hoc tractatu leuabunt.

Iniuria ſeu iniuſtitia, iuſtitiæ commutatiuę circa bona honoris & famæ contraria, interdũ fit ſolo actu interno eius, qui illam re ipſa infert, vt quando temerariè iudicat aut ſuſpicatur malum aliquod de aliquo: eo enim ipſo iniuriam re ipſa illi infert eo ſolo actu interno circa famã ac exiſtimationem, quæ de illo haberi debet: aut quãdo immeritò illũ actu interno deſpicit. Et quoniam forum externũ de actibus internis nõ iudicat, neq; eos punit; eo quòd noti exteriùs non ſint, neq; in eo tribunali probari poſſint, neque pacẽ & tranquilitatem publicam perturbent aut impediãt, idcirco iuriſconſulti de eis nõ loquuntur. Quia tamen nos forum internũ & externũ explicamus, de iudicio etiam temerario hoc loco tanquã in ſua propria ſede dicemus: eſt enim iniuria ſeu iniuſtitia, commutatiuæ iuſtitię circa bona honoris & famæ contraria. Interdum verò iniuria ſeu iniuſtitia iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contraria fit actu externo: idq; aliquãdo facto, vt quando alapa impingitur alicui, vel fuſtè ignominioſè percutitur: & aliquando ſignis, vt verbis, voce, aut ſcripto, aliquid ignominioſum aut infamans ſignificantibus: atq; quando id ſcripto fit, id ſignũ libellus infamatorius nuncupatur: alia etiam ſigna ignominioſa ac infamantia fiunt nutibus, & etiã rebus aliis infame aliquid ſignificantibus, vt quando cornua alicui pro foribus appenduntur in ſignum, quòd aliquis vxore illius ſit abuſus. Voluntas autem ſeu conſenſus internus, aliquid tale efficiendi, etiam ſi ad actum externum non deueniatur, erit peccatum internum iuſtitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ, eiuſdem ſpeciei cum eodem conſenſu, ſi actus externus ex illo eſſet ſequutus: ſicut conſenſus internus in furtum aut in homicidium peccata interna ſunt furti aut homicidii, eiuſdem rationis & ſpeciei, ac ſi furtum aut homicidium haberent adiunctum.

Iniuriam preſsè, quæ ad hunc quartum tractatum ſpectat, diuiſimus Diſp. 40 citata in atrocem ſeu grauem, & in non atrocem ſeu leuem: & quid vtraque ſit, & ex quibus capitibus expendendum ſit, num iniuria atrox ſit ac grauis, ibi copioſè explicabimus.

Iudi-

Iudicium temerarium, hoc est, sine sufficientibus ad id indiciis conceptum, cuius speciei vitii sit actus. Et quando de re graui non sit culpa lethalis, vel quòd non consenserit voluntas, vel quòd non cum tanta consenserit deliberatione, quanta ad culpam lethalem requiritur. Et multo magis idem de temeraria in re graui suspicione.

Disp. 13.

SVMMARIVM.

1. *Sicut in detractione, quæ sit verbo aut scripto, iniustè fama proximi læditur; sic actus intellectus, quibus temerariè concipimus siniſtrũ quid de proximo, habẽt se instar actuum externorum, comparatione actuũ voluntatis, quibus illos imperamus; & sunt contra iustitiam commutatiuã.*
2. *Quemadmodum peccatum non in intellectu sed in voluntate consistit ac consummatur: sic licèt cogitationes peruersæ in mente oriantur, & tamen voluntas deliberato consensu non acquieſcit, non incurritur peccatum.*
3. *Quamdiu res adhuc in intellectu peragitur, voluntate nondum præbente assensum, non est cur timeatur culpa lethalis temerarii iudicii.*
4. *Viri timorati rarò incidunt in culpam lethalem temerarii iudicii, quia non perueniunt ad consensum, vel si repentinus aduenit consensus, non est deliberatus, ac sufficiens ad culpam lethalem.*

1 ORdiendum nobis est ab actu interno, in quo solo, sine ordine ad actum externum, quem imperet aut pro obiecto habeat, cernitur ratio iniustitiæ, iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ contraria, nempe à iudicio ac suspicione temerariis mereq; internis. Quo loco obserua, sicut detractione, quę fit verbo aut scripto, tanquam actibus externis à voluntate imperatis ac elicitis, iniustè læditur fama proximi, quatenus eis in causa iniustè sumus, vt alii de eis proximis siniſtram habeant opinionem, id de illis concipiendo, quod nostra detractione asserimus; estq; tũc detractio ipsa, verbo aut scripto facta, actus externus eius vitii contra iustitiam circa bona honoris & famæ proximi, actusq; voluntatis, quo detractionem imperamus, aut quo detrahere in posterum statuimus, vel quo vellemus detrahere, si adesset aliquis, cui siniſtrũ quid de proximo diceremus, est actus internus eiusdem vitii, pro obiecto immediato habens actus externos detractionis elicitos aut volitos: non secùs atq; in furto, homicidio, & in aliis vitiis similiter distinguũtur actus interni & externi eius vitii, interniq; actus pro obiecto immediato habẽt externos actus, vt 1, 2 copiosè explanauimus: sic in re proposita actus intellectus, quibus temerariè concipimus aut suspicamur siniſtrum aliquid de proximo, habent se instar actuum externorũ, comparatione actuum voluntatis, quibus illos imperamus, aut eos voluntariè non comprimimus & à nobis arcemus: sunt enim illi actus intellectus iniurioſi proximis quo ad famã seu existimationem, quam de illis habere debemus, atq; adeò sunt contra iustitiam commutatiuam circa bona honoris & famæ illorum, non minùs quàm detractio externa, qua causa iniusta sumus, vt aliquis alius siniſtrũ de eisdem proximis concipiat, in quo fama seu existimatio, quam A de illis habere debebat, similiter læditur. Atq; vt hæc meliùs intelligas, obserua, quemadmodum virtutis studioſitatis, & fidei, vt in hac *2.2.q.4.ar. 2. & in Concord. q.14. art.13. disp.8.* dicebamus, quo ad actus imperantes, & habitus illis actibus imperantibus respondentes (quo ad quos, etiã fides est virtus moralis, bonitatemq; moralẽ habet) resident in volũtate, quo ad actus verò speculãdi ac statuendi quãdo & quomodo oportet, & quo ad actus credendi, assentiendive reuelatis, qui actus imperati sunt, & respondent actibus externis aliarũ virtutũ, resident in intellectu, participantque hi actus intellectus, vt boni moraliter sint, ab actibus voluntatis, quibus imperantur; B habetq; fidei actus vlteriorẽ alium actũ externũ à voluntate etiam imperatum, quo exteriùs fidei verbo aut scripto confitemur: ita vitium, quo temerè iudicamus aut suspicamus siniſtre de proximo, habet in voluntate actũ elicitũ, quo actus illos malos ac iniustos intellectus imperamus, aut omissionẽ voluntariam actus volũtatis, quo illos eosdẽ malos actus intellectus cohibeamus ac abjiciamus, vt tenemur; & insuper habet actũ externũ vlteriùs à voluntate imperatum, quo iudicium temerarium intellectus exprimimus, id ipsum verbo aut scripto exteriùs iudicãdo, quod intellectu concipimus ac iudicamus. Hic autem actus quatenus causa esse potest, vt qui id audiũt, C idẽ de proximo concipiant ac iudicent, ac detractionis vitium iã spectat, quatenus eo de fama & existimatione proximi apud audiẽtes iniustè detrahimus: iudicio verò interno nostri intellectus solùm nos ipsi de æstimatione, quã de proximo habere debebamus, detrahimus, quatenus aliter iniustè de eo concipimus, quã par erat ac tenebamur. Hinc existimo, iudiciũ temerarium eiusdẽ speciei esse cũ vitio detractionis, imò verò esse partẽ quandã eius vitii latè sumpti, vt comprehendit detractionẽ, qua apud alios detrahimus de existimatione proximi, & detractionẽ, qua apud nosmet ipsos detrahimus de existimatione, quã de illo habere debebamus: cõsentitq; D B. Iacobus c.4 suę canonicę in testimonio, quod Disp.16 in calce cõclus.1 referemus. In vitiis itaq; & virtutibus voluntatis, quo ad actus imperãtes, attendendũ est, quos actus imperent atq; habeãt pro immediato obiecto, num scilicet potentiarũ externarũ, an verò actus intellectus & aliarum viriũ internarũ: quãdo enim imperant actus potentiarũ externarũ, distinguimus in eis vitiis ac virtutibus actus internos & externos: quãdo verò imperant actus intellectus & aliarũ viriũ internarũ, non distinguimus actus internos & externos eorũ vitiorum ac virtutum, vt in virtute studioſitatis, in fide, & infidelitate, & in vitio, quo temerariè iudicamus, aut suspicamur ali- E quid de proximo, sed distinguimus actus imperantes & imperatos eius vitii aut virtutis: eo quòd imperati (qui externis in aliis virtutibus & vitiis respondent) interni etiam sint, sicut & actus imperantes.

Hoc ita constituto. Quod ad temerarium iudi- 2
cium suspicionẽq; temerariã attinet, præ oculis mentis est ante omnia habendũ, quòd cùm culpa ac peccatum, non in intellectu, sed in voluntate, in qua formaliter est ratio voluntarii, cõsistat ac consummetur, quemadmodum in hac *2.2.q.11. art.2.* dicebamus, estò se offerant intellectui tanquam veræ cogitationes fidei catholicæ contrariæ

riæ cum rationibus ac inductiuis mentem incli-
nantibus, eas cogitationes veras esse, interim tamen dum voluntas non consentit plenè deliberato consensu statuens eas sequi, eisve adhærere, aut plenè deliberato cõsensu statuens habere vt falsas, aut saltè vt dubias, & minimè certas, contrarias fidei veritati, non incurri peccatũ hæresis, tametsi interuenire possit culpa venialis in illis cogitationibus fidei catholicæ contrariis reprimendis, expellendis, ac auertendis: ita in re proposita, estò se intellectui offerat tanquã vera siniſtra ac temeraria (hoc est, sine indiciis seu rationibus sufficientibus ad id meritò sibi persuadendũ) cogitatio de proximo cũ indiciis seu coniecturis inclinãtibus intellectũ ad assensum, quibus sibi persuadere videtur id ita habere; interim tamẽ dum voluntas consensu plenè deliberato non cõsensit cum intellectu, id cum illo statuens ac acceptãs tanquã determinatè verũ; non interuenit lethalis culpa iudicii temerarii, sed vel nulla interuenit culpa, si statim atq; attendere debet siniſtrã ac temerariam esse eam cogitationẽ, eam reprimere conetur ac auertere rationibus in contrariũ atq; dissensu, aut diuertendo ad aliã cogitationẽ; quippe cùm nondũ cogitatio illa fines egrediatur tentationis, cui sine mora culpabili facta sit competens resistentia voluntatis; vel si aliqua interuenit culpa in negligẽtia voluntaria ac culpabili voluntatis in expellenda ac superanda ea tentatione ac cogitatione proximo nociua quo ad famam illius & honorem, illa erit culpa solùm venialis. Hæc verò multo magis locum habent in suspicione temeraria, interim dum in ea voluntas cum intellectu consensu plenè deliberato non consentit, sed vel statim ac voluntaria esse incipit, illam voluntas conatur reprimere aut auertere, vel solùm est negligens in illa reprimenda ac auertenda.

3 Hinc primò colligo, quamdiu res peragitur solùm intellectu, voluntate nondum præbente consensum, neq; statuente ac amplectente illud simul cum intellectu, non esse cur timeatur culpa lethalis iudicii temerarii, estò negligentia aliqua sit reprimendi ac expellẽdi iudicium temerarium, quod se offert & est in intellectu, idque quamuis materia sit grauis. Multoq; magis id locum habere in suspicione.

4 Colligo secundò, viros timoratos rarò incidere in culpam lethalem iudicii temerarii, estò sæpe patiantur eiusmodi siniſtras cogitationes. Ratio autem est, quoniam vel non perueniunt ad consensum voluntatis, vel certè si repentinus aliquis adsit consensus, non est plenè deliberatus ac sufficiens ad culpã lethalẽ, estò res, de qua est ea cogitatio, grauis sit. Vnde hęc regula videtur statuenda. Quando timorati, præsertim scrupulosi, eiusmodi cogitationes siniſtras de proximis suis patiantur, & dubitant, an lethaliter peccauerint, interrogandi sunt, an si tunc aduerterẽt, illud esse iudicium temerarium ac peccatũ, deliberatè voluntate consentirent. Quòd si negãter respondeant, censendum est, non peccasse lethaliter: quoniam vel nullus adfuit voluntatis consensus, sed res peracta est solũ intellectu, dæmone suggerente & acuente eas cogitationes, nõ secùs atq; quando, Deo id permittente, excitat similes blasphemię cogitationes aut siniſtras cogitationes aduersus fidẽ, in quibus rariſſimè est consensus deliberatus, vel scrupulis moleſtat timoratas animas, vt eas his omnibus viis ad amaritudinẽ perducat, pacẽ animæ perturbet, suauitatẽ Spiritus sancti impediat, & deuotionẽ ac progreſſum in virtutibus; vel certè, si aliquis repentinus adfuit consensus voluntatis, is non fuit plenè deliberatus ac sufficiens ad culpã lethalẽ, estò res, de qua est ea cogitatio, grauis sit. Faciliùs verò in hac materia, quã in aliis, euenire potest consensus voluntatis non plenè deliberatus propter assuetudinẽ iudicandi intellectu de rebus oblatis, voluntate applicante potentiã intellectus, & cõcurrente suo imperio cum illa ad iudicia. Vnde, vt bene notat *Sotus. 3 de iuſt. q. 4. art. 3.* quãdo aliquis contemplatione aut recordatione rei alicuius quasi rapitur ad siniſtre de ea iudicandũ, non est cur lethalẽ timeat culpam; eo quòd desit cõsensus plenè deliberatus, qualis in materia hac ad culpã lethalẽ est necessarius. Quo loco obserua, diabolũ solere vexare valde, inquietoſq; reddere, atq; perducere ad amaritudinem multos timoratos ac scrupuloſos, offerendo illis siniſtras cogitationes de suis proximis, statimq; concutiendo ipsorũ conscientias timore vano, quòd in temerarium iudiciũ cõsenserint, peccauerintq; lethaliter, & quòd necesse illis sit ipsos de ea re cõfiteri. Cùm tamẽ diaboli intentũ sit, pacem illorũ turbare, ad amaritudinemq; illos perducere, vt inquieti & amari, eiusmodiq; cogitationibus ac solicitudinibus implicati, deuotionẽ ac attentionem ad spiritualia amittant, illis non insistant, & vt quando illis insistunt, insipida illis reddantur, minoremq; ad illa habeant applicationẽ. Quare curandũ est, conscientias illorum iuxta regulam propositã sedare, eisq; persuadere, ea in re nullã esse culpã lethalem, sed id totum suggestionẽ esse diaboli, vt eos perturbet; & vt, quę cõmemorata sunt, aduersus ipsos obtineat. Quando autẽ sibi confessarius persuaserit, in eiusmodi siniſtris cogitationibus nõ interuenire culpã lethalẽ, optimum consilium sępe erit, præcipere eis, qui de illis confitentur, vt eis de rebus nec secũ nec cum quocunq; alio confiteantur; estò diabolus vano eo timore præstrepat. Interdum etiam sanũ consilium est, cõfessiones de eis rebus ex illis audire, atq;, si aliud nõ cõfiteantur, quod absolutione indigeat, mittere illos absque absolutione ad sacrã sumendã Eucharistiã: quoniam interdũ ita meliùs sedantur ipsorum conscientiæ, audacioresq; fiant ad eiusmodi vanos timores superandos, dum vident confessarios, auditis eiusmodi scrupulis, eos paruipẽdere, mittereque eos ad sacram Eucharistiam absque absolutione sumendam.

Ad prudentem cautelam quousque vereri, inquirere intellectu, aut etiam exterius, expendereq; culpas aliorum liceat, absque temerario iudicio, & absque temeraria suspicione. Disp. 14.

SVMMARIVM.

1. *ALiud est timere aliquid siniſtrum de proximo, aliud verò statuere siniſtrum aliquid de proximo: timere licet, statuere non licet. Varia exempla ad id probandum.*
2. *Timere licet ad remedium adhibendum, quod & aliquando necessarium est: nimietas tamen eo in genere est vitanda.*

Illud

1 ILlud etiam ante mentis oculos in re hac de iudicio & suspicione temerariis est habendũ, quod *diuus Th.in hac.2.2.q.60.art.4.ad.3. Caiet. ibi, Sotus.3.de iust.q.4.art.4.ad.3.*& doctores cõmuniter obseruant. Nempe aliud esse, timere aliquid sinistrum de proximo ad damna vitanda, quæ inde possent sequi, aut ad remediũ vel medicinam adhibendam, etiam culpam, si qua interueniisset, puniendo: aliud verò statuere ac iudicare sinistrum aliquid de proximo. Sæpe enim quando nefas temeritasq; esset, statuere ac iudicare aliquid tale de proximo, eo quòd sufficientia indicia non essent ad id iudicandum, fas atq; prudentia erit id timere, aut (vt diuus Thomas ait) id supponere ac si esset, ad damna vitanda, aut ad medicinam vel remedium adhibendum. Imò verò fas erit expendere, inquirere, & examinare indicia, & quantum probabilitatis sit, id esse aut non esse: modò tamen nihil temere statuatur ac definiatur, seu iudicetur, sed solùm inquirantur & expendantur indicia, expendaturq; probabilitas, quæ iuxta ea indicia est, id esse aut non esse, vt damna vitentur, aut vt remedium, vel medicina, debitaque pœna adhibeantur. Exempla rem hanc elucidabunt.

Vides hominem, cuius habitus atq; aspectus, verba, aut opera, indicium seu inductiuum ingerunt, licèt leue, suspicandi, ne fortè sit fur: sanè tunc, quamuis nefas sit iudicare, illum esse furẽ; fas tamen atque prudentia est, timere ne fortè fur sit, eaq; de causa fas est, eum in domo tua nõ recipere, aut marsupium in loco tutiori collocare. Imò estò nullum indicium ac inductiuum videas, vnde suspicari possis, illum furem esse, prudentia est accipere marsapium, illudq; in secretiori ac tutiori loco reponere, ne forte sit fur.

Item habes filiam aut vxorem: sanè quamuis fas non sit iudicare ac statuere sinistrum aliquid de illa aut de proximo tuo, dũ non adsunt aperta sufficientiáve indicia, quæ id omnino persuadeant; fas tamen tibi est, prohibere ac impedire colloquium illius cum aliquo, non solùm quando aliquod est indicium, licèt leue, mali alicuius, sed etiam quando nullum est tale indicium: prudenter timendo ac præcauendo mala, quæ inde possent euenire. Tantus tamẽ esse potest excessus in vxore prohibenda & in præcauendo mala, vt si non temerarium iudicium, zelus tamen nimius atq; indiscretus, timorq; inordinatus, cum iniuria ac grauamine iniusto miseræ ac innocentis vxoris, posset facilè interuenire.

Aliud accipe exemplum: Est pater, aut materfamilias, aut alius, cui cura aliquorũ incumbit, inuenit furtum aut aliud delictum ab illis commissum: fas illi est indiciis inquirere, quis illud commiserit, indiciaq; expendendo iudicare, nõ quidem absolutè hunc vel illum id commisisse, quando indicia ad id non sunt sufficientia, sed quantum probabilitatis verisimilitudinisq; sit, hunc vel illũ id commisisse, vt tandẽ rei veritas, quoad fieri possit, inueniatur, damnumq; resarciatur, & malefactor puniatur in ipsius & in aliorum bonum; ne iterũ quid simile fiat, omnesq;, qui ipsius curæ subsunt, in officio contineantur. Imò verò fas aliquando erit, objicere id delictũ ei, de quo verisimilitudo sit, illud commisisse, ipsum interrogando, quasi illud cõmiserit, aut illũ arguendo, quasi illud cõmiserit: id quod absq; mendacio fieri optimè potest, nihil incertũ asserendo, sed colloquendo cũ illo in modũ supponentis, eum id delictũ cõmisisse, vt ea via melius veritas patefiat. Quo loco obserua, sicut iudex, dũ res est dubia, non potest punire eum, de quo est verisimilitudo, id delictũ cõmisisse, pœna ordinaria; nihilominus, si sint aliqua vrgẽtia indicia, potest illũ torquere, si delictũ dignũ sit vt ad torturã deueniatur, aut imponere illi purgationem, vel pœnã arbitrariã, pro quantitate verisimilitudinis, & qualitate ac grauitate delicti: ita prælatus, paterfamilias, & alii, quibus cura aliquorum incumbit, dũ verisimilitudo est, aliquẽ sibi subditorũ cõmisisse aliquod delictũ, potest illũ arguere ac reprehendere, objiciendo illi quantitatẽ verisimilitudinis, quæ est, ipsum id delictum cõmisisse: quin & aliquã pœnã poterit illi aliquãdo imponere; eaque de causa illi prohibere aliquid, tũ in cautelã, tũ etiam interdũ in pœnã arbitrariam, prout recta ratio reiq; circunstantiæ id efflagitauerint. Hoc autẽ intelligo, non solùm quando constat aliquid esse delictũ, & non esse certũ, quis illud cõmiserit, sed etiam quando cõstat aliquẽ feciſſe aliquid, quod speciẽ habet mali, nec omnino constat esse delictũ, sunt tamẽ indicia ac verisimilitudo id esse delictũ, vt si subditus loquatur aut inueniatur cũ muliere, ita vt nõ leuia indicia sint id esse in malam partem. Hoc autem dico propter Caietanum vbi suprà, qui contrarium videtur asserere.

Alia subjiciamus exempla: Es tũ priuata persona, ex quo aliquid furto est acceptũ. Fas tibi est, vt quod tuum est, recuperes, indiciis inuestigare ac inquirere, quis illud furto acceperit. Et quamuis nefas tibi sit, absolutè iudicare ac statuere, quis id furtũ commiserit, interim dum non sunt sufficientia indicia, quæ prudentis arbitrio id omnino persuadeant; fas tamen tibi est, expẽdere ac iudicare, quantum probabilitatis ac verisimilitudinis ex indiciis sit, hunc vel illum id furtum commisisse, vt quod tuum est, recuperes, delictumque, si opus sit, in commune bonum, iustamque tuam vindictam, puniatur.

Item habes famulum, qui curam habet emendi tibi & familiæ tuæ necessaria, aut expendendi multã pecuniæ quantitatem; qua in re, si velit, & propriam poterit onerare conscientiam, & tibi multum surripere. Quamuis nefas tibi sit, interim dum prudentis arbitrio nõ sunt ad id sufficientia indicia, absolutè iudicare, illum aliquid tibi surripere; fas tamen tibi est, vereri ne aliquid tibi surripiat, atq; ad id sciendum debitas moderatas adhibere cautelas, exigendo rationẽ ab illo, & si quid cariùs emptum attulerit, rationem exigendo cur tanto pretio emptũ sit, atq; ab aliis interrogãdo aliqua, vnde rei veritas cõstare possit: modò tamẽ adhibita ea prudentia id fiat, vt famulus is coram aliis nõ infametur, qui tuis interrogationibus existiment illũ furẽ esse, aut te credere, vehementérve vereri, illũ furẽ esse.

2 Item habes subditos, quorum mores ad te spectat corrigere, & circa illos vigilare, ne quid inordinatè efficiant. Fas sanè tibi est vigilare, & vereri illorũ facta, ne aliquid sinistrum committant. Atq; ad indicia attendere, & ex illis conjicere ac iudicare, quantum probabilitatis ac verisimilitudinis sit, illos aliquid mali commisisse, quod corrigas. Imò priuatæ etiam personæ in bonum spirituale sui proximi, vt malum impediat, ipsumque à peccato eruat, dum aliquid

vider,

videt, quod speciem habet mali, aut indicia aliqua ipsi occurrunt peccati proximi, fas ei est ad illa attendere, ex illisque iudicare, quantum verisimilitudinis sit ac probabilitatis peccati alicuius, vt proximum corrigat, aut vt malũ, quod alteri inde sequitur, impediat. Cauere tamẽ debet, ne aliquid temere absolutè iudicet ac statuat. Ratio autem horum omnium est, quoniam hæc non sunt temere iudicare, sed prudenter damna propria aut proximorum timere, illisq; velle remedium aut medicinam prudenter viaque iusta adhibere: quod non solùm licèt, sed etiam aliquando est expedientissimum, quin & necessarium, vt id fiat. Semper tamen nimietas est vitanda, & curandum, ne dum bonum intenditur, maius malum sequatur. Atque erga subditos sic progredi ac vigilantes esse debent superiores, ad impedienda, inquirenda, præcauenda, & punienda mala, ne nimia vigilantia, & nimia suspicio ac cautela, famæ subditorum immeritò deroget, eosque ad nimiam amaritudinem ac perturbationem facilè adducat, occasioque nimietate sua sit, vt dum cauere ac corrigere vult mala, maiora inde mala sequantur.

Varii gradus distinguuntur, quibus iudex circa existimationem de delicto ex indiciis & probationibus potest esse affectus ad iudicium publicum sententiamq; ferendam: & quando in illis erit temeritas, quando non item. Varii etiam alii gradus distinguuntur à theologis in priuatis hominibus ad iudicium priuatum: & quando in illis erit temeritas, & quando non erit.

Disp. 15.

SVMMARIVM.

1. *Quatuor sunt gradus ex parte intellectus in iudice comparatione sententiæ ferendæ, qui omnes sunt infra euidentem cognitionem, sub cognitione euidente id etiam comprehendo, quod euidens est sensu. Primus gradus est dubietas, quãdo intellectus iudicis est anceps, in neutram partem se inclinando: secundus suspicio, quando iam intellectus in alteram partem inclinat propter indicia & inductiua, licet valde debiliter: tertius est opinio, quando iudex propter inductiua maiora sibi iam persuadet alteram partem: nec tamen firmiter, sed adhuc dubius: quartus gradus credulitas est, quando propter indicia tam firmiter adhæret, vt amplius non dubitet.*
2. *Quomodo credulitas ab opinione distinguatur.*
3. *Quomodo hi tres gradus inter se distinguantur.*
4. *Minora inductiua requiruntur ad non temere suspicandum, quam ad non temere opinandum.*
5. *Credulitas & opinio vel suspicio duplex est, temeraria & rationalis.*
6. *Præsumptio est existimatio ex indiciis, inductiuis de re, quæ neque in se est euidens existimanti de illa, neque est illi plenè probata testibus, neque reus legitimè est eam confessus.*
7. *Præsumptio duplex, rationabilis & irrationabilis: item rationabilis in leuem, in vehementem, & violentam diuiditur, quid sit leuis, vehemens, ac violenta præsumptio.*
8. *Quomodo hic differat præsumptio à suspicione.*
9. *Præsumptio rationabilis latè sumpta diuiditur in præsumptionem iuris & in præsumptionem hominis.*
10. *Præsumptio iuris subdiuiditur in eam, quæ dicitur præsumptio iuris de iure, & in eam quæ dicitur iuris tantum.*
11. *Quid sit præsumptio hominis.*
12. *Quo grauius crimen est, maiorq; pœna puniendum, eo præsumptio maior esse debet, & indicia vehementiora, vt præsumptio violenta censeatur.*
13. *Maior præsumptio requiritur ad aliquem damnandum criminaliter, quam ad damnandum ciuiliter, id alteri adiudicando, de quo inter eos est contentio.*
14. *Vna præsumptio eneruat aliam, quæ erit in contrarium.*
15. *Indicia iuuant se inuicem.*
16. *Datur latitudo in leui præsumptione, vehementi, & violenta.*
17. *Potest quis ex parte intellectus, concurrente consensu voluntatis in existimando de aliquo quod famæ illius præiudicet, se habere, vt dubitet primò de bonitate aut de aliqua bona qualitate illius, neutri parti adhuc inclinando.*
18. *Potest esse ita affectus, vt assentiatur alteri parti, non tamen firmiter, sed adhuc hæsitans.*
19. *Vel potest esse affectus ita, vt sine hæsitatione vlla alteri parti assentiatur.*

DEinde in lucem eorum, quæ dicenda sunt, varii gradus existimationis de aliqua re ob indicia & inductiua, quæ ad id sunt, distinguuntur: idque in singulis esse poterit temeritas, si prudentis arbitrio indicia & inductiua ad eum existimationis gradum sufficientia non sint: & poterit nulla esse temeritas, si ad eum existimationis gradum sufficientia sint. Et quoniam distinctio graduum hiac de re, quæ à iurisperitis ad iudicium publicum sententiamve publicam ferendam adhibetur, lucem afferre potest ad ea, quæ de iudicio priuato (de quo solo nobis hoc loco est sermo) dicenda sunt, ab illa ordiemur, deinde verò distinctionem theologorum subjiciemus.

Iurisperiti cum *Bart. l admonendi ff. de iureiura.* 1 *àn. 15.* quatuor quasi gradus ex parte intellectus, non excludendo voluntatis imperium ac consensum, distinguũt in iudice comparatione sententiæ ferendæ: qui omnes sunt infra sententiã, hoc est, infra euidentem cognitionem, sub cognitione euidente comprehendendo id etiam, quod euidens est sensu. Quo pacto dicimus eũ, qui testificatur se vidisse aliquid, testificari ex scientia: quoniam, quod vidit, euidens illi est per visum. Dicimus etiã, eum, qui testificatur, se audiuisse hæresim aut blasphemiam, ex ore alicuius, testificari etiam ex scientia: quoniã, quod audiuit ex ore illius, euidens ipsi est per auditum illum id dixisse. Eum verò, qui ex ore alicuius audiuit quendam tertium aliquid mali feciſſe, non dicimus testificari ex scientia malum, quòd is tertius fecit, sed ex auditu: quoniam ex eo, quòd id ipse audierit, non est sibi euidens, illũ tertium id malum feciſſe. Infra scientiam ergo ita latè sumptam distinguunt iurisperiti cum Bart. quatuor gradus ex parte intellectus à iudice comparatione sententiæ ferendæ, quos appellant dubietatem, suspicionem, opinionem, & credulitatem.

Primus

Primus gradus, hoc est dubietas, est, quando intellectus iudicis est anceps, neutram in partem se inclinando. Ad quod necessarium non est interuenire probationem aliquam. Statim enim atque actor aliquid opponit, & reus illud negat, incipit iudex dubitare quousque indicia inductiuaque adsint, quæ ipsum in alteram partem inclinent.

Secundus gradus, nempe suspicio, est, quando iam intellectus in alteram partem inclinat, propter indicia ac inductiua, admodum tamen infirmiter ac debiliter, ita vt multum dubietatis remaneat, idque suspicio nuncupatur, estque (vt Bart. ait) primus probationis seu credulitatis gradus: quoniam iam propter probationem ac indicia adhærere incipit iudex alteri parti, debili tamen atque imperfecta quadam credulitate, seu potiùs quadam tendentia ad perfectam credulitatem.

Tertius gradus, id est opinio, est, quando iudex propter indicia atque inductiua maiora ac vehementiora sibi iam persuadet alteram partē, non tamen admodum firmiter, sed cum admixta aliqua dubietate, vacillatione, ac formidine, ne fortè contradictorium verum sit. Atque hic gradus opinio à iurisperitis dicitur, propter illā formidinem ac dubietatem admixtam. Est autē iam secūdus probationis ac credulitatis gradus. Quo loco obserua appellari etiam vehemētem suspicionem, ita vt præcedēs gradus leuis suspicio dicatur: hic verò dicatur suspicio vehemens. Vterque tamen gradus suam habet latitudinē. Leuis quippe suspicio esse potest maior aut minor, prout indicia ac inductiua leuiora fuerint, aut minus leuia, & probatio maior aut minor. Vehemens similiter suspicio esse potest maior aut minor, prout indicia, inductiua, ac probationes maiora vel minora fuerint infra plenā probationē, quæ ad credulitatem atque ad condemnandum pœna ordinaria, aut cōsueta pro eo delicto imponi, sufficiat. Quo fit, vt neutra harum suspicionū sit satis ad condemnandum ac puniendum pœna ordinaria, aut consueta imponi pro eo delicto plenè probato. Atque ita intelligo. l. absentem. ff. de pœnis, dum in ea dicitur, suspicionibus neminem debere damnari, consentiunt. c. tua nos de cohab. cler. & mul. & alia iura.

Quartus gradus, credulitas scilicet, est, quando propter indicia, inductiua, ac probationes, tā firmiter adhæret iudex vni parti, vt dubietatem prorsus depellat, quia videlicet probatio attingit iam limites plenæ ac perfectæ probationis, iuxta id quod iura præscribunt, aut viri prudentis arbitrio. Dicturque hic gradus à iurisperitis credulitas, estque tertius & supremus probationis, habetque latitudinem, sicut & duo præcedētes, prout probatio, intra limites plenæ atque integræ probationis, maior aut minor fuerit. Obserua autē, hunc gradū non distingui ab opinione latè sumpta, vt à philosophis sumitur pro assensu ineuidenti, cui nō repugnat ex qualitate ac natura cognitionis subesse falsum. Fieri quippe potest, vt testes, qui iuxta iuris dispositionē ad plenam probationem sufficiunt, mentiantur, aut decepti fuerint, ac proinde fieri potest, vt iudex eorum testimonio fallatur in existimatione sua, atque in sententia iuxta eam probationem ferēda. Distinguitur verò hic gradus ab opinione presè sumpta, vt à iurisperitis sumitur, hoc est, à vehementi præsumptione, qua iudex ita alteram partem contradictionis sibi persuadet, vt iuxta indicia ac probationes, regulasque iudicādi, admixtam habeat dubitationem, seu vacillationē, ac formidinē, ne fortè contrarium aut cōtradictorium verum sit, ob eam admixtā dubietatem ac vacillationem: vnde aliter sumitur formido in re proposita, atque in definitione opinionis tradita à philosophis: in re enim proposita sumitur pro dubietate admixta, seu aliquali vacillatione: in definitione verò opinionis latè sumptæ, à philosophis tradita, sumitur pro non certitudine assensus ex natura ipsius, quatenus euidens non est, neque alia ratione est certus, cui proinde ex eo capite, quòd certus ex natura sua non sit, non repugnat subesse falsum.

Distinctio credulitatis ab opinione presè sumpta, vt à iurisperitis sumitur, habetur expresè. *l. 3. §. idem quoque. ff. de testib.* quo in loco cuidam iudici, inter alia, ita rescribitur: *Hoc solum scribere possunt, non ad vnam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parū probatum tibi opineris.* Distinctio verò omnium trium graduū probationis, qui traditi sunt, colligitur ex. *l. 1. in prin. ff. de quæstionib.* dum dicitur, ad quæstionem tormenti seruorum deueniendum esse, quando suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admouetur, vt sola confessio deesse videatur, ad plenā scilicet probationem ac credulitatem. Quo in loco primus gradus traditur suspicio. Secundus, quando vltra suspicionem vehementiora argumenta, quæ accedunt proximè ad integrā ac plenam probationem. Atque hic est, qui appellatur opinio, in eodemque textu appellatur vehemens suspicio, dum subiungitur, à suspectissimo debere incipere tormenta, ab eoque, à quo facillimè posse se verum scire iudex crediderit. Tertius verò gradus traditur, quando, accedente confessione, adest integra ac plena probatio.

Circa hos gradus probationis, atq; existimationis iudicis ex indiciis & probationibus, duo obseruanda sunt: Primum est, minora indicia, inductiua, minorémve probationem requiri ad non temere suspicandum, quàm ad non temere opinandum, & minora requiri ad non temere opinandum, ad non temereve vehementer suspicandum, quàm ad non temere credendū credulitate, quæ omnē afferat dubitationem seu vacillationē in sensu suprà explicato, quæq; proinde sufficiens sit ad omnino damnandum, imponendamque pœnā ordinariam. Quo fit, vt minor probatio minoraque indicia ac inductiua sufficiant ad meritò ac iustè damnandum aliquem de leuiter suspecto in fide, quàm sufficiant ad meritò ac iustè damnandū aliquem de vehementer suspecto in fide, quā ad meritò ac iustè illum dānandū de hæretico. Hæc omnia ex se & ex dictis sunt notissima, receptissimaq; ab omnibus sunt.

Secundum est, tam credulitatem, quàm opinionem, ac suspicionem, distingui in temerariā, & in rationabilem seu non temerariam. Quādo enim indicia, inductiua, seu probationes, sufficientia sunt iuris dispositione, aut prudentis arbitrio, ad aliquid absque dubitatione credendū, aut ad aliquid opinandum, vel ad aliquid suspicandū, tūc credulitas, opinio, aut suspicio, ex eis sufficientibus ad id inductiuis ac probationibus

concepta & habita, rationabilis minimeque temeraria est, estque absque culpa: quoniam nulla iniuria reo fit in eo, quòd ita de eo concipiatur atque existimetur seu censeatur. Quando verò, spectata qualitate criminis & personæ, spectatisque cæteris omnibus circumstantiis concurrentibus, leuia insufficientiaque sunt, ad id ita concipiendum, existimandum, ac censendũ, tũc credulitas, opinio, aut suspicio, temeraria est, ac proinde culpabilis: quoniam iniuria fit proximo, quòd absq; sufficiẽtibus ad id indiciis ac inductiuis siniſtrũ aliquid de illo suspicetur, opinetur, aut semota omni dubitatione omnino credatur, præsertim ad ea de causa illum damnandũ.

6 Adhuc quod ad forum externum attinet, obseruandum est consentaneè ad *Panor. c. quanto de præsumpt. & c. tertio loco de probat.* & ad plerosq; alios: Præsumptionem, tenui meo iudicio, esse existimationem ex indiciis, inductiuis, ac coniecturis de re, quæ neque in se est euidens existimanti de illa, neque est illi plenè probata testibus omni exceptione maioribus, neque reus legitimè est eam confessus. Quando enim res est euidens, aut plenè probata testibus, aut reus legitimè est eam confessus, non dicitur iudex eam præsumere: sed quando aliis indiciis ac inductiuis (in eis cõprehendẽdo testimonia non omni exceptione maiora, nec sufficientia ad plenam probationem) eam conjicit, ac existimationem de illa elicit, tunc dicitur illam præsumere. Hinc intelliges, præsumptionem comprehendere in primis duos priores gradus probationis suprà ex Bart. traditos, videlicet suspicionem leuem, suspicionem vehementem, seu opinionem. Ex tertio verò gradu, hoc est ex credulitate, non cõprehendit eam, quã iudex ex eo habet, quòd res sit euidens ac notoria facti notorietate; neque eã, quam habet, quando res plenè ac integre attestationibus est probata; neque item eam, quam habet ex legitima rei confessione: comprehendit tamen quandam aliam, quæ in iure præsumptio violenta nuncupatur, quæ sufficit ad condemnãdum, vt subjiciemus. Atq; obserua, præsumptionem interdum etiã sumi pro indicio ac inductiuo vnde aliquid præsumitur, tranſlato atque extenſo præsumptionis nomine ad id etiam significandum, quod præsumptionem efficit. Vnde dicimus, aliquem in tota anteacta vita probum fuisse, præsumptionem esse (hoc est, præsumptionem efficere) num etiam probum esse. Dicimus etiam, aliquem repertum fuisse solum cum sola, & nudum cum nũda in eodem lecto, esse violentã præsumptionem fornicationis cũ illa.

7 Præsumptio latè sumpta primò diuiditur in rationabilem seu discretam minimèque temerariam, qualis est, quæ sufficientibus indiciis seu coniecturis est concepta ac elicita; & in temerariam, seu irrationabilem ac indiscretam, qualis est, quæ insufficientibus ad id indiciis ac coniecturis est concepta ac elicita.

Rursus rationabilis, discreta, minimeque temeraria præsumptio diuiditur in leuem, vehementem, atque violentam, (Eadem diuisio suo modo fieri etiam potest de temeraria atque irrationabili præsumptione.) Ita vt leuis præsumptio sit rationabilis quædam præsumptio, attamen modica propter exiguitatem indiciorũ ac coniecturarum, quibus est rationabiliter concepta & elicita, quæ efficere rationabiliter non sufficiunt nisi leuem suspicionem ac præsumptionem.

Vehemens præsumptio (*quæ c. inquisitioni de sent. excommu.* probabilis etiam nuncupatur) est rationabilis præsumptio, quę, infra sufficientem persuasionem ad sententiam condemnatoriam simpliciter ferendam, pertingit ad limites opinionis ac vehementis suspicionis ob magnitudinem indiciorum inductiuorúmve ad id persuadendum. Vt si quis comminatus alicui fuit in rixa, aut propter odium ac inimicitiam, quam cum illo habebat; posteaque is, cui comminatio fuit facta, inuenitur mortuus, nesciturque à quo fuerit interfectus, tunc enim præsumptio vehemẽs est, ab illo, iussúve illius, qui illi fuerat commi-
B natus, interfectum fuisse.

Violẽta præsumptio est rationabilis præsumptio, quæ propter magnitudinem vrgentiamq; magnam indiciorum ac inductiuorum, ad id rationabiliter ita omnino persuadendum, peruenit ad credulitatem, integrámve persuasionẽ id ita habere. Talis fuit illa præsumptio 3. Reg. 3. quæ refertur c. afferte de præsump. Cũ enim mulieres duæ coram Rege Salomone contenderent de puero quodam, cuiusnam earum esset filius, iussisset que Salomon puerum scindi mediũ, dimidiumque tradi vni, & alterum dimidium alteri, vrgentissimum tunc atque apertum indicium fuit, illam fuisse matrem illius quæ dixit;
C *date illi infantẽ viuũ*; addente altera: *Neque mihi, neque tibi, sed diuidatur*: meritoq; id sibi Salomon omnino persuasit, nullaque expectata alia probatione, protulit continuò sententiam, vt illi traderetur, quam adeò vrgens ac violentum indicium veram esse matrem pueri illius indicauit. Indicia itaque ac inductiua, quæ sui magnitudine ac perspicuitate meritò, seclusa omni dubietate, iudicem prudentem omnino persuadẽt, efficere dicuntur violentam præsumptionẽ: quoniam quasi violenter iudicem ad credulitatem
D omnimodam que persuasionem pertrahunt.

Quòd si interroges, in quo in re proposita 8 differat præsumptio à suspicione. Respõdeo, in hoc differre, quòd (sumptis vocabulis vt sumi communiter cõsueuerunt) latiùs patet præsumptio, quàm suspicio, sola quippe leuis aut vehemens præsumptio appellari consueuit suspicio. Dixi, sumptis vocabulis vt sumi communiter consueuerunt: quoniam aliquando violenta etiam præsumptio, quæ sufficit ad sententiã simpliciter ferendam, violenta & certa suspicio nũcupatur, vt constat. c. literis de præsump. Sumpto verò tam latè vocabulo suspicionis, in nullo suspicio ac præsumptio differunt.

Diuiditur præterea præsumptio rationabilis 9 minimeque temeraria, latè sumpta, in præsumptionem iuris, & in præsumptionem hominis. Præsumptio iuris est, quæ in iure inuenitur, atque iuxta quam dicitur ius aliquid præsumere; quandoque quidem violenter, quandoque vehementer, seu non modicè, vt habetur c. super eo de testib. & quandoque aliqualiter, seu leuiter. Ex eo enim, quòd Iudæis dicentib. Christo Ioan. 8. *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Christus solùm respondit: *Ego dæmonium non habeo*; non est vehemẽs, sed aliqualis, valdeque debilis præsumptio, quòd consentire in sensu aliquo voluerit se esse Samaritanum: potuerunt enim esse alia, ob quæ Christus ad illud aliud nõ respondit. Hoc verò tanquã

præ-

præsumptio leuis adducitur in iure c. nónne de A larũ duarũ mulierũ filius esset puer ille, de quo
præsump. iuxta expositionem beati Greg. in ho- cõtendebatur. Plurima autẽ præsumẽda atq; ar-
milia in eum locum. bitranda iudicũ prudentiæ relinqui docetur. *c. si*
10 Rursus præsumptio iuris subdiuiditur in eam, *testes. 4. q. 3. & l. 3. ff. de testib.* vbi habetur, iudicẽ
quæ à iurisperitis appellatur præsumptio iuris & sui animi motũ informare debere ex argumen-
de iure, & in eam, quæ ab eis dicitur præsumptio tis & testimoniis, quæ rei aptiora esse comperit & vero proximiora, ipsumque melius scire
iuris tantùm. Præsumptio iuris & de iure est, posse, quanta fides adhibenda sit cuique testium
quando ius non solùm præsumit aliquid, sed etiã spectatis omnibus circumstantiis, quam scriptis
ob eam præsumptionem statuit aliquid, tanquã doceri possit: neque posse certò definiri, quæ ar-
verissimũ sit, quod præsumitur ea præsumptio- gumenta ad quem modum probandæ cuiusque
ne. Eaque de causa aduersus eã præsumptionẽ nõ rei sufficiant: sed id iudicis arbitrio esse com-
admittitur probatio, sed cũ primũ constat de re, mittendum spectatis circumstantiis concurren-
obquã aliquid presumitur, fertur sententia circa tibus. Hoc ipsum confirmant. *c. in præsentia de re-*
id, quod ita præsumitur, non admissa probatio- B *nunciat. & c. causam de sent. & re iud.* Quamuis au-
ne in contrarium eius, quod eo modo præsu- tem certa regula tradi non possit, quid in parti-
mitur, idque siue ius exprimat, quòd ea proba- culari sufficiat, vt rationabiliter leuis præsumptio
tio non admittatur, siue nihil tale exprimat, vt concipiatur ac habeatur, & quid vt cõcipiatur &
Panor. notat. *c. super eo de præsump. n. 2.* Exempla habeatur vehemens, quid item vt concipiatur &
sunt. *Capite accusatas §. ille quoque de hæret. lib. 6.* habeatur violenta, sed prudentis arbitrio sit id
relapsus censetur, & vt talis iubetur puniri, qui iudicandum; confert tamen ad id arbitrandum
post hæresim abiuratam, de qua constat eum in attendere, quid in iure tanquam violenta, vehe-
illam incidisse, hæreticos recipit, deducit, visitat, mens, aut leuis præsumptio aliquibus in euen-
siue associat, aut dona vel munera eis donat vel tibus habeatur, atque ad eorum normam ac i-
mittit, seu fauorem eis impendit, qui excusari nõ mitationem cætera definire; itemque attendere
possit: quoniam illa violenter præsumuntur ex ad exempla aliqua, quæ à doctoribus traduntur.
abiurato iam ante errore prouenire. Alia præ- Tametsi fortè aliquando in iure, vel in odium
sumptio iuris & de iure habetur *c. filii. eod. titu.* delicti, vel in fidei fauorem, aut rei alterius, vt
aduersus quam ibi præcipitur non admitti pro- C matrimonii, aliquid tanquam violenta præsump-
bationẽ. Item c. is qui de sponsalib. statuitur pro ptio iuris & de iure in commune bonum statua-
matrimonio esse habendum, quando quis post tur, quod extra eos euentus non est iudicibus i-
sponsalia celebrata cum aliqua eam carnaliter mitandum, antequam à re ipsa statuatur ac de-
cognouit: quoniã presumitur maritali animo ad cernatur. Atque hac de causa, solũ quando præ-
illam accessisse, additque textus, contra eiusmo- sumptio est iuris & de iure, non admittitur pro-
di præsumptionem admittendam non esse pro- batio in contrarium. Eodem ratione statui non
bationẽ. Multa alia exẽpla sunt in iure. Hoc tamẽ potest certa regula, quæ præsumptio quæve in-
vltimum locum hodie non habet post conciliũ dicia sufficiant ad sententiam absolutè ferendã,
Tridentinum, quo est redditum nullum matri- puniendumque pœna ordinaria, consuetáve im-
monium aliter celebratũ, quàm præsente paro- poni pro eo delicto plenè probato. Itemque quę
cho, aut alio sacerdote ex facultate parochi aut indicia ad torturam sufficiant, aut ad iniungen-
ordinarii, & duobus aliis testibus. Obserua etiã, dam purgationem, vel ad suspendendum ab of-
quando iura in fauorem aut vtilitatem alicuius ficio, aut à beneficio, vsque ad sufficientem à de-
inducunt præsumptionem aliquã iuris & de iu- D licto, de quo est præsumptio, purgationem. Præ-
re, licèt non alias probationes admittant aduer- terea quæ indicia semiplenè probent, eo quòd
sus id, quod ita præsumitur, admittere tamẽ pro- æquipolleãt vni testi omni exceptione maiori, &
bationem contrarii eius, quod ita præsumitur, quæ pluſquam semiplenè probent, aut suffi-
per confessionem eius, in cuius vtilitatem intro- ciant ad tantam vel tantam pœnam arbitrariam
ducta est. Vnde si sponsa illa ante concilium Tri- iniungendam. Vnde hęc omnia arbitrio prudẽ-
dentinum confiteretur, sponsum non accessisse tis pensanda ac iudicanda sunt.
ad ipsam maritali animo, iudicaretur sponsum Nonnulla tamen in maiorem horum lucem 12
nec consummasse nec celebrasse matrimonium notando sunt. Primum est, quo grauius est cri-
cum illa eo accessu ad illam. Regula hæc colligi- men, acerbioríque pœna est puniẽdum, eo præ-
tur ex authentica necesse *C. de donat. ante nupt.* sumptionem debere esse maiorem ac vrgentio-
ibique doctores illam notãt, notat etiã eã *Panor.* rem, indicia debere esse vehementiora ac aper-
c. quia plerique de immu. eccles. n. 23. & aliàs sæpe. tiora, vt præsumptio violenta censeatur, hoc est,
Præsumptio iuris tantùm dicitur illa, quæ ha- sufficiens ad sententiam de eo crimine ferẽdam,
betur in iure, nullum tamen decretum statuit E illudque puniendum pœna ordinaria. Id quod
iuris in ea fundatum. Vt *c. mandata, & c. cùm in* aperte colligitur ex. *c. literas de præsump.* quo in
iuuentute de præsump. habetur, fuisse aliquem bo- loco Innoc. tertius de quodam valde suspecto de
num in præteritum, esse præsumptionem, talem hæresi ait, se propter solam suspicionem, quam-
quoque esse in præsenti, & talem fore in futu- uis vehementem, non velle eum de tam graui
rum: nihil tamen in ea præsumptione funda- crimine damnare. Quibus verbis satis innuit,
tum statuitur aç præcipitur. plus requiri ad damnandum de maiori crimine,
11 Præsumptio hominis est, quando iudex in ali- quàm ad damnandum de minori: idque Panor.
qua causa aliquid pro aliquo vel contra aliquem ibi notat.
rationabiliter præsumit. Neque enim præsump- Secundũ est, maiorẽ præsumptionem requiri
tiones omnes in iure continentur, sed plurima ad aliquem damnandum criminaliter, pœnamq;
arbitrio prudentis iudicis relinquuntur. Eiusmo- illi iniungendam, quàm ad eum damnandum ci-
di fuit illa Salomonis præsumptio suprà cõme- uiliter, id alteri adiudicando, de quo inter eos
morata, ob quã Salomon sententiã tulit, cuius il-

est contentio: quare, quod aliquando est sufficiēs & violenta præsumptio ad hoc secūdum, non est violenta & sufficiēs præsumptio ad illud primū. Exemplum est in illa Salomonis præsumptione, ob quam adiudicauit puerum illum, quæ vera erat illius mater: vt enim notant *Panor. & alii. c. afferte de præsump. Caiet. & Sotus art. 3. citato*, præsumptio illa sufficiens fuit ad damnandum ciuiliter eam, quæ nō erat vera pueri illius mater, filiū alteri adiudicando: nō verò fuit sufficiens ad damnandū eā criminaliter pæna ordinaria, qua propter id delictū erat digna: vnde non legimus, Salomonē talē pænā illi inflixisse. Exemplū verò violentæ præsumptionis ad damnādū aliquē pœna capitis est, si euaginato ense sanguineq; conspersō conspiciatur fugere de loco, in quo relinquitur aliquis interfectus. Imò verò iuxta Panor. c. tertio loco de probationib. & Bart. l. fur. ff. de furt. violenta erit præsumptio, si solùm conspiciatur egredi fugiens ense stricto de eo loco. Itē violenta præsumptio adulterii, & subinde vt pœna capitis imponatur, est; si quis nudus reperiatur in eodē lecto cum nuda aliena vxore. Atque hæc sunt indicia sufficientia ad condemnationē, de quibus est sermo. l. sciant. C. de prob. Minora verò alia, vt quòd comminatus priùs fuerit aliquis alicui mortem, qui postea reperitur interfectus, quāuis ad torturam sufficiant, aut ad pœnā arbitrariā, & ad vehementē præsumptionē; non tamen sufficiunt ad damnandū pœna ordinaria.

14 Tertium est, vnam præsumptionē eneruare aliā, quæ erat in contrarium. Vt præsumptio honestatis naturalis, quæ est inter consanguineos, eneruat præsumptiones, quæ argumēta ac inductiua sunt inter eos copulam interuenisse. Quo fit, vt maior probatio vehementiorque præsumptio (sumpta pro indicio ac inductiuo vnde aliquid præsumitur) requiratur ad probandum, violentérve præsumendum, copulam inter consanguineos, quàm ad illam inter alios probandam, violentérve præsumendam: idque, quod inter alios est violenta præsumptio copulæ, aliquando non erit præsumptio violenta copulæ inter consanguineos. Atque hoc probat. *l. si qui adulterii. C. ad leg. Iul. de adult.* cuius verba sunt: *Si qui adulterii fuerint accusati, & obtenta proximitatis intentata depulerint, per cōmemorationem necessitudinis fidem derogando, dū existimatur non debere credi, quod allegatur, vel non potuisse committi.* Quibus verbis, iunctis sequentibus, satis apertè habetur, consanguineos, qui de eo crimine accusantur, sæpe ex ea circunstantia à crimine absolui, quando ea circunstantia secluſa condēnarentur, quia id esset violenta præsumptio secluſa ea circunstantia. Probat etiam *l. eum qui. C. de Epist. & cler.* illis verbis: *Hac tantū eis* (clericis scilicet) *facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sani criminis existimari, fœdus naturale* (id est, consanguinitatis vinculum) *permittit.* Idem validè confirmant. *c. cùm in iuuentute de præsump. & c. penul. de cohabit. cler. & mulie.* & affirmat communis doctorum sententia, quam *Ant. Gom. l. 80. Tauri, n. 16.* refert ac sequitur. Inde verò n. 17 mouet dubium, num si consanguinei nudus cum nuda in eodem lecto reperiantur, censeatur ea violenta præsumptio copulæ inter eos, ita vt sufficienter probata censeatur, possintq; de incestu dānari. Et licèt quosdam referat, qui id negant, ducti iuribus citatis, asserentes, quāuis præsumptio illa violēta sit copulæ inter extraneos, iuxta. c. literis de præsumptionibus; non tamen esse violentā copulæ inter consanguineos: ipse nihilominus cū Panor. Fel. & aliis violentā esse asserit, etiā inter consanguineos, excepto, si ascendentes & descendētes sint. Idē ego intelligerē inter collaterales in primo cōsanguinitatis gradu, vt si frater & soror reperiantur in eodem lecto nudus cū nuda: quoniam *l. cū qui. C. de Epis. & Cler.* etiā collaterales in primo gradu commemorat, pareſque quoad eā suspicionē eos facit cū ascendentibus & descendētibus: & quoniā natura ipsa rei docet, eum consanguinitatis gradum, etiam in eo euentu, multū eneruare præsumptionem, quando simul nō adsunt alia vrgentia indicia, quæ illud indicium, in extraneis violentum, corroborent. Excipit etiā Ant. Gom. alios consanguineos & affines, si non secretò & occultè in latebrisque & horis ad id quæsitis nudus cū nuda in eodē lecto reperiātur: nam caput literis citatum de affinibus loquitur, & quando in latebris, locisque & horis ad id accommodatis nudus cum nuda in eodem lecto reperiuntur, pronunciatque eam præsumptionē violētam, & sufficientē ad diuortiū inter maritū & vxorē eo modo repertā cū consanguineo mariti. Ego verò nō adeò id extendēdū censeo, quādo nō aliæ circunstantiæ, vnà cum consanguinitate aut affinitate, adessent, quæ eneruarent ex parte eam præsumptionē: quoniā quādo sola cōsanguinitas aut affinitas in tertio aut in quarto gradu interueniret, imò & in secundo, parū admodū eneruaret adeò vehemētē violentāq; præsumptionē. Quòd autē masculi extranei nudi reperiantur in eodē lecto, bene Ant. Gom. subiungit non esse violentam præsumptionem copulæ sodomiticæ inter ipsos, quin neque leuis præsumptio erit, nisi adsint indicia alia, quæ suspicionem augeant.

15 Quartum est, indicia se inuicē adiuuare: indeque emanasse regulam illam iurisperitorū; *singula, quæ nō prosunt*, (id est, quæ nō sufficiūt) *collecta iuuant*; intellige, vel ad integrā probationē, vel ad semiplenā, vel ad plus quàm semiplenam.

16 Quintum denique est, sicut suprà dictū est, dari latitudinē in suspicione, opinione, ac credulitate: ita in re proposita esse dicēdū, dari latitudinē in leui præsumptione, in vehementi, & in violenta. Quo fit, vt sicut intra limites leuis præsumptionis esse potest vna præsumptio leuis maior, quàm alia; & intra limites vehemētis potest vna præsumptio vehemens esse maior, quàm alia, ita intra limites præsumptionis violentæ, esse potest vna præsumptio violenta maior, quàm alia.

His omnibus ita circa forum externum iudicium q; publicum explanatis, quæ licèt ad sequētem quintum de iustitia tractatum magis quàm ad hunc quartū attinerent, idcirco tamen hoc loco inserta sunt, quoniam inde quiuis in iudicio priuato, suspicione priuata, atque in priuata dubietate de delicto, aut existimatione de re alia, quæ alterius famam minuit, meliùs conjicere ac dijudicare poterit, quando temeritas interuenerit, quādo nō item, vnde pendet cognitio, nū in ea existimatione culpa interuenerit, an non: quoniam si temeritas adfuit, culpa procul dubio interuenit, eo maior aut minor, quo temeritas maior aut minor fuit: si verò temeritas non adfuit,

fuit, nulla sanè interuenit culpa, saltem qua iniuria illata ei sit, de quo ita est existimatum: his, inquam, ita circa forum exterius iudiciumque publicum explanatis, accedamus cum theologis ad iudicium priuatum.

17 Vno è tribus modis potest se quis habere ex parte intellectus, concurrente consensu, aut imperio voluntatis, in existimando de aliquo, quod famæ illius præiudicet. Primò, dubitando de bonitate, aut de aliqua alia bona qualitate illius, vt num peccatum commiserit, animúmve habeat illud committendi, num labem habeat, quæ maculet genus illius, aut dubitando de alia re simili, neutri parti contrarietatis aut cõtradictionis assentiendo, sed dubitatiuè se habendo, siue adsit inclinatio aliqua ex parte intellectus in partem alteram, absque consensu in illam, idque ob inductiua, quæ in eam partem solicitent atque inclinent intellectum, siue nulla talis adsit inclinatio intellectus in vnam partem magis, quã in aliam. Quamuis autem in eiusmodi dubio actus aliquis intellectus cernatur, in quo eo modo dubitans differt, non solùm ab eo, qui nihil de eo proximo cogitat, sed etiam ab eo, qui oblata sibi cogitatione circa eam qualitatem proximi suspendit omnino actum, etiam dubitationis deliberatæ aut voluntariæ circa illum, vel expellit eam cogitationem: quia tamen in eo dubio nullus assensus intellectus in partem alteram interuenit, sanè id dubium limites non ingreditur iudicii, siue temerarii, siue non temerarii. Solet verò eiusmodi actus, quando adest inclinatio intellectus in partem deteriorem, sine consensu tamen, appellari suspicio, cum hoc tamen addito quasi diminuente, ne fortè commiserit tale peccatum, aut ne fortè talem labem in genere suo habeat, &c.

18 Secundò potest quis ita esse affectus, vt assentiatur alteri parti, non tamen firmiter, sed cũ hæsitatione ac vacillatione, dubioq; admixto, qualis assensus his verbis exprimitur, videtur commisisse tale peccatum, sed res non est omnino explorata intra limites opinionis, sed est ex parte dubia. Atque eiusmodi actus appellatur suspicio simpliciter sine addito diminuente, & est medius actus inter dubium, de quo proximè sumus loquuti, & inter iudicium adhæsionémve omnino alteri parti sine dubio admixto, tametsi opinione & credulitate humana, cui ex natura assensus ac cognitionis non repugnat subesse falsum: id quod quiuis prudens & doctus, etiam si assensum eliciat opinione & credulitate humana omnino determinata sine vacillatione, hæsitatione, seu dubio admixto ex parte ipsius ita assentientis, facilè confitebitur ex natura talis assensus, quo ita rem sibi omnino sine hæsitatione admixta persuadet, non repugnare subesse illi falsum. Hinc quando *Caiet. 2.2.q.60.art.3.* ad secundum gradum explicatum ait pertinere illum, qui assentitur quidem ac iudicat aliquid sinistrum de proximo suo, non tamen ita firmiter, quin si se ipsum tunc interrogaret, an crederet existimationem suam fortè esse falsam, responderet, simul se credere posse esse falsam, est distinguendum. Quoniam si id quidem responderet, quoniam non firmiter adhæret, sed cum vacillatione & hæsitatione, verum sanè affirmat Caietanus: si verò id responderet, quia videt, opinionem & credulitatem humanam, estò determinata ac sine hæsitatione in dubio admixto concepta ac formata sit, esse talem, cui non repugnat subesse falsum, falliqúe ita opinantem ac credẽtem, falsum profectò Caietanus affirmat: quoniam tunc id verè est iudicium plenum, à suspicione distinctum, eoque magis temerarium de re sinistra ita absolutè & sine dubitatione admixta ex parte illud elicientis formatum, quo debilioribus indiciis formatum est, ob quorum debilitatem, si reflectat supra se ipsum, seque interroget, num credat eam suam existimationem falsam fortè esse, facile respondebit, simul se credere posse esse falsam, longè procul dubio faciliùs, quàm qui sufficientibus indiciis idem iudicium sine vlla temeritate formaret. Circa hunc secundum modum existimandi, quo quis potest esse affectus, quique suspicio sine addito diminuente dicitur, obserua. Quòd cùm latitudinem, vt suprà dictum est, habeat, possitque plus aut minus de hæsitatione ac dubio habere admixtũ, si multũ de hæsitatione ac dubio admixtum habeat, dicitur suspicio leuis: si verò parum de hæsitatione ac dubio habeat admixtum, dicitur suspicio vehemens. Vtraque autem suspicio suã etiam habet latitudinem, vt suprà etiam dictum est. Et leuis esse potest magis aut minùs leuis, & vehemẽs esse potest magis aut minùs vehemens, prout vnaquæq; intra suos limites plus aut minushabuerit de hæsitatione ac dubio admixtum.

Tertiò potest quis ita esse affectus, vt sine hæsitatione, vacillatione, dubióve admixto, credulitate plena ex parte assentientis alteri parti assentiatur, credens ita omnino habere. Atq; hæc est, quæ appellatur iudicium distinctum à dubio & à suspicione, etiam vehementi. 19

Illud dicendum est vniuersim circa hos tres modos, quibus aliquis ex parte intellectus, concurrente assensu aut imperio voluntatis, potest esse affectus in existimatione de re aliqua, quę famæ alicuius existimationíve, quæ de illo haberi debet, præiudicet. Tunc in vnoquoque eorum esse temeritatem, atque adeò iniuriam proximi lethalem aut venialem, quando actus cuiusuis horum trium graduum elicitur sine sufficientibus ad eam indiciis: quando verò ex sufficientibus indiciis seu inductiuis ad id de eo concipiendum elicitur, tunc vt nulla in eo cernitur temeritas, sic nulla in eo formando ac eliciendo sit ei proximo iniuria. Maiora autem requiruntur indicia ac inductiua ad non temere iudicandum aliquid sinistrum de proximo aliquo, quàm ad non temere suspicandum illud idem de illo, & maiora ad id non temere de illo suspicandum, quàm ad non temere dubitandum illud idem de eo. Quæ autem in vnoquoque euentu sufficiant ad non temere eliciendum aliquem illorum actuum, statui non potest certa regula, sed prudentis arbitrio est id relinquendum. Tametsi non adiuuent parum ad id meliùs statuendum ac censendum, quæ hactenus dicta sunt. Illud tamen est admonendum, minores probationes minoraque indicia ac inductiua sufficere ad non temere iudicandum aliquid iudicio priuato, quàm ad non temere iudicandum illud idem iudicio publico. Si enim vir vnus, de quo nulla ratione esset verisimile eum mentiri, mihi narraret, se vidisse aliquos adulterantes, aut aliud flagitium illos commisisse, idque narraret, vel animo, vt per me meliùs corrigerentur, vel

fortè leuitate sua mihi & aliis id manifestaret, A sanè temeritas nulla esset id credere, neque qui id ita crederet, vllam iniuram ei faceret, imò potiùs iniuriam faceret viro illi fide digno, si crederet illum falsum narrate, nihil impediente, quòd cerneret, malè illum facere id ita narrando. Id tamen testimonium, etiam testis omni exceptione maioris, & iuramento confirmati, atque in iudicio publica autoritate susceptū, sufficiens non esset ad sinè temeritate iudicium publicum ea de re ferendum, damnandumque illum, de quo id esset testificatum. Ratio autem est, quoniam sicut plus requiritur ad damnandum aliquem criminaliter, quàm ad damnandum ea de causa illum ciuiliter, & plus ad damnandum B cum de maiori crimine, vt supra explanatum, cōprobatumque fuit: sic plus requiritur ad sententiam publicam, iudiciúmve publicum, maximè quando in eo agitur de damno illi reo exterius ea de causa inferendo, quàm requiratur ad iudicium priuatum internum.

Iudicium temerarium an culpa lethalis sit. Et num etiam in suspicione & dubio temerarius, lethalis culpa aliquādo interueniat. Disp. 16.

SVMMARIVM.

1. *IS qui in re graui, & cum sufficienti deliberatione voluntatis temere dubitat circa sinistrum quid de proximo, idq; non firmiter, sed vacillanter, non peccat lethaliter, sed is qui firmiter iudicat, sine vlla hæsitatione.*
2. *Iudicium temerarium, de re quæ proximi famæ præiudicat, ex suo genere est culpa lethalis.*
3. *Vt iudicium temerarium peccatum mortale sit tria requiruntur.*
4. *Primò vt sit voluntatis actus planè deliberatus.*
5. *Secundò vt sit in re graui, quæ tantùm præiudicet famæ eius, vt id ad lethalem culpam in materia iustitiæ sufficiat.* D
6. *Tertiò, vt tanta interueniat temeritas in eo iudicio firmando, ac eliciendo, quæ prudentis arbitrio ad culpam sufficiat lethalem. Illa temeritas tripliciter accidit.*
7. *Aliud est iudicare probabilitatem quæ est ex indiciis, aliud est iudicare aliquem id fecisse, aut velle facere.*
8. *Quando iudicium temerarium est circa rē, quam non temere quis iudicat inesse alicui, licèt temere iudicet illā in se esse culpam lethalem, aut aliquid aliud infamans, cùm tamen ex ignorantia erret, non est culpa lethalis.*
9. *Ob magnitudinem indiciorum & inductiuorum ad id credendum aliquando tam parum temeri-* E *tatis est in aliquo iudicio temerario, vt licèt sit de re graui, ad culpam non pertingat lethalem, sed solum sit culpa venialis.*
10. *Suspicio de re graui, licèt aliqua in eo interueniat temeritas non est culpa lethalis: esse tamen aliquando potest.*
11. *Dubitatio de aliquo circa aliquod sinistrum, etiāsi temeritas ad sit, quando ad limites suspicionis non pertingit, regulariter non est culpa lethalis.*
12. *Quæ nam sit dubitatio de qua hic agitur.*
13. *Examinatio bonitatis alicuius personæ bono fine, nullum est peccatum.*

C *Aiet. 2.2.q. 60. art. 3. in summa verb.* iudicium 1
temerarium, & verb. suspicio, vniuersim affirmat, neque eum, qui in re graui & cum sufficienti deliberatione ac consensu voluntatis, leuibus atque in sufficientibus ad id indiciis ac motiuis, ac proinde temere, dubitat circa sinistrum aliquid de aliquo, aut id iudicat, cæterùm nō firmiter, sed cum hæsitatione, vacillatione, seu dubio admixto, peccare lethaliter, sed solùm eum, qui firmiter, hoc est, sinè hæsitatione admixta, id iudicat, peccare lethaliter. Addit Caiet. (& in eo *Sotus 3. de iust. q. 4. art. 3.* etiam consentit) Diuū Thomam in eo articulo 3. nomine eius, qui leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitat (quod D Diuus Thomas veniale esse affirmat, pertinereque ad tentationem humanam, sinè qua hæc vita nō ducitur) comprehendere, non solum eum, qui ita dubitat, vt nullum assensum eliciat, sed etiam eum, qui quamuis assensum eliciat, nō tamen ita firmum eum elicit, quin admixtam habeat hæsitationem. Qui assensus, ait Sotus, suspicio nuncupatur: id quod satis constat ex dictis disputatione præcedente. Confirmant verò Sotus & Caiet. Diuum Thomam, nomine eius, qui leuibus indiciis de bonitate alicuius dubitat, vtrumque illorum comprehendisse: quoniam explicando statim iudicium temerarium, quod de re graui ait esse culpam lethalem, esse dicit, quā- C do quis pro certo æstimat malitiam alterius ex leuibus indicis. Cui sententiæ concinit glossa in illud 1. ad Corint. 4. *Nolite ante tempus iudicare*, quæ est *Aug. tract. 90. in Ioan.* quam Diuus Thomas in confirmationem suæ sententiæ citat, & sic habet. *Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitiuas firmasq; sententias continere debemus.* Hæc glossa illa. Cum Caietano consentire videtur Nauar. *in Manu. c. 12. n. 9.* Alii verò aliter interpretantur Diuum Thomam, censentque in suspicione & dubio de re graui interuenire culpam, lethalem cum quibus ex parte consentiunt Sotus vbi supra, & Victoria in Commentariis manuscripD tis in eundem Diui Thomæ articulum.

Quid de hac re sentiamus, sequentes conclu- 2
siones aperient. Prima conclusio. Iudicium temerarium de re famæ, existimationíve, quæ de proximo haberi debet, præiudicante: ex suo genere est culpa lethalis. Conclusio hæc est Diui Thomæ art. 3. citato, & communis doctorum. Probatur, quoniam fama, bonaque existimatio in mentibus aliorum inter bona nostra computatur altioris ordinis ac valoris, quàm sint bona externa: ergo qui temerariè ex leuibus, minimeque sufficientibus indiciis ac inductiuis sinistrè de aliquo iudicat, contra iustitiam peccat, iniuriamque illi facit in re, quàm iure optimo plus E æstimat, quàm externa bona: cùm ergo peccatum contra iustitiam ex suo genere sit culpa lethalis; præiudicareque proximo per iudiciū temerariū in bono famæ existimationísve, quā de illo habere debebat, grauius ex se & ex sua natura sit, quā illi præiudicare in bonis illius externis, meritoque is, cui ita præiudicatur, grauius illud ferat, pluſque æstimet, quàm si in externis bonis esset ei præiudicatum; consequens profectò est, vt iudicium temerarium ex suo genere culpa sit lethalis. Itē, qui falsum testimoniū alteri dicit de re præiudicante bonæ existimationi alicuius, aut peccatum occultum illius alteri

detegit,

detegit, lethaliter peccat ex omnium sententia, quatenus iniusta causa est, vt is, qui id audit, sinistrè concipiat de eo, de quo id dicitur, famaque seu existimatio illius apud eum lædatur, etiam si periculum non sit notitiam illam diffundendā esse ad aliquem alium: sed non minùs iniuriam quis alteri facit in eo, quòd ipse temere de eo id malum iudicet & cōcipiat, quàm in eo, quòd detegendo crimen secretum illius, aut falsum testimonium de illo dicendo in causa sit, quòd alter similem existimationem de illo concipiat: ergo iudicium temerarium culpa est ex suo genere lethalis, Item, qui temerè de aliquo iudicat, illum sinè iusta causa apud se contemnit, vel certè eo ipso se exponit periculo temere atque iniustè illum contemnendi, ac iudicandi eum indignū muneribus, beneficiis, ac dignitatibus: ergo iudicium temerarium ex suo genere culpa est lethalis. Confirmatur ex illo Matt. 7. & Lucæ 6. *Nolite iudicare* (temere scilicet iudicio interno, aut etiam externo ore vlterius prolato) *& non iudicabimini* (iudicio videlicet condemnatorio ob eam culpam. Vnde statim subiungitur) *Nolite condemnare* (temere ac iniustè) *& non condemnabimini* (pœna videlicet iusta ob id delictū) *in quo enim iudicio iudicaueritis* (id est, pro qualitate iudicii, quo iniquè proximos vestros iudicaueritis) *iudicabimini* (pœna competenti vobis ea de causa imposita) *Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Vnde continuò addit, expedire magis, vt vnusquisque proprios defectus consideret, eosque corrigere ac deplorare studeat, vt ab eis purgetur ac mundetur, quàm alienos inquirere ac iudicare: indignumque esse, vt quis, neglectis maioribus suis delictis in minoribus alienis inquirendis ac iudicandis se occupet, etiam si obtendat, se id efficere gratia illos corrigendi: minusque aptum esse ad syncere inspiciendos minores alienos defectus, eosque corrigendos, qui maioribus est affectus, eosque corrigere non curat: sic enim addit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo; frater, sinè ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabes est in oculo tuo? Hipocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Et Iacobus Epistola sua canonica. c. 4. cū detractione, quæ ex suo genere culpa est lethalis, coniungit temerarium iudicium, dicens: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum detrahit legi*, deficiendo scilicet ab impletione illius seq; subtrahendo ab obseruatione illius. Addit, *& iudicat legem*, suum scilicet iudicium præferendo iudicio & mandato legis, quæ non temere iudicare cum præiudicio famæ proximi præcipit.

3 Secunda conclusio. Vt temerarium iudicium peccatum sit lethale, tria necessaria sunt simul concurrant. Primum, vt concurrat voluntatis actus plenè deliberatus, quantum in quauis alia materia sufficere solet ad culpam lethalem. Secundum, vt sit de re graui, quæ tantum præiudicet famæ eius, de quo tale iudicium habetur, vt id ad lethalem culpam in materia de iustitia ac iniuria sufficiat. Et tertium, vt interueniat temeritas tanta in eo iudicio formando ac eliciēdo, quæ prudētis arbitrio ad culpā sufficiat lethalē.

4 Quod attinet ad primum ex his tribus necessariis, vt temerarium iudicium culpa sit lethalis, A satis sunt, quæ diximus Disp. 13. vbi copiosè explicauimus, quando iudicium peragatur solo intellectu non interueniente consensu voluntatis, & quando consensus voluntatis censeri debeat non plenè deliberatus, atque adeò quando iudicium temerarium censendum sit carere culpa lethali ex eo, quòd ad illud non concurrat actus voluntatis plenè deliberatus.

Quòd verò ad secundū attinet, vt scilicet sit de 5 re graui, quæ tantum præiudicet famæ eius, de quo tale iudicium habetur, vt id ad lethalē culpam in materia iustitiæ ac iniuriæ sufficiat; multi hanc regulam tradunt, quòd quando aliquis temere de proximo suo iudicat id, quod in eo B proximo esset culpa lethalis, tunc id temerariū iudicium sit culpa lethalis: quando verò aliquid aliud temerè de proximo suo iudicat, tunc id iudicium non sit culpa lethalis. Probè verò *Sotus art. 3. citato*, post Victoriam, & multi alii post illos censent eam regulam non esse vniuersim veram. Primò, quoniam si de iuuene amoribus in honestis dedito, aut de aliquo alio, qui parū curet se existimari amoribus inhonestis deditum, aliquis temere iudicet, illum sinistra intentione mulierē aliquā aspicere, aut ad se eā afficere curare, sane tale iudiciū temerariū, hoc est, sinè sufficientibus tūc indiciis deliberatè conceptū, nō C erit culpa lethalis: quoniā modica aut nulla iniuria eo illi infertur. Atque idem censendum est de iudicio temerario, quo quis iudicaret de aliquo, ipsum velle digladiari cum alio, aut velle sumere de illo vindictam, aut aliquod aliud crimen, quando is nihil curaret, aut non multū ægre ferret, talem de ipso haberi existimationem. Idem esset de eo, qui famam omnino perditam haberet quo ad aliquod vitium, in quod sæpè incidisset, & à quo non esset emendatus, si de illo temerariè iudicaretur, commisisse actum alium eius vitii, vel velle illum cōmittere, estò ille peroptaret, nō talem de ipso haberi existimationē: quoniam adeò infamato de eo vitio, parum nocet quo ad existimationē de illo circa id vitiū ac D contrariā virtutem, existimatio temeraria, quòd vnum aliud peccatum eiusdē speciei etiā cōmiserit. Quo ad peccata etiam venialia, quæ cōsiderato statu, & existimatione sanctitatis, quę de illo habetur, multū detraherent de existimatione illius, & nō leuiter illius famā denigrarent, ita vt meritò ille ægrius ferret, talē de ipso haberi existimationē, quā si iactura iniusta in bonis ipsius externis fieret, quę ad culpā sufficeret lethalē, verisimile satis est, iudiciū temerariū quo ad illum, quòd in ea incideret peccata, aut detractio de illo, quòd ea cōmiserit peccata, culpā esse lethalē, ob notabile detrimētū, quod ea via famæ & existimationi, quæ de eo haberi debet, inferretur; E vt si de illo temere existimaretur, aut detrahe retur, mendacē esse, vel intēperatū valde esse in cibo & potu, aut aliis culpis venialibus esse deditū, quæ notabiliter, attēta qualitate status, & existimationis, quæ de illo habetur, denigrarēt famam ac existimationē illius. De eo, qui temere iudicaret, natū honesto loco, esse de genere hebreorū aut saracenorū, quidā dicunt, id culpam non esse lethalē: quoniam, inquiunt, apud Deum, & apud rectè sentiētes, id infame non est, cùm in eo nulla ipsius interuenerit culpa. Fatētur verò detractationē, qua id alteri significetur, esse culpam lethalē. Non tamen video, cur esse causam

iniuſtam, quòd alius de illo habeat eam exiſtimationem de re, quæ nulla eſt culpa ita infamati, neque apud Deum & homines rectè ſentientes vlla eſt infamia, culpa ſit lethalis: & non ſit culpa lethalis habere temerè & iniuſtè eam exiſtimationẽ ac iudicium de illo; cùm ille, de quo temerè id iudicatur, non minùs ægre ferat haberi id iudicium & exiſtimationem de ipſo ab eo, qui id temere iudicat, quàm ab alio, cui id detractione ſit ſignificatum: & cùm non minùs ea de cauſa ipſum interiùs, in ſuaque reputatione, ipſum contemnet ea de cauſa, qui id temere de ipſo iudicat, quã is, cui detractione id ſignificatum ſit. Quare tale iudicium temerarium de ea aut de alia ſimili re grauem iniuriam cum Soto vbi ſuprà & cũ aliisquo ad honorem & famam huius ſeculi reputo, quam ægriùs quiſque ferret, quàm ſi tanta læſio in bonis externis eſſet ei facta, quæ ſufficeret ad culpam lethalem, aut quã ſi temere de ipſo iudicaretur ipſum incidiſſe in culpam aliquam lethalem; ac proinde lethalem culpam in eo iudicio, ſi valde ſit temerarium, interuenire exiſtimo. Nulla ergo melior regula ſtatui poteſt ad iudicandum, quãdo iudicium temerarium ad culpam lethalẽ ex eo pertingat, quòd ſit de re graui, quàm attendere, num inde tãta iniuria ac læſio in fama & exiſtimatione illius ſequatur, quæ prudentis arbitrio ad culpam pertingat lethalẽ.

Ex dictis colligo, ſi quis in re graui temere iudicaret, aliquem indeterminatè commiſiſſe aut committere velle aliquod delictum, nullum in particulari hominem concipiendo ac deſignando, nõ peccare lethaliter: quoniam nulli in particulari faceret iniuriam. Niſi fortè id iudicaret de religioſo alicuius monaſterii in particulari, ita quòd iudicium illud in cõtemptum & peruerſam exiſtimationem religioſorum illius monaſterii aut religionis redundaret.

Colligo deinde, ſi quis in re graui temere iudicaret de aliquo determinato in ſingulari, quẽ à longè videret, aut de nocte inueniret, neq; eũ agnoſceret, neque agniturus eſſet, quis ille eſſet, non peccare lethaliter. Quoniam modicam illi iniuriam ac læſionem in ſua fama id ei efficeret, nulluſque ægre notabiliter ferret, talem de ipſo haberi ſiniſtram exiſtimationem. Hæc de ſecundo eorum, quæ neceſſaria ſunt, vt iudicium temerarium de aliquo culpa ſit lethalis.

6 Quod verò attinet ad tertium, nempe vt tanta interueniat temeritas in eo iudicio formando ac eliciendo, quæ prudentis arbitrio ad culpam ſufficiat lethalem, obſeruat *diuus Thomas art. 3.* citato, triplici ex capite euenire interdum ſolere, quòd quis temere de proximo ſuo aliquid iudicet. Interdum enim euenit ex parte iudicantis, qui qualis ipſe eſt, tales alios iudicat, ex ſua conſcientia alios æſtimans ac dimetiens, iuxta illud Eccleſiaſtici 10: *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Interdum verò prouenit ex prauo affectu ad eum proximum, puta ex odio, inuidia, aut alio ſimili affectu ad illum. Voluntas quippe vim magnam habet ad flectendum intellectum, iudiciumque rationis peruertendum: eaque de cauſa, qui prauè ad aliũ eſt affectus, facilè leuibus indiciis malum de illo ſuſpicatur ac iudicat. Interdum etiam prouenit ex longa experientia. Qua ratione *Ariſt. 2. Reth. c. 13.* ait, ſenes eſſe multum ſuſpicioſos, eo quòd multoties experti ſint aliorum defectus (tametſi alias etiam rationes coadiuuantes reddat, cur ſuſpicioſi ſint.) Et quidem quando temeraria ſuſpicio aut iudicium temerarium ex aliqua duarũ priorum cauſarum euenit, plus culpæ, cæteris paribus, habet, quã quãdo ex tertia cauſa prouenit, quatenus experientia, quòd cum paruis indiciis, quin & ſine illis, deprehendi id malum ſolet: ea enim experientia conducit ad temeritatem ex parte excuſandam.

Obſeruandum deinde eſt, aliud eſſe iudicare probabilitatem ac veriſimilitudinem, quæ eſt ex indiciis, vt aliquis ſiniſtrum quid fecerit, aut efficere velit, aut vt labes aliqua in eo ſit; & aliud iudicare id feciſſe, aut velle facere, vel in eo eſſe talem labem ac defectũ: quando enim indicia ſufficientia non ſunt ad abſolutè aliquid horum iudicãdum; ſunt tamen talia, vt prudentis arbitrio veriſimile ac probabile id efficiant, tũc nulla eſt temeritas iudicare veriſimilitudinem ac probabilitatẽ, quæ iuxta ea indicia eſt, vt id ſit. Quare non ſolùm ad ſufficientem cautelam, & ad ſubueniendũ malis, fas eſt iudicare eam probabilitatem, vt Diſp. 14 explanatum copioſè fuit; ſed etiam abſque vlla temeritate idem iudicat quicũq; alius, qui ſine tali bono fine id iudicat, & abſq; vlla iniuria eius id facit, de quo id iudicatur: quippe cùm non plus iudicetur veriſimilitudinis & probabilitatis, quàm ſufficienter ea indicia atque inductiua perſuadeant. 7

Illud præterea eſt obſeruandum cũ *Caiet. 2.2. q. 60. art. 4.* & cum pleriſque aliis, quando iudiciũ temerarium eſt circa rem, quam nõ temere quis iudicat ineſſe alicui, licèt temere iudicet illam in ſe eſſe culpam lethalẽ, aut aliquid aliud infamãs, cùm tamen ex ignorantia erret, taleque id in ſe non ſit, regulariter non eſſe culpam lethalẽ. Vt ſi quis, arbitratus ex ſua ignorantia imprecari malum iumento culpã eſſe lethalem, cernenſque aliquem iumento malum imprecari, iudicet illum peccaſſe lethaliter. tale temerarium iudicium nõ eſſe culpa lethalis: quoniam id non cedit in grauem iniuriam eius, de quo ea de cauſa exiſtimat is peccaſſe illum lethaliter: cùm illius ignorantiæ id imputetur, faciléque quiuis contemnat ex ea ignorantia aliquem arbitratum eſſe, ipſum peccaſſe lethaliter. 8

Illud denique eſt obſeruandum, cùm peccatum lethale in iudicio temerario expendendum ſit ex quantitate iniuriæ, quæ proximo fit, id temere de ipſo iudicando: & quo minora ad id iudicandum ſunt indicia, eo plus temeritatis & iniuriæ ſit ſiniſtrum aliquid de eo iudicare; quo verò maiora indicia ad id iudicandum ſunt, eo minùs temeritatis & iniuriæ in eo iudicio ſit: conſequens profectò eſſe, vt aliquando ob magnitudinem indiciorum ac inductiuorum ad id credendum tam parum temeritatis ſit in aliquo iudicio temerario, vt licèt ſit de re graui, ad culpam non pertingat lethalem, ſed ſolùm ſit culpa venialis: qua de cauſa rectè Sotus affirmauit, aliquando non poſſe certo definiri, an iudicium aliquod temerarium culpa ſit lethalis, an verò ſolùm venialis. Id verò multo magis habebit locum in ſuſpicione, eſtò in illa aliquid temeritatis interueniat. 9

Tertia cõcluſio. Suſpicio de re graui, licèt aliqua in ea interueniat temeritas, regulariter non eſt culpa lethalis: eſſe tamen poteſt de re adeò 10

graui,

graui, & tanta in ea interuenire poterit temeritas, vt sit culpa lethalis. Prior pars est glossæ ex Aug. desumptæ tractatu 90 in Ioan. suprаque relatæ, & diui Thomæ art. 3. citato, qui regulariter sunt intelligendi, in eamque cõsentiunt Caiet. & Sotus locis citatis. Probari autem potest. Quoniã in primis, si vel nulla ratione sit volũtaria seu libera, vt in suspicione longè faciliùs potest euenire liberam non esse, quàm in iudicio, tunc neque culpa erit venialis, estò materia valde sit grauis: quoniã sine libertate esse non possit ratio peccati, etiã venialis. Si itẽ nulla in ea interueniat temeritas, quia nõ maior est suspicio, quã indicia ac inductiua id suadeant, tunc nulla iniuria in ea sit proximo, vt de iudicio, in quo nulla interueniat temeritas, dictum est, ac proinde nullũ peccatũ contra iustitiã, etiã veniale, in ea interueniet, estò plenè deliberata sit, & de re graui. Quòd si vtiliter, fineque aliquo honesto, iuxta ea quæ Disp. 14 dicta sunt, ea suspicio eliciatur, tunc opus erit honestũ, & nec veniale peccatum in ea interueniet: si autem vtilitate & fine honesto careat, ad summum esse poterit culpa venialis, tanquam otiosum minimeque vtile opus. Porrò si non plus quis suspicetur, quàm iuxta quantitatem probabilitatis, quæ prudentis arbitrio sit, attẽtis indiciis ac inductiuis, iuxta ea quæ suprà dicta, sunt nulla erit temeritas in ea suspicione: si verò plus vehementiúsve suspicetur, tunc temeritas erit iuxta augmentum solùm maioris suspicionis, quàm pro quantitate indiciorum ac inductiuorum æquum sit id suspicari. Deinde verò suspicionem, etiam si interueniat aliqua temeritas, quia maior est suspicio, quàm indicia meritò persuadeant, & etiã si de re sit graui, (nã de re prudentis arbitrio nõ graui dictũ est iudiciũ temerarium non esse culpã lethalem, & multo minùs suspicio erit culpa lethalis) atq; etiã si interueniat libertas, regulariter nõ esse culpã lethalẽ, probatur. Quoniã licèt de iudicio temerario de re graui, interueniente plena deliberatione, & magna temeritate, attenta qualitate indiciorũ, ostensum sit esse culpam lethalẽ; non tamen cernitur tanta iniuria proximi in vno dũtaxat tali iudicio interno priuato, vt non posset facilè aliquis dubitare, num tanta iniuria eo fiat, quæ ad culpam lethalem sufficiat: cùm ergo in suspicione, cæteris omnibus paribus, maximè si nõ sit adeò vehemens, vt ferè nihil de dubio admixta habeat, vt regulariter esse nõ solet, ex vna parte sit longè maior iniuria proximi, quã in iudicio temerario; & ex alia minùs libertas esse soleat in illa, quã in iudicio plenè deliberato; eo quòd faciliùs & violẽtiùs rapi soleat intellectus ac voluntas ad suspicandum ex indiciis, quàm ad determinatè iudicandũ; & quãdo in illa temeritas interuenit, esse soleat modica, quoad excessũ, cõparatione quantitatis suspicionis, quã absque iniuria proximi poterat idẽ suspicans formare pro qualitate & quantitate indiciorũ, cõsequens profectò est, vt regulariter suspicio de re graui, etiã si in ea temeritas aliqua interueniat, non sit culpa lethalis: præsertim cũ de iudicio temerario de re graui dictũ sit, aliquando nõ pertingere ad culpã lethalẽ propter modicã temeritatem, quæ in illo interuenit. Vnde in praxi confessionũ nõ est ratio habenda suspicionũ, quasi in illis culpa interueniat lethalis, quãdo nõ sunt de re admodũ graui, atq; tunc cũ indiciis admodũ leuibus, Anisi quis in baratrum scrupulorũ incidere velit, perturbareque pœnitentes, iugumque cõfessionũ plus iusto reddere graue sibi ac pœnitẽtibus: præsertim cũ quando suspiciones admodũ sunt vehementes, quæ modicũ dubiũ habeant admixtum, pœnitentes distinguere nesciant illas à iudiciis temerariis, atque pro iudiciis temerariis illas soleant confiteri, vixque confessarii examinãdo pœnitentes discernere possint, num suspiciones vehementissimè sint, an potiùs iudicia temeraria. Quòd si doctus aliquis confiteatur, qui iudiciũ à vehementi suspicione discernat, ipse id aperiet, atque fortasse sub dubio confitebitur, nũ suspicatus id tantũ vehementer fuerit, an deuenerit ad iudicium temerarium. Adde sæpe non esse tantam temeritatẽ, etiam in vehemẽtissima suspicione, quæ ad culpam sufficiat lethalem: eo quòd vehementia indiciorum, quæ id vehementer suspicari efficiunt, aufert multum de temeritate eius vehementis suspicionis.

Posterior verò conclusionis pars, esse scilicet posse suspicionem de re adeò graui, & in ea posse interuenire tãtã temeritatẽ, vt sit culpa lethalis, ex eo cũ Soto & Victoria probatur. Quoniam in iudicio & suspicione temerariis, ex quantitate iniuriæ quæ fit proximo temerariè iudicando, aut suspicando de illo siniſtrũ aliquid, expẽdendum ac censendum est, num id iudicium, aut ea suspicio, culpa sit lethalis vel venialis: sed maior fit iniuria alicui, quòd ex leuibus omninoque insufficientibus indiciis opineris de illo cum vacillatione ac dubio admixto, seu suspiceris, illum hæreticum esse, aut patriæ proditorem, sodomiticum, vel concubitum habuisse cum matre, quàm si plenè iudices temere de illo commisisse fornicationem cum muliere communi, aut delictum aliud, quod non leuiter præiudicet famæ ac existimationi, quæ de illo haberi debet: consequens profectò est, vt suspicio non leuis in re illa adeò graui, pleneque deliberata, si leuibus indiciis concepta elicitaque sit, culpa sit lethalis.

Quarta conclusio. Dubitatio de aliquo circa aliquid siniſtrum, etiam si temeritas adsit, quãdo ad limites suspicionis non pertingit, regulariter non est culpa lethalis. Probatur, quoniam in dubitatione, estò temeritas aliqua interueniat, & deliberata sit, sitque de re valde graui, longè maiori iniuria, cæteris paribus, fit proximo, longeque proinde minor culpa interuenit, quã in iudicio temerario, & quàm in suspicione: atque ad non temere dubitandum longè minora iudicia sufficiunt, quàm ad non temere iudicandum, & quàm ad non temere suspicandum, vt ex se & ex dictis constat: ergo præterquam quòd dubitatio faciliùs esse poterit non plenè deliberata, quàm iudiciũ temerarium, & quàm suspicio, & quòd difficilius sit transigere hanc vitã sine dubitatione de probitate aliorũ, quã sine suspicione, imò quòd cauti esse attẽdereque à falsis etiã prophetis debeamus, propter humanam fragilitatem ac malitiam, quam sæpe in multis experimur; sanè rarò indicia sufficientia non erunt ad dubitationem de re quantumuis siniſtra proximi, quã formamus, & estò interdum insufficientia ad id sint, tam modica erit temeritas comparatione nudæ dubitationis, & tam longè minor erit iniuria temerariæ dubitationis, quàm temerarię suspicionis, vt ea temeritas & iniuria

ad

ad culpam non sufficiat lethalem. Ait *Sotus art.3.* A citato, dubitare de bonitate beatissimæ Virginis Mariæ, sancti Ioannis Baptistæ, aut alterius similis sancti, esse culpam lethalem. Id quidem fatemur, si ea dubitatio deliberata sit, imò erit hæresis: postquam sanctitas beatæ Virginis & sancti Ioannis Baptistæ adeò explorata est ac certa, vt ad fidem catholicam eam credere pertineat: eaque de causa in conclusione diximus, regulariter dubitationem deliberatam ac temerariam de re graui non esse culpam lethalem, quoniam aliquando rarò culpa esset lethalis: quando verò sanctitas alicuius non est adeò certa ac manifesta effecta, vt iudicio ecclesiæ manifesta fit canonizatione, aut beatificatione Sanctorum, aut si B manifesta sit effecta apertissimis miraculis, & cõsensu populorum, rarò sola dubitatio de probitate aut de peccato alicuius ad culpam pertingat lethalé. Tametsi quo grauior ac sanctior est persona, pluresque sunt circũstantiæ, quæ illius sanctitatem ac probitatem suadent, eo maiora indicia requirantur ad non temere dubitandũ de illius bonitate, grauiorque iniuria ei fiat, insufficientib⁹ ad id indiciis de illius bonitate dubitare.

12 Illud est obseruandũ, dubitationem, de qua modò loquimur, non esse suspensionem iudicii & assensus, vt Sotus arbitratur, falsò addens, nos teneri habere bonam existimationem de proximo nostro non suspendendo iudicii: sed esse adducere intellectu in quæstionem bonitatẽ proximi de illa diffidendo, & illam quasi dubiã examinando: quod si temere fiat, in iniuriam proximi cedit. In eo autem, quòd oblata cogitatione de bonitate aut de malitia proximi, iudicii suspendam, & auertam cogitationem ad alia, nolendo me intromittere in ea re, neque bonam neque malam existimationem de illo formando, neque illam curando examinare, adducereue in discrimen apud me, sanè nullam omnino facio illi iniuriam.

13 Illud item obserua, adducere in examen probitatem alicuius bono aliquo fine, vt quia cura & vigilantia circa mores illius incumbit ei, qui illos examinat, vel vt videat, num verè sit dignus & aptus, quẽ præficiat alicui rei, aut in quo beneficium aliquod collocet, nullum esse peccatũ: quoniam bono fine id fit, neque in eo vlla fit ei iniuria, cuius mores in eum finem examinantur.

Illud postremò obserua, ex solo iudicio temerario, aut suspicione vel dubio temerariis, non consurgere obligationẽ restituendi. Quoniam licèt iniuriam inferant, eo tamen ipso, quòd ab illis cessatur, cessat iniuria proximi in futurum, nullumque damnum remanet, pro iniuria autẽ præterita, quæ nullum damnũm relinquit, nulla restitutio debetur, vt duobus tractatibus præce- E dentibus sæpe dictum comprobatumque fuit.

Vtrùm dubia interpretari in meliorem partem debeamus. Disp. 17.

SVMMARIVM.

1. NOn tenemur, licèt temere iudicando in malã partem interpretemur, bonam existimationem de proximo habere, sed satis est, si abstineamus a sinistre illa in re iudicando.

QVæstio hæc excitatur propter glossam in illud ad Rom. 14: *Qui non manducat, manducantem non iudicet*, vbi glossa ait: *Dubia in meliorem partẽ sunt interpretanda.* Desumpta verò fuit ex Aug. lib. 2. de sermone Domini in monte. c. 28. Vbi enarrans illud Matth. 7: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c.* atque de iudicio temerario doctissimè & copiosè ibi disputãs, circa illud testimoniũ Matth. citatũ sic ait: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partẽ interpretemur.* Et procul dubio intelligit, non malè de illis iudicãdo. Nam ait, non aliud nobis præcipi illis verbis Matth. 7: *Nolite iudicare*, &c. Illis verò non aliud nobis præcipitur, quàm vt abstineamus à iudicio temerario, in peiorẽ partẽ interpretando, quæ dubia sunt, quo animo sint facta. Neque enim (quicquid *Sotus. 3. de iust. q. 4. art. 3 & 4* in contrariũ dixerit) tenemur tunc bonũ iudiciũ ac existimationẽ habere de proximo, sed satis est si abstineamus à siniſtre de eo illa in re iudicando, vt disputatione præcedente dictum est, & affirmant *Caiet. 2.2.q.60.art. 4.* & doctores communiter. Item cùm Augustinus ibidẽ copiosè doceat, nobis non esse prohibitum iudicium certum de iis, quæ perspicuè bona aut perspicuè mala sunt, vniuersimque ita de rebus iudicare, vt temere & cum periculo errandi in proximi præiudicium non iudicemus; circa ea quæ dubia sunt, sic ait: *Sunt ergo quædam media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus.* Ecce temerarium affirmat Augustinus, rem dubiam iudicare, determinatè in alteram partem, tam in bonã quã in malam, cum periculo errãdi. Addens verò, *maximè vt condemnemus*, non negat, temerariũ quoque esse, iudicare determinatè contrariam partẽ cũ periculo sentiendi falsum: quod sanè malum esset intellectus. Neque vnquã mihi potui persuadere, nõ solũ nos teneri habere iudiciũ, quo nobis persuadeamus id verè esse, quod ignoramus, ita esse, sed neq; licitè posse nos tale iudiciũ elicere, vt scilicet quãdo dubiũ est, an malo animo proximus aliquid fecerit, licitè determinatè iudicemus, eũ bono animo id fecisse, idq; nobis licitè persuadeamus. Tametsi hoc aliud iudiciũ habere tũc possimus, expediẽsq; ac bonũ est, vt illud habeamus, credẽdũ mihi nõ est, eũ malo animo id fecisse: quoniã in tali iudicio nõ erramus, estò ille malo animo id fecerit: quare ille habendus à nobis mihi nõ est malus ea de causa, neq; est cõdẽnãdus, sed potiùs est absoluẽdus, si ad nos spectet eum iudicare in exteriori foro: quoniã in dubio melior est cõditio ipsius, qui in possessione erat, vt nõ malus haberetur: nõ tamẽ est pronunciandum, eum id bono animo fecisse: quoniam periculum esset falsi in eo iudicio, in eaque sententia, ac proinde vtrumque esset temerarium, vt Augustinus perspicuè affirmat, tametsi tunc non esset iudicium temerarium cum præiudicio & iniuria proximi. Vnde in foro exteriori, quãdo aliquis accusatur de aliquo crimine, quod sufficienter aduersus illũ non probatur, absoluitur ille ab accusatione, pronũciãdo actorẽ id crimẽ de illo nõ probasse, quod sanè est verissimũ, estò ille verè id crimẽ cõmiserit: nõ tamen pronunciatur eum id crimen non commisisse, quod esset temerarium & mendaciũ: quip-

pe

pe cùm contra mentem eatur, non solùm quando affirmamus, quod scimus esse falsum, sed etiam, quando, quod dubium est, determinatè affirmamus esse aut non esse. Vnde & iudex, quando ita absoluit ac pronunciat sententiam, & quicunque priuatus, quando abstinet à iudicando temere de illo in sinistram partem, aut quando verè iudicat, sibi nõ esse iudicandum illum sinistra intentione id fecisse, vel quando iudicat ea de causa illum non esse ab ipso reputãdum malum, licitè simul iudicare secum potest, quantum probabilitatis ac verisimilitudinis ex indiciis sit, illum sinistra intentione id fecisse, aut illum id crimen fecisse, iuxta ea quæ præcedentibus disputationibus dicta sunt. Imò verò in foro exteriori interdum licitè ac iustè condẽnatur de leuiter aut de vehementer suspecto de eo crimine, vt ibidem dictum est. Quia ergo dum res aliqua est dubia, neutram in partem possumus eam absque temeritate iudicare determinatè, sed iudicium de illa determinatum ac certum ad Deum spectat. 1. ad Corint. 4. ait Paulus: *Nolite ante tempus iudicare,* (quæ dubia scilicet vobis sunt, minimeque explorata) *quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

A Et quidem quicquid sit exteriùs, quod iniustè honori alterius præiudicet, id totum pertinet ad vitium in genere iustitię commutatiuę circa bonum honoris contrarium, siue fiat signo, hoc est, verbo, scripto, aut quouis alio signo, vt cornua appendendo foribus alicuius, in signum quòd alius adulteratus sit cum vxore illius, siue fiat quouis facto, & siue fiat præsenti, siue absenti, & siue fiat viuo, siue defuncto, atque siue fiat in propria persona eius, cuius honori præiudicatur, siue in re ad ipsum attinente, vt in statua, equo, domo, in vxore, filio, mãcipio, aut in re alia illius, prout disp. 1. explanatum fuit, totidem modis honorẽ contrarium posse alicui exhiberi. Actus autem B voluntatis internus, quo quis iniustè aliquid tale fieri aut intentari consentiret, esset peccatum internum eiusdem vitii: sicut peccatum furti internum est consensus in furtũ, & peccatũ homicidii internũ est consensus in homicidium, & ita in cæteris vitiis. Vitium hoc in genere in toto suo ambitu, quo ad actum externum, contumelia dicitur latè sumpta, & cõsentit legitima ethymologia eius vocabuli tradita ab Vlpiano l. 1. ff. de iniur. dicitur enim à cõtemnendo: atq; in prędictis omnibus aut cõtẽptus opere cernitur, siue contẽptus intendatur à lædente iniustè in honore, siue nõ. Quòd autẽ cõtumelia fiat nõ solũ verbo, sed etiã facto, atque adeò quòd vtrũq; nomine vitii cõtumeliæ cõtrarii iustitiæ cõmutatiuæ C circa bonũ honoris cõprehẽdatur, affirmat perspicuè glossa interlinealis in illud ad Rom. 1. *contumelioſos*, quæ sic habet: *Contumelioſi sunt, qui dictis vel factis contumelias & turpia inferunt.* Dixi, id vitiũ in toto suo ambitu dicitur contumelia latè sumpta: quoniam aliquando contumelia presiùs sumitur, vt infrà dicetur. Hispanè vitium hoc in toto suo ambitu *afrenta* nuncupatur, & actus illius *afrentar*.

De vitio in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrario, hoc est, de contumelia latissimè sumpta.

Disp. 18.

SVMMARIVM.

1. *OMne quod iniustè honori alterius præiudicet, spectat ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium, siue fiat signo aut facto, siue absenti, siue præsenti: quod vitium contumelia dicitur latissimè sumpta.*
2. *Qui alteri præiudicat in bonis corporis & in honore, is non solùm peccat contra iustitiam commutatiuam circa bona corporis, sed etiam contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, peccato specie distincto.*
3. *Committitur etiam peccatum contra iustitiam cõmutatiuam circa bonum honoris, quando læsio honoris non intẽditur, & tamen inde ea sequitur, nisi probabilis ignorantia excuset.*
4. *Qui differant contumelia & detractio.*
5. *Interdum fit aliquid absque iniustitia, quod præiudicat honori alterius, & tunc non spectat ad cõtumeliam.*
6. *Quando vrbanitatis gratia licitè objiciuntur vitia & defectus, licèt cũ pudore sustinentiũ, nõ spectat ad contumeliam, dummodo moderatè fiat.*

EXplicato vitio cõtrario iustitiæ commutatiuæ circa bona famæ latissimè sumptæ, cuius actus imperatus à volũtate, aut voluntariè elicitus, est internus, mentẽ intellectúmve non egrediens, nempè explicato iudicio temerario, suspicioneque ac dubio temerariis, consequenter est dicendum de vitiis contrariis iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris & famæ, quorum actus imperati externi sunt. Ordiendumque nobis est à vitio in genere iustitiæ commutatiuæ circa honorem contrario.

Illud verò est obseruandum, non solũ quãdo 3 facto

facto aliquo, aut signo, intenditur iniustè læsio honoris, committi peccatum contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, sed etiam committi idem peccatum, quando ea læsio non intenditur, & tamen inde ea sequitur, nisi probabilis inuincibilisve ignorantia, quòd ea via talis læsio euenire posset, excusetab ea culpa. Verbi gratia, si quis fuste solùm intendat lædere iniustè corpus proximi, nō verò lædere honorē illius, sanè si actus ex se læsiuus sit honoris illius, simul peccat cōtra iustitiam commutatiuā circa bonum honoris, nisi ignorantia inuincibilis eum excuset ab ea culpa. Ratio autē est, quoniam ea iniusta læsio honoris licèt intenta non fuerit, fuit tamen voluntaria, quatenus in potestate eam inferentis fuit eam vitare, fuitque subinde imputatiuè ab illo volita, iuxta ea quæ 1, 2. q. 60. & aliàs sæpe dicta à nobis sunt. Quamuis enim ad rationem actus virtutis necesse sit obiectum eius virtutis esse intentum ac volitū qua tale; ad rationem tamen vitii ac peccati satis est si obiectum, malúmve, quod sequitur, sit voluntarium atq; imputatiuè volitum, vt ex se liquet, ac locis citatis est ostensum. Hoc admonui propter *Caiet. 2.2.q.72.* & sequētib. *Sotum. 5. de iust. q. 9.* & sequentib. & propter quosdam alios, qui in contumelia, detractione, & in aliis similibus vitiis, ad rationem & speciem talium vitiorū plus fortè iusto exigere videntur intentum inferendi dāna, quæ eis vitiis inferūtur. Quamuis enim absentia talis intentionis non parum culpam horum vitiorum extenuet, atque aliquando culpā, quæ alioquin esset lethalis, reddat venialem; nihilominus tamen semper, quando in potestate inferentis ea damna fuit illa vitare, saltem quia attendere potuit ac debuit nata esse inde sequi, neque id attēdit, cernitur ibi ratio ac culpa eius vitii, cum onere restituendi damna ita sequuta, si perseuerent, estò formaliter ea inferre non intenderit. Quando autem culpa tunc ad lethalem perueniat, prudentis arbitrio, spectatis circunstantiis omnibus concurrentibus, est iudicandum. Illud verò est dicendum, quando si æquale damnum, proportione quadam, in rebus externis eodem modo præter intentionem inferretur, cum eadēque animaduertentia, aut inanimaduertentia, quòd inde sequi posset, iudicaretur in ea materia culpa lethalis, iudicandam quoq; esse culpam lethalem in re, de qua disputamus: eo quòd bona honoris & famæ præstantiora sint bonis externis diuitiarum. Atque hæc poterit esse non inepta regula manuducens ad rectiùs arbitrandum, quando in eiusmodi euentibus, in quibus præter intentionem lædituri honor aut fama proximi, culpa interueniat lethalis contra iustitiam commutatiuam circa bona honoris ac famæ.

4 Illud facilè ex dictis hac & prima disputatione liquet. Afferri iniustè præiudicium honori, esse quod per se distinguit contumeliam à detractione, qua famæ iniustè præiudicium affertur. Fieri autem aliquid iniustè in præiudicium honoris aut famæ, in præsentia vel in absentia eius, cuius honor aut fama iniustè lædītur, per accidens ad rationem contumeliæ ac detractionis ad earūque inter se distinctionem se habent. Quocirca, vt ex dictis hac & prima illa disputatione facilè constat, quemadmodum honor exhiberi potest absenti ac defuncto, ita illis potest fieri

A contumelia, non solùm quando aliquid ignominiosum fit aut dicitur, vt tandem ad illius notitiam deueniat, in cuius dedecus cedit, sed etiam quando aliquid fit in re ad ipsum attinente, in contemptum ac dedecus illius. Item detractio fieri potest in præsentia eius, cui detrahitur, vt aduersus alios rectè notant *Nauar. in Manu. c. 18. n. 12. & 18. & Adria. quodl. 11. lit. D.* Si enim in præsentia alicuius crimina illius aliis iniustè manifestentur, qui illa ignorabant, sanè fama illius denigratur, eique detrahitur, estò simul interueniat contumeliæ peccatum, quatenus in facie illi ea obiiciuntur. Coniungi quippe in eodem actu optimè possunt duæ illæ speB cies detractionis ac contumeliæ, quatenus eo simul iniustè læduntur honor alicuius & fama illius coram aliis.

Illud præterea est obseruandum, idcirco nos § dicere, quod fit iniustè in præiudicium honoris alicuius pertinere ad contumeliam, vitium contrarium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris: quoniam interdum fit absque iniustitia aliquid, quod præiudicat honori alterius, & tunc non spectat ad vitium contumeliæ. Hispano autē sermone *afrenta* etiam id comprehendat, quod iustè fit contra honorem alicuius: atque etiam id comprehendit contumelia latino sermone, vt infrà ex Cicerone referemus. Quemadmodum C autem malefactor puniri licitè potest in bonis corporis, & in externis diuitiarum, prout delicta talem pœnam commeruerint: sic etiam iustè ac licitè puniri interdum potest ac consueuit in bonis honoris ac famæ, vt diuus Thom. 2.2.q.72.art.2.ad.2. etiam ait: neque tunc contumeliæ aut detractionis vitia committuntur, sed exercetur actus iustitiæ vindicatiuæ. Atque interdum simul punitur malefactor in corpore & in honore ac fama, vt quando publicè verberatur, triremibus in pœnam addicitur, aut furca necatur: interdum verò solùm punitur in honore & fama, vt quando exponitur in loco publico, vt verecundiam ab inspicientibus patiaD tur, aut ignominiosè defertur per vias publicas absque vlla læsione in corpore. Interdum quoque licitè culpæ aliquorum puniuntur obiurgationibus & improperiis à parentibus, magistris, heris, & ab aliis, qui iustè ac licitè id efficiunt, iuxta ea quæ duobus tractatibus præcedentibus dicta sunt. Nonnullis autem licitum est obiurgare, quæ malè fiunt, pudore ea ratione delinquentes afficiendo, quibus licitum non est punire in corpore, aut in externis diuitiarum bonis. Admonent verò *Caiet. 2.2.q.72. art.2. Sotus. 5. de iust. q.9. art.2.* consentaneè ad diuum Thom. ibi, & admonent alii, prælatos, religiosorum præsertim, debere abstinere quàm E maximè ab iniuriosis verbis, dum vitia puniunt aut reprehendunt. Quoniam, præter quā quòd indecens sit eo modo tractare sibi subditos, inde interdum sequi solent grauia mala, & maiores amaritudines, quàm ex aliis pœnis. Vnde (addunt multi) nisi suggerente Spiritu sancto, dici non debent iniuriosa verba.

Interdum etiam vrbanitatis gratia licitè ob- 6
iiciuntur vitia & defectus, corporis præsertim, etiā quando, qui id patiuntur, leui aliquo pudore afficiuntur, (modò tamē nō contristentur & cōmoueantur ad iram) quod proinde neque ad cōtumeliæ vitiū neque ad aliud pertinet, dūmodo

mode-

moderatè atque vt oportet id fiat, sed spectat ad virtutem eutrapeliæ ac vrbanitatis, iuxta *diuũ Th.q.72.citata, art.2.ad.1.* Vnde *Arist. 4. Ethic. c. 8.* ad eutrapeliam vrbanitatemque pertinere ait bene conuitiari. Et Tullius pro Cælio, *Maledictum.* inquit, *nihil habet propositi, præter contumeliam, quæ si petulantius iactatur, conuitium, si facetius, vrbanitas nominatur.* Quo in loco contumeliam in bonam etiam partem sumpsit. Neq; tam latè *afrenta* Hispanè sumitur, vt hanc, quam Cicero contumeliam appellauit, comprehendat.

A

Vtrùm contumelia latè sumpta ex suo genere sit culpa lethalis, sitq; in infima species. Et ad quod capitale vitium reducatur.

B

Disp. 19.

SVMMARIVM.

1. *CONtumelia latè sumpta est peccatum lethale.*
2. *Ex circunstantiis tamen nonnunquam est culpa venialis.*
3. *Contumelia latè sumpta, vt vitium totum iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium comprehendit, species infama est.*
4. *Contumelia frequentissimè ex ira oritur.*

C

1 QVod ad primum attinet, dicendum est, contumeliam ex suo genere culpam esse lethalem. Probatur primò ex illo Matth. 5. *Si quis dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si autẽ cõtumelia illa, quæ non inter maiores computatur, culpa est lethalis, si quidẽ sempiterno inferni igne punitur, vt Christus testimonio illo docet, consequens profectò est, vt contumelia ex suo genere culpa sit lethalis. Secundò, quoniam licèt contumelia ex suo genere minus graue peccatum sit, quàm homicidium, & quàm adulterium, quin & quàm simplex fornicatio, est tamen ex suo genere peccatum grauius, quàm furtum, vt vtrumque affirmat *diuus Th.2.2.q.73.art.3. de detractione*; est verò eadem ratio de contumelia, idque affirmant doctores communiter. Ratio autem est, quoniam grauitas peccatorum ex suo genere attenditur penes obiectum, à quo ratio & species peccati sumitur, & penes genus damni, quod infert: cùm ergo bona honoris & famæ media sint quo ad bonitatem ac præstantiã inter bona corporis & vitæ, quæ sunt illis præstãtiora, & inter bona externa diuitiarum, quæ sunt illis minùs præstantia; atque per homicidium, adulterium, ac fornicationem simplicem, præiudicetur bono vitæ ac corporis, saltem quo ad prolem generandam, vt alio in loco est ostendendum: per furtum verò præiudicetur bonis externis diuitiarum, consequens profectò est, vt contumelia & detractio, quibus præiudicatur bonis honoris & famæ, licèt minùs grauia delicta ex suo genere sint, quàm homicidiũ, adulterium, & fornicatio simplex, grauiora tamẽ ex suo genere sint, quàm furtum: quare cùm tractatu secundo ostensum sit, furtum ex suo genere esse culpã lethalem, idq; omnes confiteãtur, cõsequẽs profectò est, vt cõtumelia & detractio multo magis ex suo genere culpæ sint lethales.

D

E

Ex circunstantiis verò, vt si contumelia aliqua præiudicetur modicum honori eius, cui fit, aut si intenta non sit, & ex aliis circunstantiis, poterit interdum contumelia aliqua non solùm esse leuius multo peccatum, quàm furtum aliquod, sed etiam fieri poterit, vt non pertingat ad lethalem culpam, sed sit solùm culpa venialis. Ex multis verò capitibus euenire potest, vt contumelia aliqua modica læsio in honore fiat. Vt si id, quod contumeliosè dicitur aut fit, modicè læsiuum sit honoris: vel si is, cui dicitur aut fit, modicum honoris habeat, nec multum eam contumeliam curet ac pendat. Qua de causa contumelia, quæ si facta esset homini alicuius notæ, culpa esset lethalis, facta homini infimæ notæ, qui parum honoris habet, pro nihiloque honorem æstimat, erit solùm culpa venialis. Et contumelia, quæ facta homini maioris ætatis, culpa esset lethalis, facta puero, erit aliquando venialis. 2

Ex dictis disputatione præcedente intelligetur, quòd sicut furtum, vt suo loco tractatu est dictum, significat solùm contractionem externam iniustam rei alienæ: attentatio verò furandi, & voluntas interna furandi, quando effectus non sequitur, non dicuntur furta, sed peccata furti: sic contumelia solùm significat dictum & factum, quo iniustè præiudicatur re ipsa honori proximi: non verò attentationem inferendi iniustè præiudicium honori, quando non perducitur ad effectum, neque item significat nudam internam voluntatem præiudicãdi iniustè honori alterius: sed hæc dicũtur peccata contumeliæ, non verò contumeliæ. Hæc de primo eorum quæ præposita sunt.

Quòd verò attinet ad secundum, num scilicet contumelia latè sumpta, vt vitium totum iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium comprehendit, species infima sit. Affirmanter est respondendum cum *Caiet. 2.2. q.72.art.1. Soto.5.de iust.q.9.art.1.* & cum plerisq; aliis. Quoniam iniustitia contumelię non consistit in eo, quo tanquam medio ac instrumento iniustè honori proximi præiudicatur; tametsi ex qualitate medii iniuria interdum ac præiudicium honori accrescat, vel ex natura rei, vel in hominum æstimatione, sed consistit in præiudicio iniusto honori proximi illato: quare cũ obiectum vitii contumeliæ latè sumptæ sit honor, quo ad præiudicium, quod iniustè illi infertur, & non sint media diuersa, quibus id præiudicium infertur: præiudiciumque ipsum iniustè illatum semper sit eiusdem rationis in ratione præiudicii honori iniustè illati, quocunque medio id præiudicium inferatur, solumq; differat secundùm magis & minus, quod satis non est ad efficiendam diuersitatem specificam, cõsequens profectò est, vt vitium contumeliæ proximi species infima sit, nullas inferiores species sub se continens. Hæc de secundo. 3

Quod verò ad tertium attinet. Cùm vitium non capitale ex eo capitali vitio oriri dicatur, ex quo frequentiùs emanat: contumelia verò frequentiùs ex ira quàm ex quouis alio capitali vitio oriatur: meritò Greg. 31. Moralium contumeliam ex ira oriri affirmat, atque inter iræ filias eam computat, ad capitaleque proinde iræ vitium illam reducit. Ira autem ex ira oriri consueuit contumelia, vt instrumentum esse soleat, 4

leat, quo iratus vindictam de eo, in quam est iratus, sumere ea soleat. Vnde mulierum est potiùs id vitium, quæ arma alia non habent, quibus vindictam sumant, quàm virorum.

Vtrùm contumeliæ sint patienter ferendæ. Disp. 20.

SVMMARIVM.

1. *Consilium ac meritum est patienter contumelias ferre, quando aliud non exigit bonum aliorum, aut bonum eius qui contumeliam affert.*
2. *Quando ita expedit bono aliorum, aut iniuriam inferentis, consilium est respondere ac resistere; quia vnicuique mandauit Deus de proximo suo; præsertim si fieri potest sine damno aliquo, & si quando iniuriam patiens non valet se defendere.*
3. *Fas est etiam, dum iniuria adhuc fit, & vlteriùs continuatur, tueri honorem proprium: non quidem contumeliam in recompensationem acceptæ inferendo, sed impediendo, ne iniuria vlterius progrediatur.*

1 HVic quæstioni sequentibus conclusionibus est satisfaciendum. Prima conclusio. Consilium ac meritum est tacere, patienterque contumelias ferre, quando aliud non exigit bonum aliorum, aut bonum eius, qui contumeliam infert. Probatur, quoniam ea via euitantur mala, quæ oriri ac sequi possent, si resistere ac respondere vellemus, maximoq; cũ nostro merito virtutẽ patiẽtiæ exercemus tacẽdo atque id ferẽdo Dei amore ac eius proximi, idque via est cõmodata ac apta, vt is ipse, qui contumeliam infert, nostra patientia cõfundatur, redeat ad cor, ac emundetur, & vt, qui nostram intuentur patientiam, ædificentur. Confirmatur ex illo Psal. 37: *Qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Itemque exemplo Christi, *Qui cum malediceretur, non maledicebat, & cùm pateretur, non comminabatur*, vt habetur. 1. Petri. 2. plurimaque contumelius verbo & facto sibi illatas tacens patientissimè sustinuit. Ad Rõ. 12. *Non vos defendentes carissimi, sed date locũ iræ.* Et Matth. 5. *Qui te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* eadeque est ratio, quãdo cõtumelia & iniuria fit verbo, aut quocunque alio ignominioso actu. Porrò hæc & similia alia testimonia non sonant præceptum, sed consiliũ, quicquid *diuus Th. 2. 2. q. 72.* & alii innuere in contrarium videantur.

Secunda conclusio. Quando ita expedit bono aliorum, aut ipsiusmet, qui iniuriam infert, consilium est respondere ac resistere, quantum id alterius aut aliorum bonum postulat. Imò verò aliquando ad id quis tenebitur. Responsio tamẽ tunc esse debet moderata, atque intra limites rectæ rationis. Probatur conclusio, atque in primis quando id expedit bono iniuriam inferetis. Quoniam si respondendo ei, illique ostendendo falsitatem eorum, quæ dicit, aut alia via sine iniuria & peccato compescendo illius os, à peccato desistit, aut resipiscet, sanè lege caritatis tenetur id efficere is, qui cõtumelia afficitur, quãdo aliud malum inde non imminet, nec iustè timetur: quippe cùm vnicuique mandauerit Deus de proximo suo. Vnde Prouerb. 16. dicitur, *Respondes stulto* (qualis est omnis, qui peccat, & à recta ratione legeque Dei deuiat: sic enim frequenter in Prouerbiis Salomonis id vocabulum vsurpatur) *secũdum stultitiam suam*, (id est, vt expedit ad stultitiam illius respondeatur, eam illi ostendendo, vt recta tunc ratio circunstantiæq; postulauerint) *ne sibi sapiens videatur*, cùm tamẽ erret, stultusque sit. Proximè autem ante ea verba relata præmiserit idem sapiens: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam*, (hoc est, verba cõtumeliosa & inordinata, qualia ipse dixerat, atque in vindictam eorum quæ dixerat) *ne efficiaris ei similis.* Id quod confirmat vltimam partem nostræ conclusionis. Vnde, quod sapiens posteriori loco subiungit, nihil omnino repugnat ei, quod proximè ibidem præmiserat.

Deinde verò probatur conclusio, quando id 2 expedit bono aliorum. Quoniam cùm vnicuiq; Deus mandauerit de proximo suo, sanè quando ex eo, quòd ei non responderetur, qui contumeliam dicit, vera esse crederẽtur vitia, quæ improperat ac objicit, indeque in aliis generaretur scandalum, vel doctrina peruipenderetur, spiritualisque aliorum fructus impediretur, obligatio tunc esset respondere, si ex responsione, speraretur ea mala esse impedienda. Vnde Greg. Homil. 9 in Ezechielem, *Hi*, inquit, *quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.* Quando verò ex responsione non speraretur ea mala esse impediẽda, tunc obligatio ex eo capite non esset respõdendi ad contumeliam: quoniam id sine fructu fieret, sed patientia potiùs iuuat ad bene æstimãdum de eo, qui patienter suffert, & ad tollendũ scandalum, quàm si emittatur patientiæ actus, quando ex non omissione actus patientiæ veritas non persuadetur.

Quando contumelia iactaretur in alium, & ego, qui id audio, consulere possem honori illius, mea responsione obturando os peruersè aduersus proximum suum loquentis, aut defendendo honorem eius, qui iniuriam patitur, tenerer tũc id efficere, si commodè sine notabili meo damno possem, & qui iniuriam eam patitur, nõ posset sufficienter honori suo consulere. Quoniam non minùs tenetur quis subuenire iniuriam patienti in honore & fama, quàm patienti iniuriã in bonis externis diuitiarum, quando commodè & cum fructu potest id efficere, & alius non potest sibi ipsi sufficienter subuenire. Hæc tamẽ obligatio non est ex iustitia, sed solùm ex caritate, quando is ex officio non tenetur tunc subuenire eo modo.

Tertia conclusio. Quamuis in euentibus, extra commemoratos præcedente cõclusione, cõsilium sit non respondere nec resistere, sed sustinere contumelias patienter; fas tamen est, dum iniuria ad huc fit atque vlteriùs continuatur, tueri honorem proprium; non quidem contumeliam, in recompensationem acceptæ, inferendo, & multo minùs ea de causa percutiendo; quoniam id esset vindicta: sed impediendo ne iniuria vlteriùs progrediatur ac continuetur, viq;

illam

illam repellendo. Tanta autem esse posset iniuria, quæ contumelia inferretur, vt licitum illam patienti esset, interficere eam inferentem, quãdo aliud nõ sufficeret impedire, ne vlteriùs progrederetur. Pro modica verò iniuria repellenda nefas est interficere. Hæc omnia constant ex dictis tractatu præcedente, Disp. 17. Si enim pro defensione bonorum externorum diuitiarum, quæ alicuius sint momenti, fas est interficere, quando aliter defendi non possunt, longè maiori cum ratione effici licitè id poteris pro defensione honoris & famæ, quæ excellentiora multo sunt bona. Lege quæ disputatione citata quo ad hæc omnia dicta sunt. Post contumeliam verò completè illatam, fas est in eisdem euentibus sumere via iudicis competentem vindictam, non verò autoritate propria. Atque non solùm dum contumelia infertur, sed etiam post illam completè illatam, licitum est, non solùm arguere ac moderatè increpare peccatorem illum, sed etiã aperire rationes veras, quæ ea in re minuant autoritatem eius, qui eam infert, aut intulit, coram audientibus. Ratio autem est, quoniam id nõ est vindicta, quippe cùm eædem rationes adduci in iudicio licitè possint ante latam sententiam ad compurgendam ac tuendam propriam famam & honorem: quòd non liceret, si id esset vindicta: quemadmodum percussio illius qui illam intulit tunc non liceret: cõsentire autem in hoc videtur Sotus. 5. de iust. q. 9. art. vlt. Nihil tamen est licitum obijcere ei, qui iniuriã intulit, quod falsum sit, aut quod ad conseruandum & resarciendum proprium honorem ac famam nõ pertineat. Nihil item licet obijcere illi, aut de illo dicere in vindictam de illo sumendam autoritate propria. Qua etiam ratione illicitum est tacere, dum contumeliam alius infert, eo animo vt ille acriùs ea de causa commoueatur, ægriusque id ille ferat, animoque ea via sumendi de illo vindictam, vt rectè Sotus vbi suprà affirmat.

De conuitio, improperio, irrisione, & subsannatione. Disp. 21.

SVMMARIVM.

1. Quid sit conuitium.
2. Quid sit improperium.
3. Quid sit derisio, irrisio, & subsannatio.
4. In derisione, illusione, ac subsannatione, quatenus frequenter honor proximi iniustè leditur, species contumeliæ interuenit, licèt eis actibus læsio honoris non intendatur.
5. Quando derisio est circa opera virtutum, est graue peccatum, tum ex obiecto, tum quia homines à virtutibus deterrentur.
6. Derisio, illusio, ac subsannatio parẽtibus illata peccatum est graue, contrarium speciali virtuti pietatis parentibus debitæ: & grauius est, si Deo inferatur.

HÆc omnia ad contumeliam latè sumptã, vnà cum maledicto, aut maledicto, de quo disputatione sequenti sermo erit, spectant, aut certè coniunctam illam habere solent: & idcirco paucis sigillatim explananda sunt.

1 *Conuicium*, ait Vlpianus. l. item apud Labeonẽ. §. 1. ff. de iniur. *dicitur vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est, à collatione vocum. Cum enim in vnum complures voces conferuntur, cõuicium appellatur, quasi conuocium.* Hæc Vlpianus ibi. Consentit cum hac ethymologia significatione que huius vocabuli, quòd Tullius conuicium pro strepitu multarum vocum aliquando vsurpat. Pro Sextio sic ait: *Et is qui antea cantorum conuicio conciones suas celebrare solebat, cantorum ipsorũ vocibus ejicitur.* Et pro Archia: *Quia suppeditat nobis, vbi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures conuicio defessa requiescant.* Festus verò à vicis, in quibus primò habitari cæpit, deriuatũ esse ait. Et iuxta vtramque ethymologiam cum scribi debet. Alii verò dicunt, conuicium esse maledictum, seu vitium obiectum cum contumelia, atque à vitio deriuari. *Valla. 6. lib. elegantiarum* ait à cõuito esse dictum, quasi à nobis eũ vitemus, in quem similia obijcimus. Atq; iuxta has duas posteriores ethymologias scribi vocabulum hoc debet cum t. Sumpto ergo conuitio in malam partem, vt frequentiùs fumi consueuit, iuxta priores duas ethymologias conuiciũ dictum est quasi plurium coeuntium vocum ad vitium alicui obiciendum contumeliæ ac dehonestationis gratia, quemadmodum 4. Reg. 2. multitudo puerorum clamabat ad Eliseum, *Ascende calue.* Quamuis autem illæ fuerint ethymologiæ eius vocabuli, significat tamen etiam ea quæ ab vno solo similiter obijciuntur: neque enim est necesse vt ethymologia omnibus competat, ad quæ significanda sese extendit vocabulum. *Diuus Th. 2. 2. q. 72. art. 1. ad. 3.* ait, conuitium magis latè patêre, quàm contumeliam præsè sumptam, quasi cõtumelia solùm sit, quando obijcitur vitium moris, vt quando aliquis appellatur fur, ebrius, arrogans, &c. conuicium verò sit, quando obijcitur quodcunque vitium siue moris, siue naturæ, & quicunque alius defectus, vt si appelletur cæcus, caluus, gibosus, sordido loco natus, &c. Addit tamen contumeliam aliquando sumi latè pro obiectione cuiuscunque vitii ac defectus. Iuxta hæc contumelia nõ cõprehenderet maledictum, in quo nullum vitiũ obijceretur, sed solùm cõmendaretur aliquis Satanæ, aut imprecaretur ei aliud malum in iniuriam & contemptum illius, nullum vitium illi obijciendo. Hodie verò contumelia latissimè sumi consueuit, vt conuicium, maledictum præsè sumptum, & quamcunque aliam iniuriam cõprehendit verbo aut facto illatam, quæ honori præiudicet: quo pacto Disp. 18 & sequentibus à nobis est sumpta. Dixi, maledictum præsè sumptum: quoniam aliquando sumitur latè, vt contumeliam omnem verbo illatam comprehẽdit, etiam quando absque vitio vrbanè infertur, iuxta testimonium Tullii pro Cælio in calce Disp. 18 relatum.

2 Improperium idem esse videtur, quod conuiciũ, vt conuicium est obiectio in faciem alicuius vitii moris, aut naturæ, vel cuiusuis defectus: neque videtur comprehendere maledictũ, in quo vitium aut defectus non obijcitur. Atque improperare est, quod Hispanè dicimus *dar en rostro con alguna cosa*, quasi defectum ex parte eius, cui improperatur, obijciendo. Neque repugnat illud de illiberali & auaro Ecclesiastici 20: *Exigua dabit, & multa improperabit.* Quoniam sensus est, parua conferet beneficia, & multa improperabit, quasi in illis non respondeatur beneficio

cio collato, ingratusq; sit, qui id beneficium accepit, exigendoque quàm plurima in beneficii exigui gratitudinem, & queremonias multas excitando, quòd non respõdeatur beneficio accepto, easque queremonias in faciem objiciendo. Consentit illud Terentii in Andria: *Commemoratio hæc beneficiorum quasi exprobratio est immemoris beneficii*, quod est ingratitudinis vitiũ improperare. Probrum verò & opprobrium (quod obiectum probrum significat) idẽ quod improperium esse videntur: & exprobratio actum significat probrum objiciendi.

3 Derisio & irrisio (quòd Hispanè *mofa* dicitur) latiùs, quàm illusio, patêre videtur. Est enim, tam factis, quàm verbis, & tam in præsentia, quã in absentia, risui ac veluti ludibrio aliquid habere. Illusio verò est ludibrio habere factis, aut verbis, quasi decipiendo, quod irrisionis genus passus pro nobis est Christus, quando velata eius facie eum percutiebant, dicentes, *Prophetiza, quis est, qui te percussit?* quin & quando in Regis similitudinem coronatus est spinis, & veste purpurea est indutus, arũdine loco sceptri in dextera eius collocata. Latiùs tamen interdum sumitur illusio, pro aliis quoque ludibriis seu irrisionibus. Subsannatio autem est motibus corporis ac membrorum aliquem in præsentia, aut in absentia, irridere, ludibrióve habere, quod *escarnecer*, præsè sumpto vocabulo, Hispanè dicitur. Dicitur verò subsannatio à sanna, quod id ludibrii genus significat, Hispaneque *escarnio* dicitur. Id quoque genus irrisionis passus pro nobis etiam est Christus, dum mouentes capita sua illi dicebãt: *Vah qui destruis templum Dei, &c.* Quòd si horum aliquid moderatè fieret, sine contristatione & commotione ad iram, & sine læsione honoris ac famæ eius, cui aut de quo fierent, seruatisque reliquis circunstantiis necessariis, vt ad vitium id non declinaret, tunc ad vrbanitatis eutrapeliæque virtutem id attineret, estò rubore aliquo is afficeretur, cui id fieret, neque propriè id mereretur, nomina illa, quorum significatio proximè à nobis est explicata, quæque nomina ad vitia, quæ in eiusmodi actibus interuenire solent, significanda frequentiùs solent vsurpari. Interdumque metaphoricè sumuntur ad significandum, quod iustè fit in pœnam commeritam, Deo non dolente pœnas peccatorum, sed complacente in illas tanquam iustè inflictas, valdeque commeritas, iuxta illud Psal. 2: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Et illud Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne cõsilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro rideho, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis aduenerit: cum irruerit repentina calamitas, &c.* flagellorum meorum temporalium pro peccatis vestris.

4 In derisione seu irrisione, illusione, ac subsannatione, quatenus frequenter honor proximi iniustè læditur, vitium ac species contumeliæ interuenit, estò eis actibus læsio honoris nõ intendatur: quoniam satis est si voluntariè ac iniusta læsio honoris interueniat, vt actus, quo infertur, rationem contumeliæ sortiatur, vt Disp. 18 explanatum fuit. Quòd si simul iniustè fama lædatur, aut fama sola iniustè lædatur, & non lędatur honor, cernitur ratio detractionis, estò id non intendatur. Quatenus verò ex actibus illis sequi solet proximi erubescentia ac rubor, contristatio ac commotio ad iram & vindictam, sanè estò id non intendatur, sed intendatur capere eis actibus inordinatam oblectationem, nihil curando, quòd illa in proximo inde sequantur, culpa in eis actibus contra iustitiam & caritatem proximi cernitur, quæ esse poterit lethalis, si effectus illos notabiles inde euenturos intelligebatur, aut intelligi debebat, spectatisq; aliis circumstantiis concurrentibus. Multo autem magis culpa lethalis interueniet, si effectus illi in proximo intendantur, vt ex eis etiam effectibus inordinata oblectatio sumatur. Et multo magis si ex proximi odio effectus illi in eo intendantur.

Quando derisio est circa opera virtutum, est graue peccatum: tum ex obiecto; tum etiam quoniam arcentur homines à virtutibus aggrediendis ac exercendis, occasioque eis præbetur vt in vitia prolabantur. Quòd si de peccato duorum filiorum Heli, qui, antequam adeps incenderetur, cogebant immolantes dare partem carnium, quæ obueniebat sacerdoti, ait scriptura. 1. Reg. 2. *Erat peccatum puerorum grande nimis corã Domino: quia detrahebant homines à sacrificio Domini:* quantum, quæso, peccatum erit coram Domino, derisionibus circa opera virtutum arcere homines à virtutibus aggrediendis ac exercendis? 5

Derisio, illusio, aut subsannatio parentibus facta, peccatum est graue, contrarium speciali virtuti pietatis parentibus debitæ. A Noë maledictus fuit Chanaan, quòd deriserit eum, irreuerenterque se habuerit circa eum, nuditatem illius denunciando fratribus suis. Et Prouerb. 30 inter varia hominum genera detestabilia cõnumeratur: *Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.* Et infrà: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ,* (hoc est, matrem, quæ cum tanto dolore ipsum peperit, immemor gratitudinis, qua illis tenetur, ac reuerentiæ, quam illis exhibere debet) *suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ,* hoc est, dignus est, qui actus in patibulum ea de causa, corui & Aquilæ, qui ad cadauera deuoranda (maximè in eminenti patibuli loco posita) accurrere solent primi, oculum ei eruant: incipere enim consueuerunt ab oculis, dum in corpore aliquo depascuntur. 6

Hæc eadem, si in Deum fiant, ad peccatum blasphemiæ contra virtutem religionis spectat, vt à nobis in hac. 2. 2. q. 13 explanatum fuit. Et quia Christus Deus erat, ait Lucas. c. 22: *Et viri, qui tenebant Iesum, illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza quis est, qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.*

De maledictione. Disp. 22.

SVMMARIVM.

1. *Maledictio fit tribus modis, primò affirmando malum alterius: secundò, imperio malum alicui efficiendo, quod est eum maledicere: tertiò per modum optantis seu imprecantis malum.*

2. *Male-*

2. *Maledictio verbis expressa, si in præsentia alicuius fiat, honoriq; illius iniustè præiudicet, ad contumeliam spectat.*
3. *Maledictio, ex parte mali, quod maledicendo quis exoptat ei cui maledicit, si illicitè illud ei exoptet, ad solum odium spectat: vel pertinet ad iniustitiam, si via iniusta, ex parte eius qui id desiderat, illud ei exoptet.*
4. *Maledictio ex suo genere est culpa lethalis, sine contumeliæ sine odii rationem sortiatur. Ex circumstantiis porrò potest fieri culpa venialis.*
5. *Aliud est post maledictionem in aliquem conceptam, continuò non velle, vt tale quid ei eueniat; aliud verò non velle, etiam quando conjicitur, vt id eueniat; quod postremum excusat maledicentem à culpa lethali, quando maledictio non præiudicat honori notabiliter.*
6. *Creaturæ irrationales tribus modis in maledictione spectari possunt: primò per cõparationem ad creaturas rationales, ob quas sunt: Secundo, vt sunt effectus & opera Dei: Tertiò secundum se.*
7. *Vt maledictio creaturarum sæpe in pœnam hominis redundet, præsertim si fiat per modum imperii, licitè tunc fit ab eo, qui talem pœnam iustè imponere potest.*
8. *Creaturæ irrationabiles maledici etiam possunt ad aliquid significandum, idq; per modum imperii: ac tunc si is, qui ita maledicit, ius habet ad destruendum illam creaturam, licitè fit.*
9. *Eædem creaturæ maledicuntur etiam non in modum imperii, sed in modum optantis, nec semper ex animo, sed solùm exprimendo dolorem, idq; nonnunquam hyperbolicõs,*
10. *Excusatur impatientia Iob.*
11. *Quomodo intelligendæ in S. scriptura imprecationes mali pœnæ, quæ peccatoribus fiunt.*
12. *Blasphemum est maledicere creaturis, tam rationabilibus, quam irrationabilibus, vt sunt opera & effectus Dei.*
13. *Maledicere creaturis irrationabilibus, secundum se consideratis, non est culpa lethalis, at venialis.*

1 MAledicere cùm idem sit, quod malum dicere, tribus fit modis. Primo, enunciando seu affirmando malum alterius. Si autem famam minuat, vt quia detegitur iniustè crimen alterius occultum, pertinet tunc maledictio ad detractionem. Si verò honorem lædat, vt quia in faciem crimen aut defectus alterius obijcitur, ad contumeliam spectat. Imprecando item & exoptando alicui malum, aut etiam per modum imperii illud ei iniustè inferendo, (qui sunt duo alii modi, quibus maledictio fit, vt subiungemus) lædi potest honor, & qua ratione ea via iniustè honor lædituꝛ, ad contumeliam duo illi modi etiam spectant. Atque disputare de maledictione, quatenus famam aut honorem lædit, ad hunc quartum de iustitia tractatum pertinet. Et quatenus verbis maledictio fit, eaque iniustè honor aut fama lædituꝛ, qui illam exercent, maledici nuncupantur, de quibus Paul. 1. ad Corint. 6. ait, *Neque maledici neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Nomine item maledicti contumeliam omnem verbo illatam comprehendit Tullius pro Cælio in testimonio in calce Disput. 18 relato. Hac autem ratione de maledictione, quatenus sub contumelia latè sumpta comprehenditur, disputamus hoc loco. Tametsi hac occasione de illa latiùs etiam sumpta dicemus.

Secundo modo fieri potest maledictio, imperio malum alicui efficiendo, quod est eum maledicere. Atque hic maledicendi modus potissimùm conuenit Deo, qui suo imperio causa est rerum, (*ipse enim dixit, & facta sunt*) quique proinde dum bonum alicui impertitur, benedicere eum dicitur: maledicere autem alicui dicitur, dum malum illi infert. Idem maledicendi modus cõuenit etiam creaturis, quatenus imperio suo aliquem mouent ad malum aliquod in aliquem exercendum. Quo pacto iudex malum pœna infligi alicui iubet. Modus hic maledicendi licitè & illicitè fieri potest. Si enim pœna condigna sit, isque, qui illam infligi imperat, ius potestatémve legitimã eam imperandi habeat, neque odio alióve sinistro fine moueatur, tunc maledictio est licita: sin minùs illicita erit, & aliquando erit iniusta, iuxta ea quæ suprà in hac. 2. 2. in materia de caritate *q. 25. art. 8.* dicta sunt, & aliàs tractatibus præcedentibus.

Tertio modo fit maledictio per modum optantis, seu imprecantis malum alicui. Atque hoc vulgo consueuit appellari maledictio. Potestque etiã priuatis licitè & illicitè fieri. Quando autem licitè fiat, & quando illicitè, copiosè *q. 25. art. 8.* citato fuit explanatum, neque est cur, quæ propria sunt eius loci, hoc loco repetantur.

2 Maledictio hoc modo sumpta, verbis expressa, si in præsentia alicuius fiat, honoríque illius iniustè præiudicet, ad contumeliam pertinet, eaque ratione ad hunc locum de ea agere spectat. Quando autem ex hoc capite ad culpam pertingat lethalem, ex quantitate detrimenti honoris, & ex aliis circumstantiis concurrentibus, iuxta ea quæ Disput. 19 dicta sunt, est expendendum. Quòd si maledictio dicatur, ita vt peruentura non sit ad notitiam eius, cui maledicitur, vel alia ratione honori eius non præiudicet, saltem iniustè, cui maledicitur, vt si obiurgationis causa filius à patre maledicatur, seruus ab hero, aut discipulus à magistro, tunc non sortitur rationem contumeliæ.

3 Ex parte autem mali, quod maledicendo quis exoptat ei, cui maledicit, si illicitè illud ei exoptet, pertinet maledictio (siue simul sortiatur rationem contumeliæ, siue non) vel ad solùm odium, quod caritati aduersatur, vt si per causas naturales aut alia via non iniusta mortem aut aliud malum illicitè illi exoptet; vel pertinet ad iniustitiam, si via iniusta ex parte eius, qui id desiderat, illud ei exoptet. Atque pro diuersitate obiectorum, qualitatíve detrimenti, quòd exoptat, pertinebit ea maledictio ex eo capite ad diuersas species: vt si malum quod illi desiderat sit corporis, bonorum externorum diuitiarum, aut honoris & famæ, vel boni spiritualis. Quare in confessionibus attendendum examinandumque est, num maledictio rationem habeat contumeliæ, & num ex eo capite culpa sit lethalis: itemque num maledicendo

do exoptauerit proximo, cui maledicit, malum, quod illi imprecatur, & quale malum illi exoptauerit, num corporis, vel diuitiarum, vel honoris, iaut famæ, vel boni spiritualis, & num id ad odium duntaxat pertineat contra caritatem, (quod frequentiùs eueniet) an verò ad peccatum iniustitiæ.

4 Maledictio, siue rationem contumeliæ sortiatur siue odii, quia maledicens malum, quod imprecatur, illi exoptat, cui maledicit, ex suo genere est culpa lethalis, eo grauior, quo malum, quod maledicens exoptat, est maius, & quo, attentis circumstantiis omnibus concurrentibus, plus in ratione contumeliæ honori illa præiudicatur. Atque si maledictio sit in parentes, est specie distincta, vtpote contra virtutem pietatis. Id quod de omni contumelia facta parentibus est similiter dicendum. Si verò sit in Deũ, in ratione contumeliæ est blasphemia: si autem Deo malum exoptetur, est odium Dei.

Ex circumstantiis maledictio proximo facta esse potest culpa venialis. Vt si malum, quod ei desideratur, sit leue, aut si non ex animo, vt tale aliquid ei eueniat, maledictio sit in eum iactata, vel si non adsit plena deliberatio ad culpam lethalem necessaria, neque honori maledictione notabiliter præiudicetur. Hinc maledictiones parentum in filios, herorum in seruos, sine animo vt tale quid eis eueniat, sed ex ira, aut obiurgationis causa, vt communiter fieri solent, non sunt culpæ lethales. Idem est dicendum de quacunque alia maledictione, quæ sine animo vt tale quid eueniat conjicitur in aliquem alium, quando ei aliquod aliud notabile damnum non exoptat, neque, attentis circunstantiis omnibus concurrentibus, ea maledictio notabiliter præiudicat illius honori. Habet autem id verum, (quicquid *Sotus. 5. de iust. q. 12. art. 1.* in contrarium dixerit) etiam si aliquis diabolo alium commendet sine animo vt tale quid ei eueniat, vt regulariter homines eum animum habere non solent. Quando autem aliquis ex ira se ipsum diabolo commendaret, esto sine animo, vt ita eueniret, id faceret, non auderem eum excusare à culpa lethali ob fœditatem, horrorem, ac peruersitatem rei: eaque de causa, quando id in confessionibus deprehendo, soleo numerum eum peccatorum interrogare, acriterq; vitium id paterno affectu reprehendo. Quando item maledictio in patrem injiceretur, propter reuerentiam & obseruantiam, quam filii ei debent, præsertim si in faciem illi injiceretur, excusandum non erit regulariter à culpa lethali. Idem suo modo dic de maledictione suo modo in prælatum, in sacerdotem, aut etiam in herum.

5 Bene autem *Caiet. 2. 2. q. 76.* circa eiusmodi maledictiones omnes in communes proximos obseruat, aliud esse post maledictionem in aliũ coniectam, continuò non velle vt tale quid ei eueniat; aliud verò non velle, etiam quando cõjicitur, vt id eueniat, quasi solo verbo maledicat, (quod Caietanus appellat maledictionem non transire guttur) atque hoc secundum excusare maledicentem à culpa lethali, quando maledictio est de re graui, neque notabiliter honori præiudicat: illud verò primum eum non excusare à culpa lethali, quãdo tempore maledictionis verè desiderabat, quod ea maledictione proximo illi imprecabatur. Quo loco obserua, maledictionem conjici ex ira, & ex commotione magna animi, non esse indicium sufficiens ad iudicandum peruenisse ad culpam lethalem. Sæpe autem in cõfessionibus dum rudes aut timoratæ personæ examinantur, interrogatæ, discernere nequeunt, an animo vt ita res eueniret, maledixerint: meliusque pro rei & personarum qualitate id aliquando conjiciet prudens confessarius, quàm pœnitens id sciat exprimere ac confiteri, etiam varie à confessario interrogatus, dum ex ira & commotione, quam tunc habebat, timet, ne animo vt ita eueniret, id dixerit.

Vt verò aliquid de maledictione creaturarũ irrationalium, aut etiam rationalium inter illas & vnà cum illis, etiam dicamus, obseruandum est: Irrationales creaturas tribus modis, quod ad rem præsentem attinet, spectari posse. Primò per comparationem ad creaturas rationales, ob quas sunt. Secundò, vt sunt effectus & opera Dei. Et tertiò secundùm se. Primo modo spectatæ, variis modis possunt maledici. 6

Primò, vt ea maledictio in pœnam hominis redundat. Et quidem si maledictio sit per modum imperii ac causalitatis, licitè ab eo fit, qui talem pœnam iustè imponere potest. Hoc modo Deus Gen. 3 in pœnam peccati Adami maledixit terræ, reddendo illam minùs fœcundam, (quod etiam de illa, in qua paradisum plantauerat, intelligo) quàm fuerit condita, futuraque fuisset, quatenus id redundabat in laborem & afflictionem hominum, dicens: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.* Et, quasi dicat, non iam de fructibus arboris vitæ, & de aliis pomis paradisi, quæ optima & potentissima erant, ad sine alio tuo & posterorum tuorum labore conseruandam in magno vigore in integraque ac perfecta sanitate vitam. Simili modo Deut. 28 cõminatur Dominus maledictiones multas filiis Israel in pœnam, si mandata eius non custodierint, vt: *Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges tuarum, &c.* Contrà verò, si custodierint mandata illius, in præmium illis pollicetur copiosissimam earundem omnium rerum benedictionem, vt patet id totum caput legenti. Si verò eiusmodi maledictio fit in modum optantis, fieri licitè poterit à quocunque, qui licitè alicui desiderat pœnam in bonis illius, vel malum aliquod in eisdem bonis intuitu maioris boni, iuxta ea quæ Disput. 25. art. 8. citato copiosè explanata sunt. Quo in loco diximus, non valere hanc consequentiam; licitè quis potest alicui velle aliquod malum in pœnam, aut intuitu maioris boni, ergo licitè potest illud ei inferre, quoniam ad hoc secundum iurisdictio est etiam necessaria, quæ sæpe ei deest, qui licitè alicui pœnam aut aliud malum exoptat. Quòd si per modum imperii ac causalitatis bona alicuius externa ab eo maledicantur, qui id in iustam pœnam non potest infligere, vel in modum optan-

optantis alicui illicitè desideretur malum ali- quod in eisdem bonis, iuxta ea quæ art. 8. citato explicata etiam sunt, tunc culpa interuenit, aut venialis, pro quantitate mali, attentisque circunstantiis omnibus concurrentibus, idq; vel contra solam caritatem, vel etiam contra iustitiam, prout fuerint circumstantiæ concurrentes.

8 Secundò eædem creaturæ irrationales eodem modo spectatæ maledici possunt ad aliquid significandum, idque per modum imperii ac causalitatis. Ac tunc, si is, qui ita maledicit, ius habeat ad destruendum talem creaturam, eíve nocendum, licita est ea maledictio. Sic Christus, qui dominus est omnium, Marci 11 maledixit ficulneæ, in qua fructum non inuenit, quem esuriebat, sed tantùm folia, quæ statim à radicibus aruit, ad significandam maledictionem, pænamque grauissimam desertionis Dei, quæ imminebat Synagogæ, eo quòd reddere noluerit fructum iustitiæ. Sic etiam in grauissimis criminibus dirui domus & destrui ciuitates malefactorum præcipiuntur, saleque seminari, cum præcepto vt in æternum non reædificentur, in signum & memoriam ac detestationem tanti criminis eorum, quorum domus ac ciuitates illæ erant.

9 Tertiò creaturæ eodem ferè modo spectatę maledicuntur, non in modum imperii ac causalitatis, sed in modum optantis, nec semper ex animo vt id ita sit, cùm quàm sæpissime & vt in plurimum, qui eo modo maledicunt, impossibilia imprecentur irrationalibus aut etiam rationalibus rebus, & quæ vident futura omnino non esse, neque curant aut intendunt vt sunt, sed solùm exprimere dolorem suum & affectum, quamque indignum aliquid in se sit, vt euenerit, præcisè in se spectatum, vt funestum ac triste, non habita simul consideratione, quòd vtile illud alioquin sit ac valde proficuum, atque ex Dei dispensatione ac prouidentia in fines optimos profectum: qua ratione illi ipsi patienter, quin & gratanter, tanquam à Deo profectum, vt beneficium singulare, Deique donum ipsis factum, si viri sint sancti, (quorum exempla proferemus) complectuntur. Vnde in eiusmodi maledictionibus hyperboles interuenire solent non modicæ, ad magis ea ratione exprimendum animi affectum, quo ad id dicto præcisè modo spectatum: consuetæque antiquis temporibus fuisse videntur ad planctus & affectus circa mortes & alia infortunia exprimendos: magistræque erant, quæ ex munere habebant alias ducere ac instruere in cantu lugubri ac lamentabili infortunium exaggerando, laudesque defuncti proferendo, ad idque cum aliis mulieribus & hominibus se conducebant, præficę nuncupabantur, homines, qui in planctu idem munus exercebant, dicebantur præfici. De eiusmodi autem planctibus tunc consuetis sermo est in scripturis sacris in veteri & in nouo testamento. In eis verò imprecationibus rerum impossibilium mendacia non sunt, non solùm quòd hyperbolicè dicantur ad exprimendum affectũ, sed etiã quòd non in orationibus optatiuis aut imperatiuis, sed solũ in indicatiuis, quę solæ enunciatiuę nũcupantur, affirmationesque sunt aut negationes, mendacium cerni possit. Sic Dauid. 2. Reg. 1. ad exprimendum affectum, quem ipsi & alii filii Israel habere debebant circa infortunium mortis Saul & Ionatæ, atque aliorum fortium Israël, ad illudque exaggerandum, maledixit montibus Gelboe, in quibus acciderat, dicens: *Montes Gelboe. nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.* Satis autem est perspicuum, Dauidem intellexisse, Deũ ea de causa supernaturaliter nõ effecturum, vt nec ros nec pluuia deinceps caderent in eis montibus, neque colerentur agri, vnde primitiæ Deo offerrentur: præsertim cùm in pœnam iustam peccatorum Saulis eas cædes ibi permiserit, atque vt Dauid regno Israëlis potiretur, quem loco Saulis elegerat: neque videtur Dauid id optasse, sed solum ea via exprimere affectum ac dolorem habendum de eo infortunio in se præcisè spectato, seclusis affectibus inde sequutis, finibusq; optimis, ob quos à Deo fuit permissum. Maximè quia litera planctus illius tradita fuit à Dauid, vt filii Iuda illo modo plangerent infortunium illud, iuxta morem eius temporis: sic enim eodem capite 2 habetur: *Planxit autem Dauid planctum hunc super Saul, & super Ionatan filium eius. Et præcepit vt docerent filios Iuda planctum, sicut scriptum est in libro iustorum. Et ait: Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Incliti Israel, &c.* Facilè autem quiuis intelliget, eos, qui illum planctum canebant, illoq; modo infortuniũ illud lamentabantur, non intendisse optare & postulare à Deo, vt in memoriam eius infortunii nec ros nec pluuia caderent deinceps in eis montibus, nec colerentur agri, nec essent pascua: sed illa hyperbole optatiua intendisse solùm significare affectum & dolorem illius ruinæ, atque ad illius luctum ac planctum more illorum temporum se inuicem excitare. Eodem etiam modo alias hyperboles continet planctus ille ad laudes interfectorum more eorundem temporum, vt est illud: *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionatæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul nunquam est reuersus inanis. Saul & Ionatas amabiles & decori valde, aquilis velociores, leonibus fortiores.*

Eadem hyperbolica optatiua maledictione Iob capite 3 maledixit diei, in qua natus fuit, & nocti, in qua fuit conceptus, multa magna ex parte impossibilia per hyperbolem optatiua oratione exprimens, quæ suis tribus amicis significarent, quanta angustia & quot miseriis esset repletus, ad quas si solùm respiceret, & non ad Deum, cuius amore illas patiebatur, & à quo erant illi permissæ, atque ad præmium & bonum virtutis, quod perpessio earum afferebat, libenter optasset, se nunquam fuisse natum nec conceptum, mortemque cum vita fuisse sibi commutatam, antequam ad illas deuenisset. In quo sensu Ecclesiastes 4 Salomon etiam dixit: *Vidi calumnias, quæ fiunt sub sole, & laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtro-*

vtroque iudicauit, qui nunquam natus est, nec vidit mala, quæ fiunt sub sole. Quare præterquam quòd ea omnia à beato Iob optatiua hyperbole sunt dicta, more tunc in deploratione infortuniorum ac miseriarum atque in expressione affectus ac doloris consueto; & quòd impossibilia ita per hyperbolem optatiuè prolata intelligantur, si esse possent; sanè non intelliguntur simpliciter & cum omnibus suis circumstantiis, sed spectatis nudè ac præcisè miseriis illis in se & quo ad angustiam atque afflictionem, quam pariunt, seclusis aliis circumstantiis, quòd à Deo sint permissæ, & eius amore perferantur, & quòd bonum virtutis ac præmium patienter perpessæ afferant: quo pacto spectatæ non solùm sunt tolerabiles valde, sed & optabiles. Hoc enim modo illas spectatas patientissimè Iob ingentique cum merito illas pertulerat, vt ex duobus antecedentibus capitibus constat, adeoque per spem firmus in Deo erat, etiam post eam hyperbolicam maledictionem diei suæ, & post cęptam disputationem cum amicis suis, vt. c. 13 dixerit; *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Et. c. 19: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sulpantur in silice? Scio enim, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quæ verba copiosè expositimus *1.p.q.27.art.* Disput.

Illud, sub aliorum iudicio, concederem, tam in hac hyberbolica optatiua maledictione, post aduentum, planctum, ac silentium trium suorum amicorum septem illis diebus, quàm in sequentibus, attenta innocentia vitæ suæ, & magnitudine laborum, miseriarum, tribulationis, & angustiæ, quæ se immeritò pati contendebat, volendo stare cum Deo in iudicio, contendereque cum eo, maiora & acerbiora pati, quàm mereretur, (de qua re in fine capitis 39 & initio capitis 42 recognoscit suam insipientiam & culpam, agitque pœnitentiam) optasse sibi mortem cum vita commutari, vt à tam ingenti miseria & angustia liberaretur, vt perspicuè constat ex disputatione cum suis amicis. In quo à perfectissima patientia, vt homo, aliquid defecisse videtur, & fortè cum peccato aliquo veniali: eaque de causa Scriptura sacra duobus capitibus præcedentibus, cùm in calce capitis primi, post acerbissimam amissionem bonorum externorum, & filiorum ac filiarum, in laudem eximiæ patientiæ Iob dixisse; *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum loquutus est*; & cùm ad finem capitis secundi, post sanctissima illa verba ad vxorem accepto insuper vlcere illo pessimo, ex quo sedens in sterquilinio testa saniem radebat, eadem scriptura in commendationem eiusdem eximiæ patientiæ addidisset; *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis*, de maledictione diei suę, & de iis, que sequuntur, nihil tale scriptura dicit. Tametsi in iis, in quibus non peccauit, rectum ipsum fuisse loquutum scriptura ipsa A capite vltimo testetur: atque non sic rectum amicos illius fuisse loquutos, quatenus ex miseriis, quæ Iob fuit perpessus, temere illum iudicarunt hypocritam, peccatoremque occultum, Deumque hominibus per suam prouidentiam non permittere similia mala, nisi in pœnam suorum peccatorum. Quia verò in beato Iob tanta sanctitas atque innocentia adeoque eximia patientia fuit, peccatumque illius fuit ex ignorantia, facilè ab illo fuit erutus, facileque illi fuit condonatum, ob suamque eximiam patientiam cum ingenti merito bonis copiosissimis fuit cumulatus, intercessorq; à Deo ipso fuit constitutus, vt amicis illius B peccata remitterentur, quæ etiam ignoranter, intuituque honoris Dei, Deique partes aduersus beatum Iob defendendi, commiserant.

Circa illa verba, quibus inter alia Iob diei suæ maledixit; *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan*; inter alias expositiones, ea nobis magis probatur, qua *Leuiathan* duæ voces sint in Hebræo eo in loco significantes luctum suum. Vnde sensus illorum verborum est, *Maledicant ei*, diei scilicet natiuitatis ac conceptus mei, *qui maledicunt diei*, in qua scilicet aliquid triste atque aduersum aduenit, & inter eos illi, *qui parati sunt suscitare luctum*, id est qui tanquam C magistri, ducesque aliorum in planctu, præficique ac præficæ ea de causa dicebantur, parati sunt excitare luctum, ad illumque prouocare: hi enim consueuerunt & locum & diem maledicere, in quo id triste, quod plangitur, euenit, quasi dicat Iob, qui maledicere solent aliis diebus, in quibus aliquid aduersum ac triste aduenit, inter quos illi præcipui & frequentiores esse solent, qui magistri constituuntur ad tristia lugubriaque cantica componenda, & ad alios excitandum ac ducendum ad luctum, maledictiones, quas inter alios dies conjicere solent, eas omnes in eum diem conjiciant. Expositionem reliquorum D verborum maledictionis, quibus beatus Iob ille diei suæ maledixit, apud expositores eius loci legas.

Similis quoque hyperbolica maledictio, longeque durior, ad magis exprimendum dolorem, tædium, ac laborem suum, legimus apud Ieremiam. c. 20. Cùm enim, propterea quòd captiuitatem Babilonicam prophetasset, percussus fuisset, & in durissimum carcerem fuisset coniectus, atque ab omnibus exosus habitus fuisset, & quòd aliquantulum tardasset euentus, etiam à quondam sibi amicis pseudopropheta esset habitus, ac persequutus, adeò vt sanctus propheta in queremonias ad Dominum E ex impatientia (vt homo) fuisset conuersus; post excitationem ad laudem & gratiarum actionem Deo, quòd sibi astitisset tanquam bellator & adiutor fortis, eumque eruisset ab omnibus illis malis, euentuque comprobasset, veram atque ex Deo fuisse prophetiam suam, idque verbis illis: *Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberauit animam pauperis de manu malorum*; continuò, ad exprimendum in quanto tædio, afflictione, ac labore antea fuerit, subiunxit: *Maledicta dies, in quo natus sum; dies, in qua peperit me mater mea,*

non

non sit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo dicens, Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio letificauit eum. Sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœnituit eũ (subuersas scilicet fuisse, reparatiillas permittes, reuocando sententiam subuersionis earum) *Audiat clamorem manè, & vlulatum in meridiano,* (id est, nunquam deficiat tribulatio in domo eius) *qui non me interfecit à vulua,* (id est dum essem in vtero materno) *vt fieret mihi mater mea sepulchrũ, & vulua eius* (id est, vterus illius) *conceptus æternus* (ex quo scilicet nunquam sequeretur partus) *Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consumerẽtur in confusione dies mei?* Hæc per hyperbolem propheta ibi, postquam transacta fuit illius afflictio & angustia maxima, ad exprimendum, quantus tunc ipsius fuerit dolor, afflictio, ac tædium, & quali exclamatione hyperbolica dignum, si ad illud in se solùm oculi conjicerentur, sine aliis adiunctis circunstãtiis, quæ eum dolorem lenirent ac tolerabilem propter Deum bonumque virtutis ac meritum redderent. Atq; quòd per hyperbolem illa sint dicta, testatur, quòd iniquè & sine causa propheta exoptaret tantum malum homini illi, qui absque culpa, imò etiam meritò, natiuitatem ipsius patri suo nunciasset, & qui non sine graui peccato ipsum necasset in vtero materno: maximè cũ ignarus tunc fuisset afflictionum & dolorum, qui Ieremiæ erant superuenturi: & cùm impedituru ea via fuisset, sanctitatem maximam ac meritum eius prophetæ. Vnde Hieronymus in eum locum ait; Quæ omnia dicuntur hyperbolicè. Et idem de hac exclamatione Ieremiæ, & de illa alia beati Iob, affirmant Dionysius Carthusianus in eum locum, & in fine commentariorum in 3. cap. Iob. & alii.

11 *Quæstione. 25. art. 8. citato*, diximus, imprecationes mali pænæ, quæ in psalmis & prophetis inueniuntur factę peccatoribus, vt est illud: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius*, &c. Et sunt aliæ similes, vel esse prædictiones spiritu prophetico, vt sit sensus, conuertentur, & constituetur, vel esse imprecationes optatiuas vel imperatiuas, intuitu quòd ita iustum sit vt fiat, conformandoque se voluntati diuinæ ea in parte, prophetico spiritu agnitæ. Neque video, cur homines in hac vita, iustitiæ intuitu, & quia ita est dignum ac bonum vt fiat, petere iustè ac licitè possunt à ministris Dei iustã & competentem vindictam, & non eodem modo ac intuitu petere idem possint à Deo. Tametsi consulendum sit, vt potiùs à Deo postuletur misericordia circa eos, qui nos offenderunt, quique pœna sunt digni, quàm petere vt de illis Deus ipse nos vindicet, iustam pœnam illis infligendo. Tum quoniam illud primum postulat misericordia & caritas in eos proximos. Tum etiam quoniam id prouocat misericordiam Dei, vt nobis peccata nostra dimittat, misericordiam suam circa nos exerceat.

12 Si creaturæ, tam irrationales quàm rationales, spectentur secundo modo, nempe vt sunt effectus atque opera Dei, tunc blasphemum esset maledicere illis eo modo spectatis. Quoniam id cederet in iniuriam & contemptum Dei, à quo emanarunt: idque etiam si maledicereturdiabolus quo ad illius naturam quatenus est effectus Dei. Illud verò Ecclesiastici 21: *Cum maledicit impius diabolo, maledicit ipse animam suam*; non intelligitur de diabolo quo ad naturam, sed quo ad culpam: quod licitum est. Sensus verò illorum verborum est, iudicat se ipsum eodẽ modo dignum maledictione ob culpam, in qua similis illi est: iuxta illud Pauli ad Rom. 12: *In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.*

Si autem irrationales creaturæ tertio modo 13
spectentur, secundùm se scilicet, tunc quia capaces iniuriæ non sunt, non est culpa lethalis illis maledicere, sed solùm venialis ob indecentiam, quæ est eo modo maledicere, & quoniam id vanum, otiosum, atque irrationabile est, *vt diuus Th. 2. 2. q. 76. art. 2.* ait. Quare, qui iumentis, vento, pluuiæ, & aliis similibus rebus maledicũt, cùm regulariter illis secundùm se spectatis maledicant, regulariter quoque non peccant lethaliter, sed venialiter. Hoc loco dicendum post hanc disputationem foret, de pœnis pro delictis contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, & de restitutione propter damna honori alieno iniustè data, nisi commodiùs vtrumque explanaretur inferiùs, dum de pœnis ob delicta circa bonum famæ fuerit sermo, & de restitutione pro damno famæ iniustè illato.

De vitio in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrario, & de detractione parte illi subiecta.

Disp. 23.

SVMMARIVM.

1. OMne quod exteriùs fit, quod iniustè famæ alterius præiudicet, id totum pertinet ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium: actus verò internus voluntatis, quo quis iniustè aliquid tale fieri aut intentari consentiret, est peccatum internum eiusdem vitii.

2. Non solùm committitur peccatum contra iustitiã commutatiuam circa bonum famæ, quando verbo aut facto alióve signo intenditur læsio famæ alicuius, sed etiam quando non intenditur, nisi ignorantia probabilis excuset.

3. Detractio pars est vitii contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ.

EXplicatis vitiis, quæ sunt contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, dicendum consequenter est de vitiis iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrariis. Et quoniam à Disput. 13 dictum est de parte quædam subiecta huic vitio latissimè sumpto, cuius actus imperati interni sunt, nempe de iudicio temerario, suspicione & dubio temerariis, nunc solùm dicendum est de vitiis eidem iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrariis, quorum actus imperati externi sunt.

Quemadmodum autem Disput. 18 dictum 1
explanatumque est, quicquid exteriùs fit, quod iniustè honori alterius præiudicet, id totum pertinere ad vitium in genere iustitiæ commu-

commutatiuæ circa bonum honoris contrariũ: actum verò internum voluntatis, quo quis iniustè aliquid tale fieri aut intentari consentiret, esset peccatum internum eiusdem vitii: sic nunc est dicendum, quicquid exteriùs fit, quod iniustè famæ alterius præiudicet, id totum pertinere ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium: actum verò internum voluntatis, quo quis iniustè aliquid tale fieri aut intentari consentiret, esse peccatum internum eiusdem vitii. Potest verò (vt etiam circa vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris est dictũm) fieri aliquid exteriùs, quod iniustè famæ alterius præiudicet, non solùm vocalibus verbis & scriptis, atque aliis signis, vt cornua appendendo foribus illius, in signum quòd aliquis adulteratus sit cum vxore illius, similibusque aliis signis, quæ aliquid significent, quod in infamiã illius cedat, sed etiam factis. Si quis enim ita alapam alteri impingat, aut fuste illum percutiat, vel pedibus illum conculet, aut barbam illius euellat, vel simile aliud ignominiosum illi efficiat, vt ea contumelia in notitiam aliorum deueniat, sanè is non solùm contumeliam læsionemque in honore est passus, sed etiam passus est læsionem ac iacturam in fama & existimatione, quę de illo habebitur, interim dum iuxta leges mundi non sumpserit competentem vindictam. Paruipendetur quippe in aliorum existimatione, neque coram aliis apparere audebit, existimationem timendo, quæ de illo ea in parte habebitur, vt experientia testatur: longeque plus id faciet, quàm per eandem contumeliam læsionem sibi esse factam in reuerentia & honore, qui illi debebatur. Idem dicendum est de eo, cum cuius vxore ita adulterium sit commissum, vt in aliorum notitiam commissum id esse deueniat, & de quocunque alio, qui simili modo contumeliam sit passus. Sicut enim læsio in corpore, & læsio in honore, quæ interdum eiusmodi contumeliis iniustè fiunt, simul sunt contra iustitiam commutatiuam circa bona corporis, & contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, atque si vtrumque damnum perseueret, obligatio ex commutatiua iustitia consurgit restituendi vtrumque: sic quoque læsio, quæ simul iniustè in fama & in existimatione consurgit, pertinet ad distinctam speciem iniustitiæ contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ, consurgitque obligatio restituendi etiam id damnum, si perseueret: quandoquidem consequutiuè est voluntariè datum iniustè, vnà cum læsionibus illis aliis in honore & in corpore. Suntque species illæ tres vitii ac iniustitiæ sufficienter aperiendæ in confessione, aut quæ earum simul fuerint repertæ, vt Disput. 18 explanatum fuit. Multosque reperies, qui in contumeliis ad hanc rationem vitii contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ non attendant, neque ad damnum contra famam eiusdem contumeliis iniustè datum: cùm tamen quando contumelia simul honor & fama iniustè læduntur, consurgere soleat longè maior obligatio restituendi damnum famæ iniustè datum, quòd permanere maiusque esse solet, quàm damnum honoris, vt ex dicendis constabit. Fieri autem factis læsionem in fama, sicut & verbis, inter alios affirmat *Adria. quodl. 11. q. 1. lit. D.*

Quemadmodum Disput. 18 dictum est, non solùm quando facto aliquo aut signo iniustè intenditur læsio honoris, committi peccatum contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, sed etiam committi idem peccatum, quando ea læsio non intenditur, & tamen inde sequitur, nisi probabilis inuincibilisve ignorantia, quòd ea via talis læsio euenire posset, excuset ab ea culpa: sic quoque in re proposita est dicendum, non solùm quando verbo, aut facto, signóve alio intenditur læsio famæ alicuius, committi peccatum contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ, consurgereque obligationem restituendi damnum permanens famæ ita iniustè datum, sed etiam quando non intenditur ac sequitur, nisi ignorantia probabilis sit seu inuincibilis, quòd ea via euenire posset, quemadmodum à culpa iniustitiæ circa eam læsionem famæ, ita ab honore restituendi famæ damnum excuset. Ratio autem est, quam ibi reddidimus, quia scilicet ea iniusta læsio famæ licèt intenta non sit, est tamen voluntaria, imputatiueque volita, quod sufficit ad rationem vitii ac culpæ, & ad obligationem restituendi damnum ita culpabiliter contra iustitiam datum. Vt tamen ibidem subiunximus, id damnum non esse intentum, non parum extenuat rationem culpæ, fierique interdum poterit, vt ex eo capite culpa, quæ alioquin esset lethalis, solùm sit venialis. Prudentis autem arbitrio ibidem subiecimus, spectatis cæteris circumstantiis concurrentibus, esse iudicandum, quando tunc culpa ad lethalem perueniat: regulamque adiecimus vnde id melius posset iudicari. Quæ omnia vt in damno ita præter intentionem iniustè contra honorem dato locum habent, ita habent locum in damno circa famam similiter præter intentionem iniustè datam, eaque de causa non plus in hac re explicanda immoror.

Eadem Disput. 18 dicebamus, quòd per se hoc vitium distinguitur specie à vitio contrario iustitiæ commutatiuæ circa honorem, esse quòd in vitio hoc iniustè læditur fama, in illo verò lęditur iniustè honor: quòd verò in præsentia aut in absentia lædatur, per accidens esse, quo ad distinctionem horum vitiorum attinet. Vnde ibidem ostendimus, vitium hoc in præsentia eius posse committi, cuius fama iniustè lædatur, vt si vitium illius coram illo aliis manifestetur iniustè, aut etiam falsò, aut si contumelia illi fiat, quæ æstimationem ac famam illius lędat. Lege quæ ibi copiosiùs hac de re dicta sunt.

Non habemus nomen, quo hoc totum vitium contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ significetur. Pars quædam illi subiecta detractio dicitur. Et quamuis, si ad vim huius nominis, ad verbumque vnde id nomen deriuatur, attendas, sanè ad significandam detractionem cuiuscunque rei atque de quacunque re fuerit impositum, atque per translationem accommodatum sit ad significandam detractionẽ famæ iniustè atq; in malã partem, potuisset; proinde ea ratione trãsferri

ri & accommodari ad significandum totum hoc vitium; si quidem eo vitio toto signo aut facto iniustè detrahitur de fama proximi, eáve iniustè læditur; ex vsus tamen accommodatione solùm significat detractionem iniquam & iniustam verbo vocis, aut scripto, famæ alterius: & qui id vitium verbo vocis, aut scripto, committit, detractor dicitur. Hispanè *murmuracion* vitium hoc nuncupatur, & qui illud committit, *murmurador*. Videturq; vsurpatio harũ vocũ Hispanè ad id significandum, à murmure vocabulo latino, & à murmuratione originem traxisse: quòd vocis murmur interuenire soleat, dum id vitium committitur.

In quibus euentibus absque vitio, atque adeò licitè, nocumentum famæ alterius inferatur. Disp. 24.

SVMMARIVM.

1. *NOcumentum famæ alterius inferri potest sine peccato, quando ita est necessarium ad eruendum eum à peccato, cuius famæ detrimentum infertur, aut ad impediendum peccatum illius.*
2. *Item, quando nequitia eius, cuius famæ præiudicatur, ita est omnino necessarium ad malum impediendum, quòd reip. aut priuato alicui imminet, licèt inde nullum spirituale commodum eius, cuius famæ id detrimentum infertur, speretur.*
3. *Item, quando ad liberandum innocentem necessarium esset reuelare crimen occultum eius, qui verè nocuit.*
4. *Item, quando licita est accusatio de peccato alieno occulto, aut quis tenetur, vel licitè potest de illo testificari, aut denuntiare à iudice interrogatus vel non interrogatus.*
5. *Item, in pœnam iustam delicti ab eo commissi potestas publica licitè aliquem infamat.*
6. *Item, quando ita expedit bono communi, aut etiã bono eius qui infamatur.*
7. *Quando de vita & moribus requiritur, ad magnum aliquod emolumentum inquiritur, tunc nefas est detegere peccata eorum occulta, de quibus ad eum finem inquiritur.*
8. *Quando aliquid ita relinqueretur aliquibus, iisve qui ad id eligerentur, dummodo tales vel tales habeant conditiones, ita vt si eas conditiones non habuerint, ius ad id non habeant, tunc licet istos defectus, licèt paucis notos, detegere.*
9. *Licet etiam historiographis aliquid plus scribere in historiis, quod ad infamiam aliquorum, de quibus scribunt, spectat.*
10. *Quando in lesione propriæ famæ peccatum intervenit cõtra caritatem & non contra iustitiam, id non attinet ad vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium, sed ad vitium propriæ caritati contrarium.*

ANtequã vitium iustitiæ cõmutatiuæ circa bonũ famę contrariũ, parteśq; illius, magis explanemus, explicandũ est, in quibus euentibus absque vitio atque adeò licitè famæ alterius nocumentum inferatur. Quia enim sæpe absque vitio id fieri potest, idcirco initio præcedentis disputationis, explicando hoc vitium, dictũ est; quicquid exteriùs fit, quod iniustè famæ alterius præiudicet, id totum pertinere ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium.

A

Primò autem id licitè & absque peccato fit, quando ita est necessarium ad eruendum eum à peccato, cuius famæ detrimentum infertur, aut ad impediendum peccatum illius. Tunc enim licitè manifestatur peccatum illius occultum cũ detrimento famæ eiusdem, aut alia via præiudicatur licitè famæ illius: præcisè tamen quantum est satis ac necessarium ad eum effectum. Id verò inde originem habet, quoniam præponenda est vita spiritualis illius, illumq; Deum non offendere, famæ eiusdem. Quia tamen non maius detrimentum licitè inferri potest famæ illius ad eum effectum ac finem, quàm necessarium ad illum obtinendum sit, seruari debet ordo correctionis fraternæ in euangelio præscriptus, quo ad fieri poterit, atque sufficere sperabitur ad eum finem intentum, vt in materia de correctione fraterna copiosè à nobis fuit explicatum. Ordo quippe ille correctionis fraternæ in eo naturali iure fundatur, indeque originem traxit, quòd correctio proximi in bonum spirituale illius fieri debet cum minori iactura illius possibili, vt naturæ lumen præscribit. Lege circa hunc euentum, quæ diximus suprà Disput. 5. §. eodem modo.

B

C

Secundò idem licitè fit, quando nequitia eius, cuius famæ præiudicatur, ita est omnino necessarium ad malum impediendum, quod reipublicæ aut priuato alicui imminet, estò inde nullum spirituale commodum eius, cuius famæ id detrimentum infertur, speretur; tantum precisè famæ illius præiudicando, quantum nequitia illius ad id fuerit necessarium, vt Disp. 5. §. dixi suprà, hoc totum explanatum copiosè fuit. Illa legas.

2

Ex hoc & ex priori euentu sequitur, si famulus deprædetur dominum suum, aut filius patrem, neque aliter id damnum impedire possit, quàm domino aut patri reuelando, tunc reuelari ei debere, nihil impediente iactura famæ illius malefactoris, & punitione aliquali, quæ eidem malefactori ex eadem reuelatione immineret. Quoniam id totum postponi debet saluti spirituali illius, impeditionive, aut peccatorum, quæ, si id non reueletur patri aut domino, ille ea ipsa in re continuabit, & quòd impediatur id temporale damnum talis patris aut domini, quod culpa eiusdem malefactoris adhuc pendet in futurum. Si tamen satis esset admonere patrem, aut dominum, vt aliquid efficeret, vnde impediretur id damnum, sine reuelatione malefactoris, id solum fieri tunc deberet. Quando ex reuelatione malefactoris timeretur mors illius iusta, aut maius malum illius, quàm esset detrimentum temporale patris aut domini, reuelari tunc id delictum non deberet. Hæc eadem similiter intellige, quando filius aut domesticus inhonestè viueret, neque aliter speraretur vitanda peccata quæ pendent in futurum, quàm reuelando rem patri aut domino.

D

E

Propter eandem rationem, si aliquis se fingeret optimum medicum, aut idoneum ad aliquid aliud, ad quod idoneus non esset, idq; vergeret

geret in præiudicium alicuius, si admonitus de- A etiam bono eius, qui infamatur, licitè præiudi-
sistere ille non vellet, licitum esset detegere, ta- catur eius famæ, detegendo crimina & defectus
le illum non esse, quantum satis esset, vt id dam- illius, tantum præcisè, quantum ad id fuerit ex-
num impediretur, estò illius existimatio minue- pediens ac necessarium. Vt si aliquis sacros ordi-
retur. Imò verò, estò ille non se fingeret ad id i- nes petat, aut beneficium ecclesiasticum, aut a-
doneum, & alius vti ad id illo vellet, ignorans i- liud munus, sitque indignus propter delictum
doneum ad id illum non esse, licitum esset dete- occultum, ita vt promoueri, conferri ei benefi-
gere, idoneum illum ad id non esse, vt euitare- cium ecclesiasticum, aut præfici alicui muneri,
tur damnum illud proximi. pernicioſum futurum sit bono communi, aut

Eadem ratione si aliquis mihi, amico meo, saluti spirituali eius, qui id petit, aut cui id con-
aut cuiuis alteri proximo, imponeret aliquid, ferri paratur, quia incidet in baratrum delicto-
aut contra iuris ordinem accusaret, vel testifica- rum, quæ multum Deum offendant, dedeceant
retur, ita quòd iniustè ego aut proximus mane- id administranti, & cedant in scandalum aliorũ,
remus ab eo infamati, alterive notabili periculo detegendum tunc est id crimen illius occultum,
obiecti, sanè quando aliter repellere non posse- B non solùm quando de eo inquiritur, sed etiam
mus eam infamiam aut damnum, fas esset, vim quando de eo non inquiritur: modò tamen ex
vi repellendo, extenuare illius famam, quantum ea detectione fructus speretur: & modò id fiat
satis esset ad expellendam iniuriam ab eo nobis cum quàm minima iactura famæ illius fuerit
illatam: non quidem falsa illi imponendo, aut a- possibile. Ratio autem est, quoniam præponi de-
liquid in vindictam illi objiciendo, vel aliquid bet commune bonum, aut etiam spirituale eius
contra famam atque existimationem illius obji- peccatoris, famæ eiusdem.
ciendo, vel efficiendo, quod nihil ad nostram Quando autem de moribus & vita alicuius 7
defensionem & ad nostræ famæ purgationem inquireretur ad gradum in aliqua vniuersitate
inseruiat, sed solùm quod ad hæc inseruiret. sumendum, (vt in Euorensi academia, quæ Ec-

3 Tertiò, quando ad liberandum innocentem, clesiastica est, statutis illius fit) vel de moribus ac
necessarium esset reuelare crimen occultum e- vita alicuius feminæ inquireretur, vt illi eleemo-
ius, qui verè nocuit ac deliquit, licitum esset il- syna, qua nubat, conferatur; quoniam talis
lud reuelare cum detrimento famæ illius, & cu- eleemosyna relicta aut constituta sit, vt solùm
iusuis alterius pænæ, cui ea reuelatione subjice- C elargiatur feminis honestè viuentibus; vel quã-
retur. Verbi gratia, Petrus crimen occultum cõ- do de vita & moribus alicuius ad aliud simile
misit, quod Ioanni imputatur, ita quòd vita, fa- inquiritur; tunc nefas esset, detegere peccata
ma, aut aliud notabile bonum Ioannis periclite- eorum occulta, de quibus ad eum finem in-
tur, nisi detegatur Petrum id crimen cõmisisse; quiritur; sed solùm fas erit detegere ea pec-
tunc dico, tertium, qui sciuerit, non Ioannem, cata, de quibus ille laborat infamia: quoniam
sed Petrum id crimen commisisse, teneri illud illi soli, qui de eis criminibus infamia labo-
detegere præcisè quantum satis sit ad liberandũ rant, intendi videntur excludi ab eis gradibus,
Ioannem innocentem ab eo periculo ac detri- ab ea eleemosyna, aut ab alia simili re, ad quam
mento: modò tamen id non sciuerit per secretũ ea morum honestas exigitur. Neque quacun-
commissum in enentu, in quo iuxta dicta Disp. que de causa fas est detegere peccata secreta,
5. teneretur illud seruare. Ratio autem est, quo- aut de illis licitè inquirere: eo quòd pluris fa-
niam præponderare apud eum tertium debent cienda sit hominum fama, quæ alioquin mul-
fama & bonum innocentis, quàm hæc ipsa no- tum necessaria est ipsis ac reipublicæ, quàm
centis, quique dignus suo delicto est, vt detri- D vt ob similes res liceat præiudicium illi affer-
mentum in illis subeat, neque tunc vlla iniuria re. Qua de causa in materia de eleemosyna
in eo fit nocenti. Ita Nauar. c. inter verba. n. 702, *q. 32. art. 9.* dicebamus, nefas esse inquirere
in Commentario Hispano. Admonendus tamẽ peccata pauperum occulta ad eos, qui probi
esset nocens, vt se collocaret in loco tuto ante- sint, eligendos, vt eis potiùs, quàm aliis, e-
quam detegeretur, quando id sufficeret vt in- leemosyna conferatur: peccatumque esse le-
nocens liberaretur à periculo, in quo est. thale, tum ea de causa illa inquirere, tum e-

4 Quartò, quando licita est accusatio de pecca- tiam eadem de causa illa detegere: solumque
to alieno occulto, aut quis tenetur vel licitè po- fas esse illa de causa ea peccata inquirere ac
test de illo testificari, aut denunciare à iudice detegere, de quibus est saltem infamia. A re-
interrogatus, vel etiam non interrogatus, iuxta gula tamen tradita exciperem, quando ex sus-
ea quæ quo ad hæc omnia tractatu sequenti ex- ceptione talis gradus iustè timeretur nota-
plicanda sunt, licitè præiudicatur famæ talis pec- bile detrimentum boni communis & periculi
catoris detegendo peccatum illius occultum. animarum, vt si ob eum gradum is assumeretur
Pro bono quippe communi, & vt delicta impu- E ad munus, vnde periculum immineret animarũ,
nita non maneant, atque suam vel suorum iniu- aut si graue scandalum immineret ex eo, quòd
riam prosequendo, iustã vindictam ac compen- ille ad eum gradum esset promotus, vt si pecca-
sationem iniuriæ sibi aut suis illatæ postulando, tũ illius occultum sit tale, quod verisimiliter fiet
hæc licent: & aliquando, qui tale peccatum de- postea publicũ, relabetur is postea in illud ma-
tegit, ad id tenetur. gno cum dedecore gradus, & scandalo, quòd is,

5 Quintò, in pœnam iustam delicti ab eo com- qui ad eum gradum assumptus est, talis sit mori-
missi potestas publica licitè aliquem infamat. bus: id quod facilè euenire potest, præsertim si
Sicut enim pro delicto commisso licitè malefa- gradus sit doctoris in sacra Theologia. In hoc ta-
ctor punitur in corpore, & in bonis suis exter- men euentu, non quia statutis vniuersitatis sit
nis: ita etiam puniri iustè potest in bonis hono- sancitum, vt inquiratur de moribus illius, qui
ris & famæ, vt Disput. 18 dictum etiam fuit. eum gradum voluerit suscipere, fas est tale cri-

6 Sextò, quando ita expedit bono communi, aut men occultum detegere, sed quoniam natura

ipsa

ipsa rei, caritas, ac recta ratio postulat, vt pro bono communi id crimen detegatur, modò ex ea detectione fructus speretur.

8 Illud est obseruandum, quando aliquid ita relinqueretur aliquibus, iisve qui ad id eligerentur, dummodo tales vel tales habeant conditiones generis, vel alterius similis rei, ita vt si eas conditiones non habuerint, ius ad id non habeant, incapacesq; proinde ad id sint; tunc, estò eiusmodi defectus pauciſſimis noti sint, licitum est illos detegere. Quoniam agitur de euitando præiudicio tertii, & simul sæpe de euitando peccato ac iniustitia eius, qui id intendit, vt si eos suos defectus sciat, & nihilominus id intendat: eaque lege is censetur se ad illud opponere, aut illud intendere, vt quicquid de illo ea de re sciatur, detegatur. Quando tamen aliquis, ignorans se eo defectu laborare, defectusque is esset occultus; tunc is, qui eum defectum sciret, teneretur admonere eum, qui id intendit, vt priùs, quàm de eo inquireretur, aut quàm inquisitio absolueretur, desistat ab ea re intentanda. Si autem ille desistere non vellet, teneretur eum defectum illius detegere.

9 Pro bono item communi, quod ex historiis resultat, aliquid plus licitum est historiographis scribere in historiis, quod ad infamiam aliquorum, de quibus scribunt, posterorumque ipsorum spectat, quàm alioquin illis liceret, vt in sequentibus dicemus.

10 Illud quoque est obseruandum, quando in læsione propriæ famæ, aut alicuius alterius, peccatum interuenit contra caritatem, & non contra iustitiam, vt sæpe interuenire liquebit in sequentibus, id nõ attinere ad vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium, ex quo solo consurgit obligatio restituendi damnum in alterius fama datum, sed pertinere ad vitium caritati propriæ aut proximi contrarium: eaque de causa Disputatione præcedente, explicando vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium, diximus; quicquid exteriùs fit, quod iniustè famæ alterius præiudicet, id totum ad id vitium pertinere.

A qui ad aures nostras perueniunt. Et quia detractores, maximè dum timent ab eis audiri, quorũ famæ detrahunt, aut ab aliis, qui id ad eos deferre possint, solent summissè loqui, ita vt quasi murmur tenuisve sonus verborum ipsorum deueniat ad eos, quibuscum ita loquuntur de aliis detrahendo, aut ad aures aliorum, qui non longè distant, idcirco detractores nuncupati sunt susurrones: illi præsertim, qui ea de aliis reuelant, quæ pacem, amicitiam, ac beneuolentiam perturbare possint inter eos, quibus illa reuelant, & eos de quibus reuelantur, qui *gismeros*, & actus, quibus reuelantur, *gismes* castellanè dicuntur: Lusitanè verò *mixericheros* & *mixericos*: vnde naucula illa, velox in nauigando, quæ asportare solet nuncia, peruenisse naues Indicas ad insulã Angræ, & quæ peruenire solet asportando similia alia nuncia, *amixeriquera* in Lusitania nuncupatur. Hinc susurro & latè sumi potest pro detractore: vnde Isidorus 10. lib. Etymol. 28: *Susurro de sono loquutionis appellatur, qui non in facie alicuius, sed in aure loquitur detrahendo*; & glossa in illud Ecclesiastici 5: *Nõ appellaberis susurro*, ait, id est *detractor*: & potest sumi præsertim pro eo, qui ita detrahit, vt amicitiam, beneuolentiam, ac pacẽ perturbet. Vnde glossa in illud ad Rom. 1: *Susurrones, detractores*, ait, *susurrones inter amicos discordias seminantes: detractores, qui aliorum bona negant aut minuunt*, subaudi, aut aliter proximi famam iniustè minuunt.

Qui detrahendo amicitiam, beneuolentiam, pacemque perturbant, non solùm si sua detractione eum effectum intendant, sed etiam si illum non intendant, sint tamen illius causa voluntaria, quia attendere potuerunt ac debuerũt inde sequi posse, nec illum vitare curarunt, duplici sanè peccant peccato, necessariò aperiendo in confessione, si vtrumque, attentis circumstantiis concurrentibus, prudentis arbitrio ad culpam perueniat lethalem. Vno vitii iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrario. Et altero læsionis iniustæ beneuolentiæ ac amicitiæ proximi: quæ læsio ac damnum si permaneat, obligatio est in foro conscientiæ illud cõpensare, non minùs, quàm damnũ famæ eadem detractione iniustè datum. Satis enim est, si is effectus voluntarius fuerit, qui euitari potuit ac debuit, nec fuit euitatus, vt censeatur imputatiuè iniustè volitus, ac proinde vt in eo detractionis actu interueniat noua illa alia species vitii ac iniustitiæ, & vt obligatio sit restituendi id aliud damnum permanens, estò intentum non fuerit. Imò addo, si inde etiam vlteriùs damnũ aliud sequatur, vt læsionis in corpore, aut in bonis externis eius, de cuius fama est detractum, quia is, apud quem est detractum, inde permotus fuit ad illi nocendum in corpore aut in bonis externis, saltem expellendo illum à commodis, quæ ex ipso habebat, habiturúsve erat; sanè ea detractio ac susurratio adiunctas etiam habet has alias species vitii atque iniustitiæ circa bona corporis & circa bona externa, necessariò in cõfessione apperiendas, si voluntariè fuerunt, quia susurro attendere potuit ac debuit ex sua susurratione sequi ea damna posse, tenebiturq; tunc compensare illi ea damna, saltem in defectum principalis malefactoris, si alius iniustè tanquam causa principalis ea damna intulit.

Hoc loco obserua, susurronem, & eum præ-3 sertim,

De susurrone & bilingui. Disp. 25.

SVMMARIVM.

1. *QVid sit susurratio & susurro: & quomodo susurro à detractore differat.*
2. *Qui detrahendo amicitiam perturbant, non solùm si sua detractione eum effectum intendant, sed etiam illum non intendant, sint tamen illius causa voluntaria, duplici peccant peccato.*
3. *Susurro aliquando sine vitio detractionis potest peccare contra caritatem, tum eius cui illa detegit, tum eius de quo ita susurrat, dum occasio est, vt detrimenta illi sequantur.*
4. *Susurratio, quæ præiudicium iniustè amicitiæ affert, est species infamiæ.*
5. *Quis sit bilinguis & duplex lingua.*

SVsurratio propriè est murmur sonúsve non vehemens, sed tenuis, vt sunt aquarum decurrentium ac ventorum murmura, apud soni seu murmura, quæ *Zumbido* hispanè dicimus, & sunt similes alii tenues verborum soni,

sertim, quem Hispanè *gismero* dicimus, aliquando sine vitio detractionis susurrationibus, detractionéve eorum, quæ vnus de alio dixit, aut quæ in offensionem illius fecit, peccare posse grauiter contra caritatem, tum eius, cui illa detegit ac significat, dum occasio ea ratione est, vt succenseat in eum, qui illa in sui offensione dixit aut fecit, de eoque vindictam sumere velit, aut etiam re ipsa sumat: tum etiam contra caritatem eius, de quo ita susurrat, dum occasio est, vt detrimenta illi sequantur. Quando tamen compertum non fuerit peccasse contra iustitiam, sed solùm contra caritatem, quatenus verum dixit, neque detraxit famæ eius de quo illa dixit, quia erant publica, aut aliqua alia ratione, sed solùm peccauit contra caritatem, quia significare illa non debebat tunc illi, cui illa significauit, solumque ea narratione fuit occasio, & non causa, vt ea detrimenta illi alteri sequerentur, tunc ad nullam restitutionem eorum detrimentorum illi tenetur. Si autem non indebitè illa tunc narrauit ac detexit, sed licitè spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus, tunc neque contra caritatem peccauit, quicquid inde iustè aut etiam iniustè præter suam intentionem atque spem fuerit ea occasione sequutum. Dixi suprà, præsertim eum, quem Hispanè *gismero* dicimus: quoniam licèt fortè susurro is solus latinè dicatur, qui famæ alterius modo explicato iniustè detrahit; Hispanè tamen *gismero* is dicitur, qui quacunque ratione id non debuerat ei detegere, qui obiurgare, punire, au indignari ea de causa poterat: & aliquando ad eum etiam extenditur, qui iure optimo id facit.

A effectum ac damnum ex sua susurratione sequi posse, peccare, vel contra caritatem, vel etiam contra iustitiam, si iniustè id dixit ac detexit, vnde talis effectus sequutus est, peccato alterius speciei iniustitiæ quo ad eum effectum: itemque si inde vlteriùs sequutum sit damnum aliud iniustum, vt læsionis in corpore, quo maritus percussit vxorem, vel alius amicus suum amicum aut proximum, vel separationis matrimonii, vel damni illati in bonis exteris, peccare quoque peccato iniustitiæ specie distincto comparatione talis effectus, prout fuerit is effectus; nempe contra bonum corporis, vel contra bonum externum, modò tamen is, ex cuius susurratione id damnum sequutum est, attendere potuerit ac debuerit id damnum sequi posse. Itaque à Caietano dissentimus, quòd vt in susurratione interueniant hæ etiam rationes peccati atque iniustitiæ, necesse non est, vt intendantur ea susurratione, & vt ad eos effectus à susurrante ordinetur ea susurratio, sed satis est, quòd inde hi effectus nati sint sequi, & quòd susurrator attendere potuerit ac debuerit posse sequi: id enim satis est, vt sint voluntarii, ac proinde imputatiuè censeantur ab eo voliti, & per consequens vt ea susurratione peccauerit simul peccatis omnium earum specierum, & vt restituere teneatur ea omnia damna iniustè data, si inde sint sequuta ac permaneant. Ad primum ergo vnde Caiet. & quidam alii dicuntur, vt contrarium censeant, dicendum est, in primis, vt in susurratione ea ratio formalis vitii reperiatur, quam ipsi admittunt, necesse non esse, quòd susurrator intendat lædere mutuam beneuolentiam & amicitiam inter illos, sed satis esse, quòd ex ea susurratione sit natum id sequi, & quòd potuerit ac debuerit attendere id posse sequi, licèt id non intenderit, sed ex leuitate id narrauerit, aut ex appetitu ei placendi, cui id narrauit, vt dictum est. Dicendum deinde est, quòd licèt per accidens sit, quòd amicitia, cui susurratione læditur, sit ratione vtilis, delectabilis, vel honesti, si tamen damna in corpore aut in bonis externis, sint nata sequi ex læsione iusta talis amicitiæ, quæ censeantur imputatiuè ea susurratione volita, id satis esse, vt in ea susurratione interueniant etiam illæ aliæ species iniustitiæ. Ad secundum verò neganda est similitudo: quoniam in re proposita iniustitia interuenit in his effectibus imputatiuè volitis, & quorum susurratione data est causa iniustè: iniustitia autem circa bona corporis distincta est specie ab iniustitia circa bona externa.

B

C

D

4 Obseruat *Caiet. 2.2.q.74.* quamuis variæ amicitiæ species distinguantur, ratione vtilis, ratione delectabilis, vt inter coniuges, & ratione honesti, susurrationem nihilominus, quæ præiudicium iniustè amicitiæ affert, esse speciem infamiam. Quoniam susurratio per se tendit ad lædendam mutuam amicitiam ac beneuolentiam, per accidens verò quo ad id est, quòd amicitia inter eos, inter quos læditur, sit ratione vtilis, delectabilis, vel honesti. Et quoniam sicut ratio odii proximi est species infima, nihil impediente diuersitate malorum, quæ ex odio quis desideret proximo, sine tamen iniustitia ea in re aduersus eum distincta inter se sint specie. Fatetur tamen, quòd si susurro ordinet læsionem amicitiæ inter coniuges, vt ea via faciliùs cum vxore eius mariti adulteretur, peccare etiam peccato adulterii, ex relatione læsionis eius amicitiæ ad illum alium malum finem delicti specie distincti: si verò ordinet læsionem amicitiæ inter aliquos ratione lucri, vt impediat lucrum alicuius, committere etiam speciem iniustitiæ circa bona externa, quo ad id iniustum datum, tali susurratione intentum. Obserua tamen, in susurratione præter vitium iniustitiæ contrarium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ, si in ea susurratione læsio famæ iniusta interueniat, si ea via simul interueniat amicitiam ac beneuolentiam lædi ac dissolui, siue susurro id intenderit, siue non, sed solùm ex leuitate detexerit id, vnde præter intentionem suam sequutum sit lædi amicitiam ac beneuolentiam, cùm tamen attendere potuerit ac debuerit, eum prauum

E

5 Vt verò reliqua, quæ de susurratione addenda sunt, cum sermone de bilingui miscebimus, obseruandum est: Bilinguem eum dici, qui circa eandem rem duplici vtitur lingua, contrario modo vitiosè de eadem re loquens. Dixi, vitiosè: quoniam si iusta de causa sententiam mutet, eaque de causa contrario modo de eadem re loquatur ac antea fuerat loquutus, id non est bilinguem esse, vt vitium denotat, & vt communiter id vocabulum vsurpatur. Si autem quis contrariè de eadem re loquatur ex inconstantia, & ob aliquod commodum, quia non audet displicere

cere alicui, aut quia adulari ac placere alicui vult, vel intuitu pecuniæ, vel alterius commodi, vel ob vitandum incommodum aut periculum, quod timet, vel quacunque alia de causa; tunc, estò vitium susurrationis non interueniat, bilinguis dicitur. Susurro autem bilinguis esse solet, de eadem re coram vno loquendo vno modo, & diuerso ac contrario modo loquendo de ea coram alio, apud quem detrahit de priori, causasque odii ac discordiæ seminat. Interdum etiam ita inter duos se gerit, vt vni aduletur rectè de eo loquendo, & detrahat apud illum de alio; & vicissim accedat ad eum, de quo detraxerat, illique aduletur, recteque de eo loquatur, & detrahat apud eum de illo alio, sicque mutuas discordias prauasque existimationes inter illos seminet. Hispanè bilinguis *hombre de dos lenguas, & cara de dos haźes* dicitur: maximeque posterior hic loquendi modus vsurpatur, quando vno modo loquitur apud vnum, & diuerso ac contrario loquitur apud alium. De bilingui in genere loquitur Sapiens Ecclesiastici 5, id vitium dissuadens, dum ait: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.* Quamuis autem quidam affirment in illis verbis; *Non ventiles te in omnem ventum*; in textu græco non esse illud pronomen, *te*: legitimum tamen sensum eius loci exprimit. Metaphora enim illa ventilationis, qua paleæ separantur & expelluntur à grano in contrariam partem ei, ex qua ventus perflat, admonet sapiens vnumquemque nostrûm, vt fugiat bilinguem esse, dicens: *Non ventiles te in omnem ventum*, sinens te inconstanter pertrahi verbis tuis ac sententia in partem, quam aura placendi aliis, consequendi aliquod commodum, aut fugiendi aliquod damnum postulat, quasi obseruans eum ventum, vt illi te accommodes & sequaris dictum illius. Et quia paleæ ducuntur vento, neque in earum potestate est eo modo ab eo non duci ac pertrahi: in nostra autem potestate est, sequi aut non sequi auram commodi obtinendi, aut incommodi fugiendi, ea metaphora nos admonet, vt non ventilemus nosmet ipsos in omnem ventum, sequendo nostra sponte eam auram. Idem autem est, quod sequitur verbis illis proximè subiunctis; *Et non eas* (verbis scilicet tuis & sententia tua: ea enim de re loquitur, vt patet intuenti sequentia in eo capite) *in omnem viam*, (qua videlicet ducit idem intuitus commodi consequendi aut damni vitandi) *sic enim omnis peccator* (qui scilicet constans non est in verborum rectitudine ac sententia, de quo solo est sermo) *probatur in duplici lingua.* Duplex enim lingua, qua inconstanter ita vtitur, probat eum peccatorem. Et paulo inferiùs de susurrone, qui bilinguis esse solet, subiungit ibi idem sapiens: *Non appelleris susurro in vita tua*, sed fugias omnino talis esse, & talis appellari, *& lingua tua ne capiaris*, vt te deprehendant susurronem, *& confundaris. Super furem enim est confusio & pœnitentia* (quòd talis scilicet sit agnitus & notatus) *super bilinguem* (susurrando scilicet) Quia enim detrahens susurrando nocet proximo suo in bono famæ, quod præstantius est, quàm bonum externum diuitiarum, in quo fur ei nocet, neque ductus necessitate & vtilitate aliqua ita susurro nocet in fama alterius, quemadmodum fur nocet necessitate ductus vt habeat vnde sustentetur & transigat hanc vitam, (qua de causa Prouerb. 6 dicitur: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam*) idcirco meritò hoc loco dicitur, maiorem confusionem & dolorem ac peiorem notationem subire deprehensum bilinguem susurrando, quàm subeat is, qui deprehensus est fur. *Susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia*, dum scilicet bilinguis ac susurrator fuerit deprehensus. Et Prouerb. 26 habetur: *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis*, (quia scilicet eis nutritur ac sustentatur) *& susurrone subtracto, iurgia conquiescunt*, quæ ab illo inter amicos & proximos excitantur, foueuntur, ac nutriuntur, sua bilingui detractione. Et paucis interiectis; *verba susurronis quasi simplicia*, (cùm tamen bilinguis sit, callideque loquatur) *& ipsa perueniunt ad intima cordis*, vbi lædunt & exulcerant, posteaque dolorem non modicum generant, dum eis blandis verbis, quæ simplicia videbantur, decepisse intelligitur. Et c. 18 in eodem sensu dixerat: *Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.* Et Ecclesiastici 28: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia* (bilinguis videlicet, qui inter duos, quos sua susurratione excitauit ad malè de se inuicem loquendum, atque ad se inuicem odio prosequendum, ideoque lingua ipsius tertia ita susurrando inter eos dicitur. Complutensis verò Codex habet, lingua duplex, id est bilinguis) *multos commouit & dispersit de gente in gentem*, (in causa illis existens, vt deserere cogerentur proprium locum, alioque commigrare) *ciuitates munitas diuitiarum destruxit*, (ob rixas & odia ab illa excitata) *& domus magnatum effodit.* Multaque alia mala, quorum causa esse potest ac solet, commemorat ac prosequitur in eo capite.

Vtrùm vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium ex suo genere sit culpa lethalis. Et num sit species infima.

Disp. 26.

SVMMARIVM.

1. *GRauius est vitium ex suo genere, vitium contrarium iustitiæ commutatiuæ circa honorem, quàm vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium.*
2. *Susurronum bilinguiúmve vitium in suo genere grauius est quam contumelia & detractio, quia est contra amicitiam, quæ in suo genere est maius bonum quàm honor.*
3. *Vitium commutatiuæ iustitiæ circa bonum famæ contrarium licet ex suo genere culpa sit lethalis, ex circumstantiis tamen poterit esse solùm culpa venialis.*
4. *Non semper detractio de rebus venialibus est culpa venialis: nec semper de rebus lethalibus lethalis.*
5. *Non infertur vlla iniuria ex eo, quòd de illo qui maiorem*

maiorem habet famam quàm par sit, proferatur indicium verum ea de re ex iis, quæ in illo apparent, non detegendo crimen illius occultum, nisi id ex mala aliqua intentione fiat.

6. *Quando generalibus verbis ita detegitur peccatum alicuius occultum, vt non magis ex iis verbis concipi possit, illum quo ad id laborare culpa lethali quàm veniali, tunc illa detractio est solùm venialis.*

7. *Quando liceat licitè aliorum defectus manifestare.*

8. *Vitium totum iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium species est infima.*

QVemadmodum Disput. 19 dictum est, vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium esse ex suo genere culpam lethalem, minùs quidem grauem, quàm homicidium, adulterium, quin & quàm simplicem fornicationem, sed grauiorem ex suo genere, quàm sit furtum: sic quoque idem est dicendum de vitio iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium: idque propter rationem ibi confectam, quæ, vt ibi constat, communis est huic & illi vitio, & de vtroque vitio id efficaciter probat.

1 Vtrùm autem vitium hoc grauius ex suo genere sit, quàm contumelia, seu quàm vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium, an è contrario, *Diuus Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 3. ad. 2.* ait, contumeliam ex suo genere esse grauius peccatum, quàm detractionem, censereque proinde videtur, vitium contrarium iustitiæ commutatiuæ circa honorem grauius ex suo genere esse, quàm vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium. Quod *Sotus. 5. de iust. quæst. 10. art. 3.* ait, non ex eo esse, quòd honor, qui contumelia læditur, sit maius bonum, quàm fama: contra namque ait rem habere: & nos Disput. 23 diximus, meritò homines, qui contumelia affecti sunt, pluris facere damnum, quàm in suа fama in existimationéve, quàm alii de ipsis habebunt, eo quòd ea contumelia sint affecti, quàm faciant damnum sibi illatum esse in suo honore, præcisè consideratum ab ea existimatione ab eóve damno simul ipsis in suа fama dato, diximusque id experientiam ipsam testari. Sotus autem ait, contumeliam grauius esse delictum ex suo genere, quàm detractionem, prouenire ex contemptu, qui in contumelia interuenit: quam etiam rationem diuus Thomas reddidit. Ego verò licèt quo ad eam circumstantiam iudicem ac consentiam, contumeliam esse grauius peccatum, quàm detractionem: eam tamen ipsam circumstantiam existimo eos, qui contumeliam sunt passi, ex eo ferre grauiùs, maioremque quo ad eam illo censere factam ipsis esse iniuriam propter existimationem, quam de ipsis alii habebunt, quòd eum contemptum sint passi, quàm ob contemptum ipsum in se prout solùm est contra ipsorum honorem, atque adeò existimo acerbiorem iniuriam ac læsionem ratione eius circumstantiæ esse illis factam in fama, quàm in honore. Vnde contumeliam existimo esse grauiorem culpam ex suo genere, quàm detractionem factam à tergo, de quo loquitur diuus Thomas, si contumelia spectetur prout simul etiam nocet in fama & in existimatione, quæ de tali contumelia affecto habebitur, id quod cum contumelia solet esse coniunctum, atque eo modo intelligo diuum Thomam. Si tamen comparemus vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium, cum vitio iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrario, quo ad proprias rationes formales præcisè consideratas, arbitror grauius peccatum ex suo genere esse vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium, maioremque & acerbiorem iniuriam inferre, quàm sit & quàm inferat vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium: eo quòd, vt Sotus rectè affirmat, fama bona maius bonum ex suo genere sit, quàm sit honor.

2 Susurronum bilinguiúmve vitium, qui pacem & amicitiam detractionibus suis perturbant ac dissoluunt, ait diuus Thom. 2. 2. quæst. 74. art. 2. esse ex suo genere grauius peccatum, quàm contumeliam & detractionem: quia est contra amicitiam, quæ ex suo genere est maius bonum, quàm honor & fama, quæ contumelia & detractione læduntur. Malitiam ac grauitatem eius vitii satis detestatur ac exprimit Scriptura sacra, vt ex dictis Disputatione præcedente constat. Atque quatenus detractionem includit, & addit effectum pessimum perturbandi ac dissoluendi pacem & amicitiam inter proximos, aliorumque pessimorum effectuum solet esse vlterius causa, non est dubium esse ex suo genere grauius peccatum, quàm nudam contumeliam, & quàm nudam detractionem. Ex circumstantiis tamen dari poterit nuda contumelia, detractióque nuda, quæ grauius peccatum sit, quàm aliqua susurratio.

3 Vitium commutatiuæ iustitiæ circa bonum famæ contrarium, licèt ex suo genere culpa sit lethalis, ex circumstantiis tamen poterit esse culpa solùm venialis. Vt si cum semiplena dumtaxat deliberatione, aut ex inaduertentia quadam ex parte culpabili, quis alium infamet: ea quippe inaduertentia reddere potest culpam, quæ alioquin futura esset lethalis, venialem. Id quod sæpe euenire in viris timoratis consueuit: qui si ad damnum, quod inferunt, attenderent, nihil tale commisissent: neque enim tales existimandi sunt lethaliter peccasse: tametsi in materia grauitutum sit de eiusmodi excessibus ad cautelam confiteri, idque viri probi efficere semper soleant. Ex eo item quòd eo vitio modica læsio secundùm hominum fiat existimationem, esse interdum poterit culpa solùm venialis. Vt si quis vitium occultum alterius detegat, quod, attenta qualitate & conditione eius, cuius est id vitium, non multum illum infamet, vilioríve existimationis illum efficiat apud homines. Si enim de iuuene, quem iudicio hominum huius seculi id non dedeceat, aut admodum parum, quis detegat amores eum gerere cum aliqua femina, eam non detegendo, aut aliquid libidinosum cum illa habuisse, aut vulnerasse vel percussisse aliquem, sanè id non erit culpa lethalis:

thalis : quoniam attenta qualitate perſonæ, A id vel non infamat, vel non ita, vt pertingat ad culpam lethalem. Imò verò ſi nihil id famam illius lædat, aut illi placeat talia de ipſo dici, non erit id culpa contra vitium, de quo diſputamus: eo quòd volenti & conſentienti nulla fiat iniuria, atque adeò neque iniuſtitia: ſed ſolùm id erit culpa, quia verbum otioſum, quod nihil boni & multum mali audientium animis afferre poteſt.

4 Quamuis detractio de culpis venialibus regulariter ſit culpa ſolùm venialis; grauioráque regulariter ſit detractio de rebus pertinentibus ad mores, quàm de aliis vitiis & defectibus, qui ad naturam, ſcientiam, artem, aut B ad genus ſpectant; non tamen poteſt generalis circà regula conſtitui, quòd detractio de venialibus, aut de vitiis & defectibus, qui ad mores non ſpectant, ſit venialis, & alia ſit lethalis. Si enim detractio de re ad mores pertinente atque lethali non notabiliter famam in communi hominum æſtimatione lædat, neque ex illa ei, de quo ita detrahitur, notabile aliud detrimentum ſequatur, ſanè non erit culpa lethalis, eſtò ea detractio de culpis lethalibus occultis ſit. Contrà verò, ſi detractio de re veniali, aut de re nihil omnino ad mores attinente, notabiliter in hominum exiſtimatione, attentis circumſtantiis C concurrentibus, famam lædat, aut ex illa ſequatur ei, de quo ita detrahitur, notabile aliud detrimentum, ſanè ea detractio culpa erit lethalis. Verbi gratia, ſi de femina aliqua venialis aliqua leuitas cum aliquo narretur, certè talis eſſe poſſet ea femina, & talis ea leuitas, vt plus ei fama ea detractione læderetur, maiuſque inde detrimentum acciperet, quàm ſi de alio culpa aliqua lethalis detegeretur, quæ non leuiter eum infamaret: caque de cauſa, qui eam leuitatem de ea femina detexiſſet, lethaliter peccaſſet. Idem eſſet, ſi quis de religioſo aliquo, vel de prælato aliquo, quos, attenta qualitate ſtatus eo- D rum, attentaque exiſtimatione, quæ de illis haberetur, multum id dedeceret, detegeret quis ſimilem leuitatem venialem cum femina aliqua, aut aliquid aliud in ſe veniale, quod autoritatem eorum exiſtimationemque, quæ de illis haberetur, notabiliter minueret. Idem item eſſet, ſi de aliquo vitium generis illius occultum detegeres: plus enim illi noceres in exiſtimatione, quæ de illo habebatur, grauiuſque id ferret, quàm ſi graue illius peccatum occultum detegeres: atque aliquando longè maius detrimentum illi afferres detectione eius vitii generis, quia ea de cauſa excludetur à variis muneribus & honoribus, E quàm ſi graue aliquod eiuſdem crimen detegeres. Eadem ratione ſi ſignifices vitium ac defectum alicuius artificis circa artem, quam exercet ac profitetur, aut imperitiam alicuius literati, vel inidoneitatem alicuius ad aliquid exercendum, aut aliquem minùs fortiter & extrenuè ſe geſſiſſe in aliqua pugna, vel contumeliam ab aliquo accepiſſe, aut aliud ſimile, plus aliquando ei nocebis detectione eius defectus, vel in ſola fama, vel etiam vlteriùs in bonis externis & in emolumento, quod ea de

cauſa amitter, quàm ſi graue lethale illius peccatum occultum detegeres, meritoque grauiùs illud feret, quàm hoc. Quare ſi vel id illi imponas, vel illud detegas, quando erat occultum, non ductus ſufficienti ratione & cauſa ad illud detegendum, vt quia ita expedit ad vitandum commune damnum, vel ad vitandum damnum priuatum alicuius, cui noceret imperitia illius, aut illum eſſe ad id minùs idoneum, vel aliqua alia iuſta & rationabilis cauſa, ſanè lethaliter in eo peccas. Non ergo alia regula ad hæc omnia, & ad ſimilia alia, ſtatui poteſt, quàm hæc. Nempe quando prudentis arbitrio, ſpectatis circumſtantiis omnibus concurrentibus, id quod illicitè detegitur, graue nocumentum infert famæ in hominum exiſtimatione aut aliis bonis eius, de quo detegitur, culpam eſſe lethalem ita de illo detrahere, ſiue quod detegitur, ſit vitium moris lethale ſiue veniale, ſiue etiam ſit vitium ac defectus ad mores non ſpectans, qui abſque vlla contrahitur culpa: quando verò prudentis arbitrio ſolùm infert leue detrimentum, eſſe ſolùm culpam venialem.

Illud verò admonuerim, ex eo quòd de illo, 5 qui maiorem famam habet, quàm par ſit, vel in ſcientia, vel in aliqua alia re, etiam ſi id ſit in moribus, proferatur iudicium verum ea de re ex iis, quæ apparent ac conſpiciuntur in illo, non detegendo crimen aut vitium illius occultum, me non videre inferri illi vllam iniuriam, vllúmve id eſſe peccatum, niſi id fiat ex odio, inuidia, aut ex praua alia mala intentione. Quoniam id non eſt manifeſtare vitium illius occultum, ſed eſt ex iis, quæ apparent, & quæ habet natura ipſa rei, verum iudicium proferre quo ad rem, circa quam alii errant, illam non penetrando, aut ad illam non quantum eſt neceſſe attendendo. Quòd ſi in eo ita iudicando ac manifeſtando aliis, ſiniſtra aliqua intentio miſceretur, tunc pro qualitate eius ſiniſtræ intentionis maior aut minor culpa ſeu peccatum interueniret, non quidem contra iuſtitiam commutatiuam circa bonum famæ, ſed contra caritatem. Hoc admonui ad tollendos ſcrupulos, quos viri timorati hac de re habere ſolent.

Regula illa *Sylueſtri verb. detractio. num. 2.* 6 conſentanea diuo Antonio *part. 2. titu. 8. c. 4. in prin.* nempe quando generalibus verbis ita detegitur peccatum occultum alicuius, vt non magis ex eis verbis concipi poſſit, illum quo ad id laborare culpa lethali, quàm veniali, detractionem talem non eſſe culpam lethalem, ſed ſolùm venialem, vt ſi de aliquo dicatur, eum eſſe iracundum, ſuperbum, contentioſum, auarum, præſumptuoſum, inanis gloriæ cupidum, aut aliud ſimile; ea, in qua regula non eſt vniuerſim vera, vt bene obſeruat *Nauar. in Manu. c. 18. num. 24. & c.* in te verba in Commentario Hiſpano *à num. 518.* In ſimilibus namque euentibus, iuxta regulam à nobis paulo antea traditam, prudentis arbitrio, ſpectatis circumſtantiis omnibus concurrentibus, eſt expendendum, an fama eius, de quo ita eſt detractum, læſa notabiliter maneat apud audientes, vel num inde notabiliter aliud detrimentum illi immineat,

an non. Et quidem in priori euentu iudicandum eſt culpam interuenire lethalem: in poſteriori verò interuenire culpam ſolùm venialem: id quod in exemplis propoſitis frequentiùs eueniet.

7 Hæc verò omnia ſemper ſunt intelligenda, quando non interuenit iuſta cauſa reuelandi crimina & defectus, iuxta ea quæ in præcedentibus dicta ſunt, & quæ in ſequentibus addentur. Itemque quando crimina non publica, aut eis nota, cum quibus de illis fit ſermo. Regula namque generalis eſt ſtatuenda, crimina aliena, eſtò enormia ſint, aliorumque defectus, ex iuſta cauſa poſſe licitè reuelari, quantum ex ea cauſa recta ratio præſcribit. Itemque quando crimina ſunt publica aut nota illis, cum quibus de eis loquimur, notaque illis eſſe nobis conſtat, tunc abſque vitio iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrario nos de illis loqui: idem etiam eſt de aliis defectibus publicis aut eis notis, quibuſcum de eis defectibus loquimur. Ratio autem eſt, quoniam in eo non lædimus famam eius, cuius ſunt ea crimina aut defectus. Hæc de primo eorum, quæ in titulo huius Diſputationis propoſita ſunt.

8 Quod verò attinet ad ſecundum, quemadmodum Diſp. 19 cum Caiet. Soto, & aliis dictum eſt, vitium totum iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium ſpeciem eſſe infimam: ſic quoque eſt hoc loco dicendum, vitium totum iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium ſpeciem eſſe infimam, idque propter ſimilem rationem ei, quam Diſput. 19, quo ad vitium iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium, reddidimus. Quia ſcilicet vitium hoc reſpicit formaliter tanquam obiectum famam quo ad illius læſionem ac detrimentum: per accidens autem quod attinet ad hoc vitium eſt, quòd id detrimentum, eáve iniuſta famæ læſio, hoc vel illo fiat medio aut inſtrumento. Lege quæ Diſput. 19 citata copioſiùs dicta ſunt.

Varii detrahendi modi. Et num reuelare peccatum graue occultum alicuius, non detegendo perſonam, quæ illud commiſit, culpa ſit lethalis.

Diſp. 27.

SVMMARIVM.

1. *Septem modis detrahitur proximo: primis tribus directè, quatuor poſtremis indirectè.*
2. *Quando detegitur crimen alicuius occultum, non detecta perſona eius, qui eo crimine laborat, ſi veriſimile non ſit deuentum iri in notitiam perſonæ, quæ eo laborat, tum non eſt culpa lethalis.*
3. *Quando crimen detegitur occultum perſonæ alicuius non detecta quidem perſona, ſed detecta qualitate illius perſonæ, ex qua licèt perſona agnoſci non poſſet, infamia tamen in alios redundaret, poſſet interdum culpa eſſe lethalis.*

1 DIuus *Thomas. 2. 2. q. 73. art. 1. ad. 3.* ſeptem detrahendi modos enumerat: quos *Sotus* A *5. de iuſt. q. 10. art. 1. ad. 3. in octo diuidit.* Quatuor ex illis directè detrahitur, atque primus eſt, quando ei, de quo detrahitur, falſum aliquod crimen imponitur, ſecundus quando verum crimen augetur, tertius quando vitium illius occultum detegitur, & quartus, quando quod bonum eſt, ſiniſtra dicitur intentione factum, aut aliter temerariè de aliquo exteriùs iudicatur. Id quippe licèt ad temerarium iudicium dicentis ſpectet, ſimul habet rationem detractionis, quatenus læſiuum eſt exiſtimationis eius, de quo ita detrahitur, apud illos, qui id audiunt, conſurgitque obligatio reſtituendi eam famam, quando læſio permanens ex tali detectione ſequitur.

B Quatuor verò poſterioribus modis indirectè detrahitur: eorum verò primus quintus in ordine poſt præcedentes eſt, quando quis negat alterius bonum, ſextus, quando illud ſilet tempore, quo manifeſtare illud tenebatur. Quòd ſi, attentis circumſtantiis concurrentibus, teneretur de iuſtitia illud manifeſtare, tunc contra iuſtitiam peccaret illud ſilendo, cum onere reſtituendi damnum, ſi quod inde eſſet ſubſequutum. Si verò ſolùm ex caritate teneretur id manifeſtare, vt regulariter euenire ſolet, tunc illud ſilere, ſolùm erit peccatum contra caritatem, abſque vllo reſtituendi one-

C re. Septimus, quando quis merita aliena diminuit, & octauus, quando ita laudat, vt laus in diminutionem cædat famæ ita laudati. Sæpe enim rei vna laudatio in vituperium atque infamiam laudati cedit. Hæc de primo eorum, quæ propoſita ſunt.

Quod verò attinet ad ſecundum. Quando 2
detegitur crimen alicuius occultum, aut defectus illius occultus, non detecta perſona eius, qui eo crimine aut defectus laborat, ſi veriſimile non ſit, deuentum iri in notitiam perſonæ, quæ eo laborat, tunc ſatis perſpicuum eſt, id ita detegere culpam non eſſe lethalem, eſtò id crimen aut defectus valde grauia ac enor-

D mia ſint, multumque apta infamare illis laborantem. Ratio autem eſt, quoniam ea detectione nullius in ſingulari fama læditur. Quando autem eſſet periculum probabile, deuentum iri in notitiam perſonæ, quæ eis laboraret, tunc culpa eſſet lethalis id ita detegere, idque ſiue poſtea in notitiam eius perſonæ deueniretur, ſiue non. Quando item periculum eſſet, quòd deueniretur in ſuſpicionem perſonæ alicuius in ſingulari, quòd eo crimine aut defectu laboraret, ſed non in notitiam certam, neque in opinionem determinatam, tunc peccatum eſſet lethale aut veniale, id ita manifeſtare, pro quantitate maioris vel minoris

E ſuſpicionis, quæ de aliquo circa id poſſet haberi, & pro qualitate criminis, ſpectatiſque reliquis omnibus circumſtantiis concurrentibus. Neque enim fama alicuius læditur ſolùm firma opinione, quòd ille crimen aliquod commiſerit, aut quòd defectu aliquo laboret, ſed etiam ſuſpicione: tametſi non tantum lædatur fama tali ſuſpicione, quantum opinione determinata ac firma: vnde & de leuiter aut de vehementer ſuſpecto de aliquo grauiſſimo crimine condemnatur interdum aliquis in exteriori foro.

Quando

3 Quando tamen detegeretur crimen occultum personæ alicuius, non detecta quidem persona, quæ illud commisit, cæterùm detecta qualitate illius personæ, ex qua licèt persona agnosci non posset, infamia tamen in alios redundaret, tunc committi interdum posset culpa lethalis pro quantitate & qualitate talis infamiæ. Vt si ex religione aut ex cœnobio aliquo, de quo optima haberetur existimatio ea in parte, religiosus aliquis inhonestum aliquid committeret, aut aliud simile, quod religionem illam aut cœnobium infamaret, sanè culpa esset lethalis id detegere nominando religionem aut cœnobium, in quo erat religiosus, estò non nominaretur persona, neque periculum esset, quòd vnquam agnosceretur quis ille esset in particulari. Ratio autem est, quoniam ea detectione peccati occulti iniustè læderetur fama eius religionis aut cœnobii; obligatioque esset id damnum permanens illi restituere. Si autem religio aut cœnobium tale esset, quòd amissam ea in parte famam iam haberet, quoniam scitur id non esse ibi inconsuetum, non auderem condemnare culpæ lethalis, simile quid detegi, estò religiosi eius religionis aut cœnobii probi regulariter haberentur, talesque re ipsa essent. Negandum tamen non est, improbum esse id reuelari, timeriqúe posse interuenire in ea reuelatione culpam lethalem, saltem quando id cœnobium non laboraret magna circa tale crimen infamia. Quod autem de cœnobio est dictum, intelligendum etiam est de familia, quando de consanguineo aut affine patris familiæ detegeretur crimen graue occultum, non explicando quis in particulari illud commiserit, idque in infamiam cæterorum de eadem familia redundaret. Quando autem falsum testimonium imponeretur alicui de cœnobio aut de familia, non explicando aliquem in singulari, cui ita imponeretur, longè maius esset peccatum, & obligatio restituendi damnum famæ tali cœnobio aut familiæ illatum.

A tamen notabilis ea infamia sit, pertingere poterit ad culpam lethalem, non solùm quando ea infamia redundaret in alias personas illi propinquas, sed etiam si nihil omnino in alios redundaret. Fit enim defuncto iniuria eo modo peruersè famam illius lædendo, quæ etiam post mortem bonum quoddam illius est. Quo fit, vt obligatio sit illi restituendi damnum in fama illius iniustè illi datum. Nisi constaret eum esse in inferno, neque damnum in fama illius redundare in alios illi coniunctos. Tunc enim tanquam hosti Dei, & nostrûm omnium, qui proximus noster iam non est, obligatio non esset quicquam illi restituendi, iuxta ea quæ tractatu præcedente Disput. 83 præsertim in calce conclusionis tertiæ dicta sunt.

B

Hinc constat, peccare eos historiographos, 2 qui occulta aliquorum peccata in suis historiis scribunt, estò illi, de quibus illa scribunt, defuncti iam sint, vt *Sotus detegend. secr. memb. 1. q. 2.* in fine, *& 5. de iust. q. 10. art. 2. Adrian. quodl. 11. q. 1.* & alii rectè affirmant, teneriqúe restituere damnum famæ, quod ea ratione inferunt. Quæ autem non sunt ita occulta, fas illis est ea scribere, (præsertim si hominum iam sint defunctorum) idque pro bono publico. Tum vt notitia rerum gestarum historiis habeatur. Tum etiam vt homines spe famæ comparandæ, quæ

C historiis æternitati mandetur, timoreque infamiæ incurrendæ, cuius similiter historiis perpetua sit memoria, alliciantur ad res præclaras gerendas, ad turpiaque atque indecora magis fugienda ac vitanda. His enim de causis plus aliquid historiographis in historiis de aliorum vitiis ac defectibus scribere licet, quàm aliis diffundere liceat, quia absque vllo publico emolumento vel oblita exuscitant, estò olim publica fuerint, vel quæ in vno loco sunt publica, ad alia, ad quæ notitia illorum deuentura non foret, illa deriuant. De qua re in sequentibus redibit sermo.

D

Vtrùm infamare defunctum culpa sit lethalis. Et num peccent historici, qui delicta notásque defunctorum, in prosapiam illorum redundantia, scribunt.

Disp. 28.

SVMMARIVM.

1. QVi defunctum de occulto peccato infamat aut alia ratione, si notabilis sit infamia, pertingere posset in culpam lethalem, non solùm quando ea infamia redundaret in alias personas illi propinquas, sed etiam si nihil omnino in alios redundaret.

2. Historiographi peccant, qui occulta aliorum peccata in suis historiis scribunt, licèt illi, de quibus scribunt, iam sint defuncti.

1 QVi personam iam defunctam de occulto peccato infamat, aut aliqua alia ratione, licèt minùs, cæteris paribus, peccet, quàm si viuam personam eodem modo infamaret, si

Vtrùm reuelare delictum graue occultum alterius vni tantùm, qui id non deteget, culpa sit lethalis. Disp. 29.

SVMMARIVM.

1. DEtegere delictum graue occultum alterius, vni tantùm, qui id non deteget, non est culpa lethalis, ex sententia aliquorum.

2. Contrà tamen sentiunt nonnulli Theologi.

3. Licet ex iusta & rationabili causa crimen reuelare vni aut multis, quantum ea iusta causa postulauerit.

4. Reuelare crimen graue & occultum filiorum aut famulorũ, vt facit vxor marito, aut filius parentibus, vel etiam aliquis extraneus, paruæ culpæ expositum est, & interdum nullæ.

5. Multum extenuat culpam, vel etiam omnino excusat, reuelare occultum graue crimen alterius, non animo nocendi aut diffamandi, sed aliqua bona de causa.

6. Maior culpa est in iudicio temerario, maiorq; ei fit iniuria de quo habetur, quam sit culpa in detectione peccati alterius occulti vni tantùm, qui id aliis non deteget.

7. *Culpa lethalis est ex suo genere reuelare alienum graue crimen occultum vni tantùm, licèt is nemini manifestaturus sit.*

8. *Vt lethalis culpa iniustitiæ contra famam alterius committatur, necesse non est, quòd ita fama eo peccato lædatur, vt ille famam amittat, sed satis est, quòd notabiliter existimatio, quæ de illo habetur, prudentis arbitrio, vel in vno solo lædatur, aut lædi attententur, estò effectus non sequatur.*

1 CAietanus.2.2.q.73.art.2.dubio.1. cui quidam subscribunt, affirmat id non esse culpam lethalem, quando talis ille est, qui id tacebit, neque ob eam notitiam nocumentum aliud infert ei, cuius est id delictum, vt impediendo illum ab assequutione rei alicuius, à cuius assequutione illum non impediuisset, si notitiam eius delicti non habuisset, neque vllum aliud detrimentum ei obueniet. Exemplum adhibet Caietanus in viro & vxore, qui sibi inuicem reuelare solent delicta filiorum ac famulorum, neque tamen ea de causa condemnatur culpæ lethalis. Item in eo, qui confitendo peccata sua probo ac discreto confessario, ex quo nullum inde periculum imminet, indiscretè illi reuelat eum, cum quo grauia peccata commisit, aut occasione alia illi reuelat occultum delictum alterius. Item in eo, qui aliquid, ad delictum alterius attinens, accepit per secretum commissum, ignoranſque qualiter ea in re se gerere debeat, illud reuelat amico, aut viro probo ac docto, vt doceatur, qualiter ea in re se gerere debeat.

Fundamentum huius sententiæ est, quoniam cùm fama sit multorum, & contraria infamia sit etiam multorum; eo quòd ex eo, quòd vnus aut duo sciant delictum occultum alicuius, non censeatur ille laborare infamia de eo delicto; sanè illud in primis non infamat eum, de quo id delictum ita detegitur: neque ex intentione aut notabiliter lædit famam illius; quoniam supponimus id non esse detectum animo nocendi & infamandi, neque, quòd vnus solùm id sciat, qui id non deteget, est læsio notabilis famæ illius: quare cùm etiam supponamus, inde nullum aliud malum obuenturũ esse ei, de quo id crimen est detectum; consequens profectò est, vt id non sit tanta iniuria ac detrimentum illius, vt ad culpam pertingat lethalem.

2 Contrariam sententiam affirmant quidam alii cum *Dominico à Soto.5.de iust.q.10.art.2.* Primò, quoniam iudicium temerarium ex suo genere est culpa lethalis, vt à Disput. 13 explanatum comprobatumq; fuit, & doctores communiter affirmant, etiam Caietanus ipse: sed non minùs, nec cum minori iniuria, læditur fama proximi detegendo peccatum illius vni tantùm, à quo non aliud detrimentum imminet, quàm illum habere notitiam de eo crimine, habereve eam existimationem de eo peccatore, quòd id crimen commiserit, quàm lædatur iudicio temerario vnius priuati de eodem crimine: ergo detegere vni tantùm delictum alterius occultum ac graue, de quo formare iudicium temerarium esset culpa lethalis, culpa etiam erit lethalis. Secundò, quoniam detegere sine iusta causa delictum occultum & graue alicuius duobus aut tribus, culpa est lethalis, vt omnes affirmant: sed aliquando aliquis meritò ægriùs feret, delictum ipsius venisse in notitiam hominis alicuius grauis, infamatúmve ipsum ea de re esse apud illum, vt apud principem, prælatum, vel apud alium virum grauem, estò inde nullum aliud ipsi detrimentum immineat, quàm ferret crimen id suum manifestatum fuisse duobus aut tribus aliis viris: ergo falsum est, culpam lethalem non esse, crimen alicuius occultum ac graue manifestari vni tantùm, qui nulli alteri illud reuelabit, & à quo nullum aliud detrimentum ei obueniet, qui id crimen commisit.

Vt quid de hac re quotidiana, scitáque necessaria, sentiam, explicem, faciliusque in praxi intelligatur, quando in reuelatione delicti occulti ac grauis alicuius vni tantùm iudicandum sit interuenisse aut non interuenisse culpam lethalem, & quando res sit dubia, timendumque non immeritò sit culpam lethalem interuenisse, ac proinde necessarium ad cautelam sit de illa confiteri, nonnulla obseruanda duxi.

Primum est, omnes conuenire, ex rationabili ac iusta causa fas esse illud reuelare vni aut multis, quantum ea iusta causa postulauerit, idque proinde fieri tunc absque vllo peccato. 3

C Quæ autem iustæ sint causæ, vt id fiat, Disp. 24 explanatum fuit.

Secundum est, in reuelatione criminis grauis & occulti filiorum aut famulornm, quam vxor marito facit, aut maritus vxori, imò & quam filius aut famulus facit matri aut patri familias domus, vel etiam quam aliquis extraneus illis facit, multum extenuare culpam, & frequentissimè omnino ab illa excusare, nullumque proinde in ea interuenire peccatum, imò potiùs meritum, non solùm quòd fiat absque intentione nocendi famæ illorum, vt regulariter abesse solet ea praua intentio, sed etiam quòd illi omnes subiecti sint curæ, reprehensioni, ac correctioni eius matris ac patris familias domus: & quòd id regulariter ordinetur in commodum ipsorum peccantium, vt domestica correctione reprehendantur ac puniantur, cohibeanturque à similibus criminibus committendis, idque sit in aliorum, qui de eadem familia sunt, exemplum ac coërcionem: & quia vir & vxor communi illa vtriusque cognitione illorum criminum mutuo consilio melius quid facto opus sit statuent, prospicientque in posterum ne simile quid ab illo & ab aliis de familia committatur: & denique quia illa sunt delicta domestica, quorum punitio & prouidere, ne itemm quid simile fiat, non ad potestates publicas, sed ad patrem & matrem familias domus spectat, idque delictum matrem familias contingit, in ipsius ac patris familias domus quodam modo iniuriam ac damnum redundans, qua de causa, & mater ius suo modo detegendi patri habet id delictum, & de eo accusandi apud maritum, vt illud puniat domestica correctione, quatenus ipsam suamque domum offendit: non minus quàm quicunque offensus delicto aliquo, quod punire ad potestates publicas spectat, ius

ius habet de illo accusandi apud potestates publicas, petendique de illo competentem vindictam, nihil impediente quòd sit occultum. Pater item tanquam eo offensus, aut dominus, ius quoque habet illud detegendi matri familias domus in partem pœnæ domesticæ eius delicti, quod ipsos suo modo offendit. Et filii aut famuli reliqui, id scientes, tanquam agentes partes patris ac matris familias domus, de eo accusare seu denunciare apud matrem aut patrem familias domus possunt, vt puniatur, & familia tota in officio contineatur: vitioque verti illis solet, si illud non manifestent, vt puniatur ac prouideatur quid facto opus sit: neque id fieri videtur immeritò & contra rectam rationem, vt testatur consuetudo, lumenque ipsum rationis præscribere videtur: quippe cùm ad eos attineat suo modo, quicquid ad patrem aut ad matrem familias attinet. Quare propter has omnes rationes, aut earum aliquas, non videtur damnandum culpæ lethalis, imò sæpe neque culpæ, quòd vxor similia crimina famulorum domesticorum occulta reuelet marito aut maritus vxori, imò neque quòd domesticus illa eis reuelet, & interdum etiam externus, quando non timent inde inordinatum aliquem ac peruersum effectum fore sequendum, sed solam reprehensionem ac punitionem delinquentis moderatam ac condignam, maioremque cautelam in futurum. Neque valet argumentum, fama filii aut filiæ est bonum ipsorum proprium, non minùs quàm ea bona eorundem externa diuitiarum, quæ castrensia & quasi castrensia eorum dicuntur, bona sunt propria eorum: ergo sicut nefas est matri bona illorum castrensia aut quasi castrensia ab eis auferre, & dare ea patri, & nefas est patri ea ab illis auferre, & dare matri, & multo magis nefas est aliis domesticis ea ab illis auferre, & dare illa patri aut matri, ita nefas est, nocere famæ & existimationi illorum coram patre aut matre, etiam propter eorum delicta occulta. Non, inquam, legitimum est id argumentum: quoniam sicut ex rationabili causa, quæ id postularet, fas esset lædere eorum bona castrensia, aut quasi castrensia, ita ex rationabili causa, vt puniantur domestica correctione, & contineantur in officio, prospiciaturque bono familiæ, fas est lædere existimationem illorum apud patrem aut matrem familias domus, detegendo illis rationabiliter eorum delicta. Famuli quoque sub ea tacita conditione recepti censentur in domum, eisque victus, vestitus, & stipendium retribuitur, vt domesticæ correctioni subdantur, pro cuiusque eorum qualitate, & vt detegi patri ac matri familias domus possint ipsorum delicta, vt corrigantur, & vt prospiciant bono totius familiæ. Non item valet hoc argumentum, meritò plus dolet filius aut famulus, reuelari ipsius delictum occultum patri aut matri, domino aut dominæ, malamque illos de ipso habere existimationem, quàm si idem delictum tribus aut quatuor aliis reuelaretur, eademque de ipso ob id delictum haberent existimationem: ergo sicut est culpa lethalis reuelare illud tribus aliis aut quatuor, ita quoque est culpa lethalis, aut maior culpa lethalis, vel etiam ita est culpa reuelare illud patri, matri, domino, aut dominæ. Non, inquam, valet id argumentum: quoniam in hoc secundo interueniunt multa, quæ valde extenuant culpam, aut illam omnino impediunt, efficiuntque vt laudabiliter ac cum merito id fiat: & in illo primo non eadem interueniunt, quæ ita extenuent aut excusent omnino culpam. Vbi ergo non sunt cætera paria, inualidum est id argumentum: quod validum est, quando cætera sunt paria.

Tertium est, multum extenuare de culpa, & interdum omnino ab illa excusare, reuelare occultum graue alterius delictum, non animo nocendi ac diffamandi, sed aliqua alia de causa, non mala, sed bona, vt ad capiendum consilium, aut etiam solatium, vt delinquens corrigatur, vt quis confiteatur suam culpam sacramentali confessione, quam aliter commodè non valet aut non scit explicare, & quòd ignoret aut non attendat id ita reuelare esse peccatum, quod si attenderet aut sciret, nequaquam faceret. Itemque quòd in Sacramento pœnitentiæ reuelatur, confessarium nulla ratione posse reuelare, neque posse vti ea cognitione, vt detrimentum aliquod inde alicui obueniat, neque auditum vnquam fuisse, nisi fortè quàm rarissimè, vix aliquem confessarium in eam culpam incidisse, vt quod in confessione agnouit, reuelaret: tanta est Dei prouidentia, assistentia, ac adiutorium ad id, vt cùm homines leues ac inconstantes esse soleant ad seruanda alia secreta, in hoc vno seruando constantissimi omnes deprehendantur, estò aliis peccatis sint obnoxii.

Quartum est, ex eo capite maiorem culpam cerni in iudicio temerario, maioremque iniuriam ei fieri, de quo habetur, quàm sit culpa, quæ cernitur in detectione peccati alterius occulti, vni tantùm, qui id aliis non manifestabit, & quàm in eo fiat ei iniuria, de quo ita reuelatur: quòd maior iniuria ei fiat temere de illo concipiendo, quod ipse non fecit, aut non constat fecisse, quàm detegere & affirmare, quod omnino constat eum fecisse: sicut maior cæteris paribus est culpa, maiorque fit iniuria alicui, testimonium falsum de illo proferendo quàm detegendo verum crimen, quod ille re vera commisit.

His ita explicatis, ad quæstionem propositam est dicendum, culpam quidem ex suo genere lethalem esse reuelare alienum graue crimen occultum vni tantùm, estò talis is sit, de quo sit verisimile, eum aliis id non reuelaturum: nisi adsint circumstantiæ, quæ à culpa eam reuelationem excusent, aut adeò illam extenuent, vt prudentis arbitrio ad culpam lethalem non pertingat. Quando autem interueniant circumstantiæ, quæ eam detectionem, alioquin lethalem, à culpa omnino excusent, aut si non omnino à culpa illam excusent, adeò tamen culpam extenuent, vt ad lethalem non pertingat, certa regula statui non potest, sed prudentis arbitrio est relin-

relinquendum, vt spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus, iudicet, num constet interuenisse culpam lethalem, vel num constet eam non interuenisse, vel num res dubia maneat: atque in dubio, num culpa fuerit lethalis, obligatio est sub culpa lethali de ea confiteri. Ex iis autem, quæ à nobis dicta sunt, faciliùs iudicabitur, num constet interuenisse culpam lethalem, vel num constet eam non interuenisse, vel num res dubia maneat.

8 Ad argumentum pro opinione Caietani dicendum est, iam suprà initio Disput. 7 dictum est, vt lethalis culpa iniustitiæ contra famam seu existimationem alicuius committatur, necesse non esse, quòd ita fama eo peccato lædatur, vt ille famam amittat, reddaturque infamis, sed satis esse, quòd notabiliter existimatio, quæ de illo habetur, notabiliter prudentis arbitrio, vel in vno solo, lædatur aut lædi attententur, estò effectus non sequatur. Vnde *diuus Thom. 2. 2. q. 73. art. 2.* cùm in secundo argumento dixisset, *ad rationem famæ pertinet publica notitia*, in fine responsionis ad id argumentum sic dicit: *Etiam si vni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam eius, non in toto*, (quasi scilicet infamis maneat) *sed in parte.* Ad id verò, quod vlteriùs additur, est dicendum, graue nocumentum posse inferri etiam vni tantùm detegendo graue peccatum alterius occultum, ita vt pertingat ad culpam lethalem, nisi excusetur aut extenuetur culpa ex circumstantiis à nobis explicatis: manereque posse culpam lethalem, quando absque causa reuelatur, etiam si non adsit animus infamandi, sed ex leuitate cordis, non se valendo continere, alteri id crimen reueletur. Confessarius autem, cui aliquid cum lethali aut veniali culpa detegeretur, aut quicunque alius, si præuenire posset ne detegeretur, teneretur admonere pænitentem, aut quemcunque alium ei volentem detegere peccatum & peccatorem occultum, ne peccatorem detegeret. Si autem culpabiliter id detegeretur antequam illum, ne id faceret, admoneret, admonere eum debet, illicitè id fecisse, & vt de culpa commissa confiteatur, nec simile quid deinceps efficiat.

Duo autem argumenta pro parte alia contraria probant quidem culpam ex suo genere esse lethalem detegere graue peccatum occultum alterius vni tantùm, quod negare non videtur intendere Caietanus; non tamen probant ex capitibus explicatis adeò sæpe extenuari eam culpam, vt vel nulla reddatur, vel vt non pertingat ad culpam lethalem.

Vtrùm narrare ex auditu crimen alterius occultum culpa sit lethalis. Disp. 30.

SVMMARIVM.

1. *SI graue peccatum occultum ex auditu tantum perceptum manifestaretur, culpa non incurreretur lethalis.*
2. *Qui graue peccatum occultum alterius solùm narrat ex auditu, nisi ex modo narrandi maiorem innuat certitudinem verè illum, de quo id dicitur, id peccatum commisisse, quàm dicendo id dici, non tenetur ad restitutionem famæ, licèt ei, qui ex ore eius habent, rem putent ita se habere.*
3. *Quando peccatum graue occultum ita ex auditu narratur, vt persona fide digna referatur, quæ id asserituè dixit, aut tales circumstantiæ addantur, vt res efficiatur persuasibilis audientibus, tunc tenetur narrans damnum famæ resarcire, ex narratione secutum.*
4. *Qui aliquid occultum ex auditu narrat, damnumq; aliquod famæ infert, quatenus causa iniusta est, vt de ea re dubitetur, aut suspicio habeatur, restituere tenetur damnum, quod ea narratione intulit, si permaneat.*

SErmo est de peccato graui occulto, quod si vt certum aliis manifestaretur, culpa incurreretur lethalis, iuxta ea quæ præcedentibus Disputationibus explanata sunt: vt si de femina, quæ habebatur honesta, diceretur, audiui de tali femina eam stuprum aut adulterium commisisse. Si enim ex auditu id narretur, quod quamuis assereretur ex visu, aut alia ratione assereretur vt certum, non esset culpa lethalis, iuxta ea quæ præcedentibus Disputationibus explanata etiam sunt, facilè constat, ex tali relatione ex auditu, nisi admisceatur alia sinistra intentio lethalis, culpam lethalem non incurri. 1

Scotus in. 4. dist. 15. q. 4. ait, qui graue peccatum occultum alicuius solùm narrat ex auditu, nisi ex modo narrandi maiorem innuat certitudinem, verè illum, de quo id dicitur, id peccatum commisisse, quàm dicendo id dici, aut se id audiuisse, non teneri ad restitutionem famæ illius, estò ii, qui ex ore ipsius id dici audiunt, sibi persuadeant rem ita habere. Quoniam, inquit, ea persuasio & credulitas est ex culpa id audientium: eo quòd, qui citò credit, leuis sit corde, maleque faciat, atque in re proposita peccet id credendo, sibique id persuadendo. Neque sumpsisse eum occasionem id ita credendi, sibique persuadendi ex eo, quòd alius narrauerit dici, aut id audiuisse, obnoxium restitutioni eum efficiat, qui id dici narrauit: quoniam solus is restituere tenetur, qui causa est iniusta eius damni, non verò qui solùm est occasio vt ab alio detur. Addit Scotus, nisi is, qui ita ex auditu refert crimen graue occultum alterius, id efficiat intendendo nocere famæ illius, non videri condemnandum culpæ lethalis. Tametsi subiungat, rem esse periculosam ob pusillorum scandalum: quoniam multi sunt pusilli ac leues corde ad credendum, qui audientes, facilè scandalizabuntur, fidem illis adhibendo, malumque id de eo proximo sibi persuadendo. *Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. Adrian. in. 4. in quæstione de rest. famæ, Gab.* item *in. 4. dist. 15. quæst. 10. art. 3. dub. 2. & Sylvest. verb. detractio in fine*, Scoto subscribunt. Id ipsum maior etiam facit in 4. dist. 15. q. 16. tametsi addat, peccare eum lethaliter, qui ex auditu coram eis similia refert, qui illa maiori cum firmitate aliis referent, parumque ab hac sententia differt *Nauar. in Manu. c. 18. in calce. n. 49.* & latiùs *c. inter verb. n. 576.* ait enim peccare lethaliter, restituereque teneri damnum famæ sequutum, quando ex auditu id refert coram illis, qui illud verisimiliter credent, aut aliis maiori cum firmitate illud referent, 2

idemque

idemque affirmat *Adrian. quodl. 11. lit. g.*

In contraria sententia est *Sotus. 5. de iust. q. 10. art. 2.* asserens, eiusmodi narrantem ex auditu graue peccatum alterius occultum, restituere teneri damnum famæ sequutum, & per consequens peccare lethaliter, si damnum sequutum notabile fuit, aut periculum erat notabile damnum sequendum.

3 Nostra verò prima conclusio est: Quando peccatum graue occultum ita ex auditu narratur, vt persona fide digna referatur, quæ id assertiuè dixit, aut circumstantiæ auditæ tales referantur, quæ rem creditu dignam ac persuasibilem efficiant, vel denique, attentis circumstantiis concurrentibus, persona scilicet id narrantis, modi, quo id narrauit, & aliis concurrentibus, res efficiatur persuasibilis audientibus, dignaque quæ ab illis credatur. Tenetur ita id narrans, tanquam vera causa iniusta illius, restituere totum damnum famæ ex ea narratione sequutum, si non plus nequitia audientium concipiatur, quàm inde natum erat rationabiliter concipi: incrementum verò, cùm non ex ea narratione sit sequutum, sed ex audientium nequitia, narransque non vera causa illius, sed solùm occasio fuerit, restituere non tenetur, estò permaneat. Quoniam sicut is, qui coram aliis furatur, neque aliter eos ad furandum inducit, quàm suo exemplo, restituere non tenentur, quæ alii suo exemplo permoti furantur, eo quòd exemplum nudum non fuit causa furti illorum, sed solùm occasio vt inde ad furandum mouerentur, vt tractatu 2 in materia de restitutione dictum est; ita res habet quo ad id incrementum damni famæ nequitia audientium dati. Quòd si damnum ex ea narratione sequutum, aut quod natum erat sequi, notabile erat, attenta qualitate delicti, personæ de qua narratur, & cæteris circumstantiis concurrentibus, tunc id narrans peccauit lethaliter. Idem est quo ad culpam lethalem contra caritatem, si attentis personis, quibus fuit narratum, & attentis circumstantiis aliis concurrentibus, animaduertebat, aut animaduertere debebat, illas peccaturas lethaliter, sibi persuadendo, quod dignum non erat, vt sibi persuaderent, aut aliis id ita narrando vt peccarent lethaliter. Tunc enim propter lethale scandalum, quod vitare tenebatur, & cui occasionem præbuit, peccauit contra caritatem, tum contra eos, qui ita scandalizati sunt, scandalizarive inde potuerunt: tum etiam contra proximum illum, de quo id narratum ex auditu fuit, cuius famæ ab illis aliis detrimentum fuit iniustè illatum, aut inferri ea occasione potuit. Vnusquisque enim lege caritatis tenetur sub culpa lethali vitare scandalum lethale aliorum, si commodè posset, nedum ad id scandalum occasionem non præbere. Tenetur insuper impedire damnum notabile famæ aliorum, si commodè possit, non minùs quàm tenetur impedire damnum illorum in bonis externis diuitiarum, si commodè possit, nedum occasionem non præbere eius damni. Conclusio hæc tota non alia probatione indiget, quàm quæ in illa est inserta.

4 Secunda conclusio: Quia proximi fama non solùm læditur opinione sinistra de illo, sed etiam A suspicione, quin & dubitatione de probitate illius, aut quòd notam seu maculam aliquam habeat, vt in materia de iudicio temerario à Disp. 13 dictum est: quæ autem ex auditu narrantur, vel quo ad mores prauos occultos, vel quo ad notam & maculam aliquam occultam, regulariter sufficiunt ad generandā dubitationem, ne res ita habeat, aut etiam suspicionem, quòd fortè ita res habet, sanè qui aliud tale occultum ex auditu narrat, damnumque aliquod famæ infert, quatenus causa iniusta est vt ea de re dubitetur, aut suspicio habeatur, restituere tenetur damnum, quod ea narratione intulit, si permaneat, licèt non incrementum, cuius B fuit occasio, si plus audientes conceperunt, aut etiam famam læserunt. Tenebitur verò id damnum permanens restituere sub culpa lethali aut veniali, pro quantitate eius damni permanentis, maiori vel minori. Vtrùm autem id narrando peccauerit lethaliter aut solùm venialiter, iudicandum est ex quantitate damni, quod natum fuit efficere, & ex scandalo audientium, quibus occasionem plus concipiendi aut plus vlteriùs narrandi præbuit, & ex qualitate criminis, vt si ad sodomiam, hæresim, aut aliud enorme ac læsiuum valde famæ crimen attinebat, ex qualitatéve notæ ac maculæ, & ex qualitate personæ, C de qua id narrauit, atque ex cæteris circumstantiis concurrentibus, iuxta ea, quæ dum de iudicio temerario nobis sermo erat, explanata sunt, num dubium temerarium, aut suspicio temeraria de eiusmodi rebus, spectata qualitate personæ, de qua id dubium aut ea suspicio habetur, culpa sit lethalis. Conclusio hæc non alia etiam probatione indiget.

Publicum crimen aut macula, quæ dicantur ad examen, num absque peccato detegi de illis possint, qui de illis sunt infamati.

Disp. 31.

SVMMARIVM.

1. *QVid sit crimen notorium facti notorietate, & quàm multis notorium sit oportet.*
2. *Quid sit notorium notorietate iuris: quod etiam duplex est, vnum, quod tam manifesta iudicis sententia est damnatum, vt nulla possit iam tergiuersatione celari: alterum quod probatum est iam plenè in iudicio testibus omnino sufficientibus, vt condemnatoria sententia ritè proferatur.*
3. *Publicè infamatus de aliquo crimine dicitur, de quo licèt notorium non sit eum id crimen commisisse neque iuris neque facti notorietate, est tamen publica fama eum id commisisse, ex verisimilibus coniecturis habens ortum.*
4. *Aliud est aliquem infamatum esse de aliqua re in domo aliqua, & aliud esse infamatum in vicinia aut populo vel regno.*

VT consequenter explicemus, quousq; absque peccato liceat detegere id ignorantibus peccatum aut maculā, de quibus aliquis est infamatus, vel in loco & tempore in quibus est infamatus, vel in aliis, explicandum est, quod

crimen

crimen aut macula ad eum effectum publica dicantur. Ad alium enim effectum iterum tractatu sequenti erit sermo de crimine notorio ac publico.

1 Quando aliquid eiusmodi notorium est facti notorietate, publicum est ibi, vbi ita est notorium. Tunc autem vt iuxta *c.vestra, & c.quæsitum est, de cohabit.cleric.& mulier.* doctores communiter tradunt, aliquid notorium dicitur facti notorietate in aliquo loco, quando iam ibi nulla potest tergiuersatione celari. Ad quod non satis est, quòd id ibi euidèter à quatuor aut quinque sit cognitum, sed requiritur vt à tot de populo, vicinia, aut communitate sit euidenter cognitum, vt prudentis arbitrio iudicetur nõ posse iam vlla tergiuersatione celari. Ad notorietatem enim facti in primis euidentia est necessaria: quoniam opinionem constat nõ efficere notorium, facileque is, de quo id multi opinarentur, atque de quo ex opinione id diceretur, tergiuersari & obijcere posset, decipi eos, qui id opinati sunt, ex falsis; præsumptionibus id concepisse & asseruisse. Neque satis est tres, quatuor, aut quinque asserere se id vidisse, euidentíve cognitione id scire: quoniam licèt tot testes omni exceptione maiores sufficiant ad id planè in iudicio probandum; non tamen sufficiunt, vt id notoriũ facti notorietate dicatur ac sit: quoniam is, de quo id dicitur, tergiuersari aliqua ex parte poterit id celare conando, non sine aliqua specie ne fortè res ita habeat, dicendo, eos sibi esse inimicos, idque confinxisse mutuo consilio, corruptósve esse largitionibus, aut aliqua alia ratione, vel omnes, vel eorum aliquos. Quando verò iam tot euidenter illud cognouerunt, vt prudentis arbitrio non possit vlla tergiuersatione celari, quia nihil cum vel leui verisimilitudine potest obiici aduersus tot hominũ euidentẽ notitiam, quo id celetur, dicitur notorium facti notorietate. Licèt autem *Panor.c.vestra citato.n. 16.* asseruerit, vt aliquid notorium in aliquo loco dicatur, necesse esse, vt à maiori parte vicinię sciatur; arbitror tamen satis ad id esse, si ab octo aut à decem id euidenter agnoscatur, maximè aliis id audientibus, aut aliqua eius rei indicia conspicientibus. Quando item vitium aliquod iuris præsumptione censeretur notorium facti notorietate, tunc qui illo ita laboraret, censeretur quoque in re proposita publicè de illo infamatus. Illud verò iuris præsumptione censetur notorium facti, quod quamuis in se euidens non sit, tale tamen iure præsumitur. Hoc modo quando publicè aliquis semper habitus est filius alicuius, dicitur notorium illum esse aut fuisse filium illius, vt patet *c.quoniam de fil. presby.& c. per tuas de prob.* Ad eundem verò modum, quod ad rem præsentem attinet, qui publicè domi mulieres retinent, quas nullus dubitat esse eorum concubinas, vel quia ex illis filios habent, vel patentibus aliis indiciis, arbitror iuris præsumptione eos esse notorios concubinarios, in eo perseuerantes peccato, si tot habere eos ita concubinas conspiciant, quot sufficiunt, vt aliquid notorium facti dicatur, estò de concubitu euidentia non sit. Atque hoc est, quod velle videtur *Panor.c.vestra de cohab.cler.& mulier.n.6.* Legas etiam *Syluestrum verb.cler.2.§.4.q.2.* Qui autem hoc modo esset notoriè in concubinatu, de eo longè maiori cum ratione diceretur, eum esse publicum concubinarium: cùm minus ad rationem publici, quàm ad rationem notorii requiratur, latiusque, vt constat c.tua nos de cohabit.cler. & mulie. & hoc loco, atque tractatu sequenti videbimus, ratio publici pateat, quàm pateat ratio notorii.

Aliud dicitur notorium, non facti notorietate, sed notorietate iuris, vt communiter doctores distinguunt iuxta *c. vestra & c. quæsitum est, de cohabit. cler.& mul.* quæ suprà citata sunt. Atque eiusmodi notorium iuris notorietate duplex est. Vnum est, quod tam manifesta iudicis sententia est damnatum, vt nulla possit iam tergiuersatione celari: vt quia sententia fuit publica, in remque transiuit iudicatam. Quod autem hoc modo notorium est, publicum etiam dicitur, tum simpliciter, tum etiam quod ad rem attinet, de qua nunc disputamus. 2

Alterum verò est notorium iuris notorietate, quod probatum est iam plenè in iudicio testibus omnino sufficientibus vt condemnatoria sententia ritè proferatur, aut etiam ea confessione rei, quæ ad ferendam condemnatoriam sententiam omnino sufficiens sit, ita vt in neutro euentu reus possit iam vlla tergiuersatione suum crimen in eo iudicio celare. Atque, quod hoc modo notorium est iuris notorietate, quamuis publicum sit, & dicatur iam esse in eo iudicio, ad alios que effectus, de quibus tractatu sequenti erit sermo, ad rem tamen, de qua disputamus, non censetur publicum, nisi adiunctum simul habeat, esse etiam publicum aliquo alio ex eis modis publicitatis ad rem præsentem sufficientibus, vt Disputationibus sequentibus videbimus.

Qui item damnatus est de leuiter aut de vehementer suspecto circa aliquod crimen, publicè etiam est infamatus, quòd sit ita de eo crimine suspectus.

Item in re proposita publicè infamatus de aliquo crimine aut macula is dicitur, vt patet c. tua nos citato, de quo licèt notorium non sit, eum id crimen commisisse aut eam maculã habere, neque iuris neque facti notorietate, est tamen publica fama eum illud commisisse, aut eam maculam habere, hoc est, est opinio communis ex verisimilibus coniecturis habens ortum: neque ad eam famam aut infamiam satis est, si pauci ita opinentur aut loquantur, sed necessaria est opinio multorum prudẽtis arbitrio, vt ait *glossa.c.inquisitionis.§.vlt. de accusat.* quam sequuntur *Sotus.5.de iust.q.6.art.2.& de teg.secret. memb.6.q.6.Bart.aut.l.de minore.§.plurimum.ff.de quæstionib.* affirmauit, necesse esse vt sit maioris partis viciniæ, vniuersitatis, aut collegii, in eamque sententiam inclinant *Feli.c.inquisitionis.§. vlt.citato*, & alii doctores communiter. Nec video qua ratione *Nauar.c.inter verba.n.584.* affirmauerit, Bart. aliud sentire: cum loco citato, quod ex illo referimus, satis perspicuè affirmet. 3

Nunc autem, quod ad rem præsentem attinet, quæ quotidiana est, & circa quam à multis maior lux desideratur, quàm quæ à doctoribus communiter traditur, est obseruandum. Aliud esse aliquem infamatum esse de aliqua re in domo aliqua aut collegio, & aliud esse infamatum in vicinia, in populo, & in ciuitate, aut in communitate alia populosa, vel regno. Atque à domo aut collegio incipiendo est obseruandũ. Quam- 4

uis

uis quo domus aut collegium maiora sunt; eo, A vt in eis censeatur aliquis infamatus circa aliquam rem, requiratur plures de ea domo aut collegio id de eo opinari aut loqui; nihilominus quo maior est domus aut collegium, eo minorem partem proportionalem eius domus aut collegii sufficere id opinari aut loqui de illo, vt is infamatus circa id in ea domo aut collegio cēseatur. Verbi gratia, si domus constet ex octo, fortasse ad infamiam in ea domo requiritur, vt quatuor id opinentur, vel obloquantur, aut sciant. Si verò domus aut collegium constet ex viginti, fortasse sufficient septem, aut ad summū octo. Quòd si constet ex centū, sufficient quindecim, aut ad summum viginti. Neque ad id est B necesse, vt medietas aut maior pars id opinentur. Eodem modo, dum hæc in Euorensi academia exponebam, dicebam, vt in ea vniuersitate, quæ tunc mille scholasticis constabat, scholasticus aliquis censeretur infamatus de aliqua re, sufficere viginti, aut plures, vel fortè pauciores, qui id scirent aut opinarentur; modò tamen omnes non essent de vna domo aut collegio, aut de duabus domibus aut collegiis: nam tūc licèt id sufficeret, vt in domo aut collegio infamatus censeretur, non tamen vt in vniuersitate censeretur ea de re infamatus. Eodem modo in vicinia, quæ ex quatuor aut quinque domibus constet, in quibus quadraginta aut quadraginta C quinque sint personæ, vt aliquis de vicinia illa dicatur in ea infamatus de re aliqua, satis erit, si infamia illa sit inter octo aut decem de diuersis illis domibus. Et in oppido, quod ex quadraginta domibus constet, vt aliquis in illo de re aliqua infamatus esse dicatur, satis erit, si opinio de ea re sit apud viginti de eo oppido. Et quidam non ineptè docuit, vt aliquis infamatus de aliqua re censeretur in ciuitate, quæ quinque millibus ciuibus constat, ad minus requiri vt infamia esset inter triginta sparsim de eadem ciuitate, innuēs id sufficere. Vt aliquis infamatus censeatur de re aliqua in toto aliquo regno, satis est, si in curia sit infamatus, aut in illustri alio loco, D quo influere solent ex toto regno, & vnde fama in regnum totum facilè spargitur. Atque vt summatim dicam, quando iam res ita limites secreti seu occulti egreditur, vt prudentis arbitrio, attenta qualitate communitatis, in qua scitur, & comparatione cuius expenditur, an ibi de ea re is sit infamatus, iudicatur esse adeò propalata ac publica, vt moraliter attenta conditione humana sit vlteriùs ea res diffundenda, censendum sanè est eum, de quo ea opinio à tot iam habetur, amisisse ibi ea in re suam famam, esseque ea de re ibi infamatum. Ac sanè arbitror, ex doctrina hactenus à nobis tradita, potiùs arctare quàm laxare materiam hanc, praximque iudicantium, E quando delicta & maculæ censenda sint iam publica, & quando censendus quis sit infamatus de illis, neque requiri tantum numerum id opinantium aut scientium, quantus à nobis explicatus est.

Infamatus si quis sit de aliqua re in loco aliquo, an ea aut alia, ad infamiam eiusdem attinens, manifestari eam nescientibus licitè possit in eodem loco. Disp. 32.

SVMMARIVM.

1. *INfamatus de vno crimine aut macula, illicitè & cum onere restituendi, infamatur de alio crimine etiam eiusdem speciei, potestq; in eo interuenire culpa lethalis. Aliquando verò exigua aut nulla accedere inde poterit infamia, vt neque sit lethalis culpa crimen detegere, etiam si falsò imponatur, neque inde restituendi obligatio sub culpa lethali consurgat.*
2. *Quando aliquis infamatus est de aliquo crimine in aliquo loco, absque culpa lethali & absque restituendi onere narrari potest id crimen aliis in eodem loco, qui id nesciunt. Si intelligatur, quando is non est per iniustitiam in eo loco infamatus; sed ipse fuit in culpa suæ infamiæ, aut ordine iuris fuit infamatus.*
3. *Si verò aliquis eo loco per iniustitiam infamatus est, (quia iniustè crimen illius tunc factum est publicum) tunc verisimile est, vlteriorem laceration em famæ illius iniustam etiam esse, cum onere restituendi.*
4. *Si extensio damni, quæ fieret post crimen iam factum eo modo publicum iniustè, prudentis arbitrio esset incrementi damni exigui, attento quòd ille iam esset infamatus de eo crimine, tunc culpa non esset lethalis ita detegere crimen nescientibus.*
5. *Si quis illud vlteriùs detexit post factum publicum, existimabat eum, quocum loquebatur illud scire, tunc non peccat lethaliter id ita detegendo, neque tenetur ad restitutionem.*
6. *Qui verè commisit aliquod crimen, de quo iam infamatus est, dignus ob illud in se est, de quo illud concipiatur, & proinde ea laboret infamia. At ideo tamen non est crimen eius detegendum, ob bonum commune & proximi caritatem.*
7. *Vnusquisque non est dominus famæ aut existimationis, quam alii de ipso habent: quia fama est in mentibus aliorum, & quia nullus in eo nobis iniuriam vllam facit.*
8. *Quando crimen verè est commissum, & iam publicum est effectum etiam per iniustitiam eorum, qui illud reuelatione sua iniusta publicum fecerunt, tunc non est culpa lethalis illud detegere iis in loco, vbi publicum est iam effectum, qui non sciebant.*
9. *Quando infamia alicuius in aliquo loco solùm esset rumor publicus de aliquo delicto publico ex verisimilibus coniecturis, aut suspicio non firma, tunc qui ita detegeret id delictum, vt certum illud efficeret, peccaret contra iustitiam, cum onere restituendi.*

DE hac re prima conclusio est: Infamatus de 1 vno crimine, nota, aut macula, illicitè & cū onere restituendi infamatur de alio crimine, etiam eiusdem speciei, aut macula vel nota: potestq; in eo interuenire culpa lethalis. Aliquando verò adeò exigua aut nulla accedere inde poterit infamia, vt neque sit lethalis culpa crimen detegere, etiam si falsò imponatur, neque inde restituendi obligatio sub culpa lethali consurgat. Imò verò euenire aliquando poterit, vt nulla omnino obligatio restituendi famam inde consurgat, etiam si crimen imponatur, & qui id audit, illud omnino credat.

Priorem partem huius conclusionis, nempe infamatum de vno crimine, nota, aut macula, illicitè & cum restituendi onere infamari de alio crimine, etiam eiusdem speciei, aut macula, vel

nota, posseq; in eo interuenire culpã lethalem, affirmant *Adrian.quodl.11.q.1.lit.h.&i.* & doctores communiter. Probari autẽ potest, quoniam licèt quis amissam habeat famã circa castitatem, poterit tamẽ integrã illam habere circa iustitiã aut circa alias virtutes: eaq; de causa illicitè ac contra iustitiam infamabitur de furto aut periurio, vel alio crimine moris, quin & de macula & nota generis, scientiæ, vel artis: tantaq; iactura famæ esse poterit ea de re, vt in eo interueniat culpa lethalis, consurgatq; inde obligatio restituendi eam iacturam ac damnũ famæ iniustè datum sub culpa lethali, vt ex se satis liquet. Quin si mulier, quæ infamata semel fuit de aliquo adulterio, post tempus aliquod in aliud occultum incidat, sanè tantam iacturam famæ amittere ex eo poterit, quòd secundum ipsius adulterium detegatur, vt ea detectio culpa sit lethalis cõtra iustitiam, cum onere sub culpa similiter lethali illi restituendi eam iacturam ac damnum famæ iniustè illi datum detectione illa secundi illius adulterii, nihil impediente, quòd secũdum adulterium, quod de nouo detegitur, & de quo de nouo infamatur, sit eiusdem speciei cum primo, de quo erat iam antea infamata: facileque erit plura alia similia exempla tradere.

Posterior verò eiusdem conclusionis pars, aliquando videlicet adeò exiguam aut nullã posse accedere ex ea detectione infamiam, vt neq; lethalis culpa sit id crimen detegere, etiam si falsò imponatur, neq; inde consurgat obligatio restituendi sub culpa lethali, imò posse aliquando euenire, vt nulla omnino obligatio restituendi famam inde consurgat, etiam si crimen imponatur, & qui id audit, illud omnino credat: ea, inquam, posterior pars ex eo probatur, quoniã si de publica meretrice dicatur, illam aliquem admisisse, sanè estò id illi imponatur, non erit culpa lethalis, neq; vlla consurget obligatio famam illi ea de causa restituẽdi: quippe cùm nulla inde accessio infamiæ illi accreuerit. Itẽ, esse aliquem iam infamatum circa aliquod vitium, aut circa aliqua vitia, sanè multum conducit, vt fama illius circa alias virtutes non sit tanti momenti, quanti est fama aliorum, maximè si virtutes sint affines; ac proinde fieri poterit, vt detectio vitii, circa quod non erat infamatus, non tantum famæ illi detrahat, attẽta qualitate personæ, & attentis circumstantiis aliis concurrentibus, vt ad culpam pertingat lethalem, & vt obligatio restituendi, quæ inde consurgat, sit culpa lethalis. Quãdo autem id ita iudicandum sit, quando non item, statui nequit certa regula, sed id prudentis arbitrio, spectatis circumstãtiis omnibus concurrentibus, est relinquendum.

2 Secunda conclusio: Quando aliquis infamatus est de aliquo crimine in aliquo loco, absque culpa lethali & absque restituendi onere narratur id crimen aliis in eodem loco, qui id non sciunt. Conclusio hæc communis est doctorum *Nauar.c.inter verba à n.837.diui Anto.part.2.titu.8.c.4.in prin. Caiet. in opusculo.17.responsionum.9. respons.ad.3.dubium, Ledesmii.2.4.q.18.art.2. Soti. 4. de iust.q.6.art.3.ad.4. Maioris in.4.dist.15.q.6.* & plurium aliorum.

Contrarium verò affirmauit *Adrian.q.de dest. fœmæ duob.* §§. ante responsionẽ ad argumenta, idemque affirmauit *Sylvest. verb. detractio. n.2.* Ducuntur. Quoniam contra caritatem est, proximi famam læsam apud id scientes lædere amplius apud id non scientes: quare, inquiunt, si læsio, quæ vlteriùs fit, id detegẽdo non scientibus, notabilis sit, ea detractio erit culpa lethalis: sin minùs, erit solùm culpa venialis. Addit verò Adrianus, lædentem eo modo famam non teneri ad restitutionem eius læsionis. Quoniam infamato non debetur fama iam ex iustitia, sed solùm læsio fit vlteriùs contra caritatem.

Recedendum tamen non est à communis doctorum sententia. Saltẽ si intelligatur, quando is non est per iniustitiã in eo loco infamatus, sed ipse fuit in culpa suæ infamiæ, aut ordine iuris fuit infamatus. Exemplum primi, vt quando aliquis in conspectu multorum peccauit, & ita in causa fuit, vt ipsius peccatũ esset notorium: vel quando ita incautè se gessit, totiesq; culpã iterauit, vt multis opinionem genuerit sui delicti. Hic enim sibi ipsi abstulit famam, indignusq; est effectus, vt contegatur circa id crimen apud alios eiusdẽ loci. Neq; tunc ratio postulat, vt hominũ linguæ ita se contineant, ac si crimen illius esset secretum, nec famã sua culpa ipse amisisset: quin potiùs commune bonum ex parte tunc efflagitat, vt peccatum illius arguatur ac detegatur in illius confusionem, atq; vt cæteri se contineant à peccatis, timeantq; peccata sua publica efficere in aliorum scandalum. Ac sanè durissimum intolerabileq; iugum censeretur hominũ ceruicibus impositum, si nullum crimen, quamuis publicũ, detegere iis possent, qui illud ignorarent, & quotiescunq; de eo loquerẽtur, attẽdere tenerentur, ne fortè aliquis adesset, qui illud ignoraret, ne culpã committerent, illud ignorãti reuelando. Id quod sanè neq; rei natura nec humanus conuictus patiuntur, neq; est credendum piissimum Deum adeò graue iugum imponere intendisse ceruicibus hominum. Quando autẽ aliquis ordine iuris est infamatus de crimine aliquo, quia crimen illius iustè sententia iudicis est factum publicũ & detectum, vt puniatur ac sciatur posthabita fama illius, satis est perspicuum licere illud detegere iis, qui illud ignorant in eo ipso loco, in quo est ita publicum. Vtrùm autem liceat illud etiam detegere in loco, in quo non est publicum, Disputatione sequenti dicetur.

3 Dixi suprà, saltem si communis sententia intelligatur, quando is non est per iniustitiam in eo loco infamatus: quoniam si per iniustitiam infamatus est, quia iniustè crimen illius fuit factum publicum; vt si cùm esset secretum, aliquis aut aliqui illud reuelarunt, effeceruntq; publicum; tunc maior verisimilitudo est, vlteriorem laceratione ac læsionem famæ illius iniustam etiam esse, cum onere restituendi: Cùm enim quo infamia ad plures se extendit, eo maior sit, & cum maiori iactura ac damno diffamati: atque in eo euentu totum id damnum iniustè datum fuerit ita diffamato: consequens esse videtur, quòd quemadmodum quando aliquis patitur damnum iniustum in bonis externis diuitiarum, nõ solùm peccant ii, qui præcipuam illius partem à principio dederũt, sed etiam ii, qui idem damnum postea extenderunt, etiam si id efficiant, prioribus illis aliis præbentibus eis occasionem extensionis eius damni, tenenturq; vtrique ad restitutionem damni, quod dederunt, vnusquisque eorum ad restitutionem partis, quam dedit:

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

dedit: sic se res habeat in proposito.

4 Quòd si sententia hæc vera sit, sunt nonnulla circa eam obseruanda. Primum est, si extensio damni, quæ fieret post crimen iam factũ eo modo publicum iniustè, prudentis arbitrio esset incrementi dãni exigui, attento quòd ille iam esset infamatus de eo crimine, tunc culpa non esset lethalis ita detegere id crimen iis, qui illud ignorabant, neq; item inde cõsurgeret obligatio restituẽdi id damnum sub culpa lethali, sed solùm sub veniali, si permaneret, restituique posset.

5 Secundum verò est, si qui illud vlteriùs detexit post factum publicum, existimabat eum, quo cũ ea de re loquebatur, illud scire, vel arbitrabatur, sibi licere illud nesciẽtibus detegere postquam iam erat publicum, tunc neq; lethaliter peccaret id ita detegendo, neque restituere teneretur extensionem illam damni in fama, ignorantia excusante tum à culpa lethali, tum etiam à restituendi onere: eo quòd in eo euentu nõn consurgat obligatio restituendi ex parte rei acceptę, & ab obligatione restituendi ex parte iniustæ acceptionis excuset ignorantia.

6 Dixi paulo superiùs, si sententia hæc vera sit. Quoniam in re, de qua hac & sequenti Disputatione agimus, duo sunt obseruanda. Primũ est, eum, qui verè commisit aliquod crimen, de quo iam est infamatus, dignum ob illud in se esse, de quo id concipiatur, quiq; proinde ea laboret infamia: quandoquidem non aliud de eo concipiatur, quàm quod habet natura ipsa rei, & quàm quod crimẽ ipseq; ob id crimen mereatur. Bonum tamen commune reipublicæ, exemplique aliorum, & caritas eius proximi postulat, vt quãdiu res est secreta, neque ille famã amissam ea de re habet: id non detegatur, nisi eo contendente in iudicio iustam vindictã & pœnã de eo malefactore, qui eo crimine est offensus, iniuriãq; tali crimine est passus, aut eo idem contendẽte, cui, iuxta præscriptũ reipublicę, concessum est agere ac prosequi iniuriã eius, qui crimine illo fuit offensus, vel, quando ita expedit reipublicę, ob criminis grauitatẽ ac perniciem, & damnũ aliorũ, aut maximam Dei offensam, republica ipsa statuente vt tunc detegatur, iudiceq; ecclesiastico aut seculari ex præscripto eiusdẽ reipublicæ de illo inquirẽte, aut denunciare pręcipiente, etiãsi secretum sit, vel nisi crimen sit publicũ, de quo accusare cuiuis de populo in commune bonum est concessum: semper enim commune bonum, paxq;, tranquillitas, & reipublicæ cõseruatio in bono suo statu, præferri debẽt bono priuato famæ alicuius, maximè quando ea est indignus, ob suumq; crimen commeretur vt in ea puniatur, præcipiẽdo, vt aut ab iis, qui id crimẽ aut indicia illius sciunt, detegatur, aut facultate vt de eo accusetur, vt is delinquens competenter puniatur, tum in fama & existimatione, quæ de illo habebatur, tum etiã in aliis illius bonis, vt fuerit dignum, communiq; bono expediens, atq; à republica ipsa sancitũ. Et deniq; in quocunq; ex illis euentibus, qui Disp. 24 explicati sunt, fas est crimina occulta detegere, quantũ causę & fines, ob quos tunc id licet, postulant, & non plus. Atque obserua, quòd cùm finis correctionis fraternæ seu paternæ, idve ad quod ea correctio ordinatur, sit sola emenda fratris, qui est in peccato pẽdẽte adhuc in futurũ, vt ab illo cesset ac eruatur, neq; in illo is progrediatur vlteriùs: naturaque ipsa rei ordoq; caritatis postulet, vt bonũ ipsius spirituale cessareq; à peccato præponatur famæ eiusdẽ: eademq; natura rei, caritas, & iustitia postulent, vt si erui à peccato possit sine vlla iactura suæ famæ, id ita fiat: si autẽ sine iactura famę erui non possit, eruatur cum quanta minori iactura fuerit possibile: inde ortum habuit ordo correctionis fraternæ à Christo in Euangelio præscriptus, qui de iure est naturali, vt scilicet frater, in peccato pendenti in futurũ iacens, corriperetur à solo id sciente, si spes esset, quòd id sufficeret: si autẽ nõ sufficeret, adhiberetur simul vnus alius aut alter testis, antequam prælato seu ecclesiæ in prælato denunciaretur: si autẽ nec id sufficeret, tunc prælato denunciaretur, &c. Cùm verò finis correctionis iudicialis non sit bonum, nec spirituale, nec aliud eius, qui deliquit, sed finis, idve ad quod ea correctio ordinatur, sit, vt delinquẽs competenter puniatur in satisfactionẽ eius, qui eo delicto fuit offensus, & in satisfactionem ac bonum reipublicæ, atq; vt pax debitusq; reipublicæ status conseruetur, cæteriq; timeant & in officio contineantur, sanè correctio iudicialis non curat famam ac bonum delinquentis, sed tantùm ea est licitum prædicare famę eius, qui deliquit, non solùm sententia iudicis postquam delictum fuerit probatum, in pœnamq; eius delicti, sed etiam vt de eo delicto accusetur à legitimo accusatore, inquiratur à iudice ex officio, detegatur ac denuncietur, testibusq; comprobetur, quantum in bonũ commune iure ciuili aut canonico, in ecclesiastico vel in seculari foro, fuerit pro qualitate delictorum præscriptũ aut permissum: neq; in ea læsione famæ delinquentis, quæ ea via, iuxta ordinem ac permissionem iuris, fit, vlla est culpa in foro conscientiæ, neq; contra iustitiam, neque contra caritatem delinquentis, modò siniſtra alia intentio non admisceatur, neque transgressio fiat quo ad id, quod ea correctione iudiciali canonico aut ciuili iure in ecclesiastico aut in seculari foro est permissum, vt hæc omnia latiùs tractatu sequenti & in materia de correctione fraterna explanabũtur: contrariumq; asserere procul dubio est aperta ignorantia, estq; temere condemnare culpæ lethalis, quæ ritè in foro seculari ac ecclesiastico iuxta præscriptum iuris, & iuxta id quod postulat commune bonum reipublicę secularis & ecclesiæ, quotidie fiunt. Vnde miror quendam virum, aliàs doctum & pium, quæ sequuntur his nostris temporibus typis mandasse: *Obijcies, reuelans secretum delictum tenetur ad restitutionem famæ: sed qui manifestat & probat in iudicio, quod probari potest duobus vel tribus testibus, non tenetur ad restituendam famam illi accusato, vt habetur lib. Ord. Reg. titu. 9. l. 2. ergo signum est, illum non fuisse detractorem, nec peccasse contra iustitiam, & consequenter non esse dicendum secretum, quod duobus vel tribus testibus probari potest. Respondeo, teneri istum ad restetuendam illi famam, modo meliori, quo poterit, quia lex illa solum respicit forum exterius, ita vt iudex non compellat accusatorem, qui ita probauit delictum alterius, ad restituendam illi famam: at in foro conscientiæ tenetur restituere, cum verè infamauerit proximum. Respondeo secundò, etiam si non teneatur, qui probauit in iudicio crimen alterius, restituere illi famam, quia iam factum est publicum, nec potest dicere illud non constare, cum constet probatione iuridica; nihilominus*

quando accusauit, (nisi sit ex criminibus nociuis, quæ tenemur reuelare) peccauit, & fuit verè infamator, ac reuelator secreti. Hæc illæ. In quibus apertè intendit, neq; eum, qui legitimè in foro exteriori accusat aliquem de aliquo crimine, quod ante accusationem & probationem secretum est, vt distinguitur contra publicum, neq; eum, qui de eo crimine in iudicio testificatur, licitè id efficere, sed peccare in foro conscientiæ, teneriq; ad restitutionem famæ talis delinquentis ea via læsæ, esseq; verum detractorem: quæ omnia absurdissima planè sunt, atq; si res ita haberet, iura canonica & ciuilia, praxisq; ecclesiastici & ciuilis fori, peccata lethalia contra iustitiam & cū onere restituendi fouerent, neq; sine peccatis iniustitiæ puniri delicta possent eo ipso, quòd priùs non essent publica effecta, miseraq; esset conditio reipublicæ, boni communis, atq; proborum, qui competentē vindictam de iniuriis acceptis & de aliis delictis exigere aduersus iniquos licitè non possent, nisi priùs publicè constaret, eos illa delicta commisisse, de quibus accusari ac puniri licitè possent.

A strum, vt illius simus domini, sicut domini sumus bonorum nostrorum diuitiarum.

Ex his duobus, quæ obseruanda duximus, dico, 8
quamuis vnusquisque, interim dū crimen suum non est publicum, ius habeat, idq; naturale, ab ipsamet rei natura profectum, ob rationes traditas in initio primi, quod obseruandum duximus, vt nullus præiudicet famæ illius illud reuelando aliis, exceptis vitiis, quibus id licere recta ratio ac iuris dispositio permittit, iuxta ea quæ in primo, quod obseruandum duximus, & Disp. 24 explicata sunt, atq; adeò qui illi iuri contrauenit, non solùm peccet contra caritatem, sed etiam contra iustitiā cum onere restituēdi damB num famæ permanens, quod ita iniustè dederit: nihilominus quando crimen verè fuit commissum, iamq; est publicum effectum, etiam per iniustitiam eorum, qui sua reuelatione iniusta publicum illud fecerunt, non est mihi compertum ac persuasum, culpam esse lethalem illud detegere iis in loco vbi publicū est iam effectū, qui illud non sciebant, non solùm contra iustitiam & cum restituendi onere, vt Adrianus concedit, sed neq; contra caritatem. Tunc quoniam in eo euentu ille verè id crimen commisit, & propter illud verè ipse est dignus, de quo ea opinio, existimatio, ac notitia habeatur, illeq; quo ad id nō solùm non est iam integrę famæ, quasi solùm ex C parte habeat illā læsam, vno dumtaxat aut duobus vel tribus id scientibus, & quasi id crimen permaneat adhuc intra limites occulti, vt distinguitur contra publicum, expediatq; bono communi, aliorumq; exemplo, eam conseruari, sed simpliciter illā habet amissam, eo quòd crimen id sit iam publicum effectum, atq; ex parte ad bonum commune spectat, vt postquam iam habet famam ita amissam ob verum suum crimen, in eo etiam id crimen puniatur, vt de illo alii loqui possint in illius ruborem & infamiam, nihil impediente, quòd ea infamia magis extendatur, vt ipse & cæteri se deinceps contineant à tali crimine patrando: ob quam causam, quando cri- D men est iam publicum illo modo, magis canonico & ciuili iure est licitum de eo inquiri & denunciari, vt puniatur, nihil impediente, quòd ea ratione sit longè magis extendēda infamia eius peccatoris, quàm liceat interim dum crimen manet occultum, vt distinguitur contra publicum, nec peccator adhuc laborat simpliciter infamia eius criminis. Tum etiam quoniam eo ipso, quòd id crimen factum est iam publicum, &, qui illud commisit, amissam iam quo ad illud habeat famam, non tanta iactura est famę illius, quòd ea fama, loquendo de illo, ad alios extendatur, qui illud ignorabant, vt culpa id sit lethalis contra caritatem, maximè cōcurrentibus E simul rationibus paulo antè traditis, vt id sine culpa lethali fiat, & concurrente quod proximè subiungo. Tum deniq; quoniam conuictus humanus, spectata præsertim conditione ac fragilitate humana, & simul attentis omnibus aliis, quę dicta sunt, non patitur, vt postquam crimen alicuius publicum est effectum, culpa sit lethalis de illo loqui corā iis, qui illud ignorant, durumque valde iugum, difficileq; adm odum seruatu, impositum esset ceruicibus hominum, si in eo euentu contra caritatem peccarent lethaliter, ac proinde si semper quando crimen esset publicum, famæq; notabiliter lęsiuum, tenerentur

7 Secundum obseruandū eiusmodi est. Non sicut vnusquisq; est dominus bonorum externorū diuitiarum, quæ ritè legitimóve titulo vt sua possidet: sic est dominus famæ, seu existimationis non malæ, quam alii de ipso habent. Tum quia fama est in mentibus aliorum, estq; existimatio, C quam alii de nobis concipiunt, seu etiam est illos non habere malam de nobis existimationē, estò nihil de nobis de rebusq; nostris cogitent: quod constat non esse bonum, cuius nos verum dominium habere possimus. Tum etiam, quoniam nullus iniuriam vllam in eo nobis efficit, quòd malè de nobis de actibusq; ac rebus nostris concipiat, malamq; proinde apud illum famam seu existimationem habeamus, quādo ita res habet, vt de nobis is concipit atq; existimat, neque via iniusta in eam notitiā deuenit: bonis verò, quorum nos domini sumus, nullus priuatus potest nos iustè spoliare seu priuare, etiam ob nostra delicta: vnde nullus priuatus ob nostra delicta D potest nos iustè spoliare ac priuare bonis nostris externis diuitiarum, neq; vlla eorum parte, sed solus iudex per sententiam, potestásve publica, potest id efficere, si ea pæna simus digni. Tum deniq; (præter alia) quoniam in bonis nostris externis diuitiarum, quorū sumus domini, estò iudex sententiam ferat, qua nos in illis puniat quo ad partem eorum, nullus tamen alius potest extendere eam pænam ad partem aliam eorum, eam à nobis auferendo, aut damnum in ea nobis inferendo, id enim esset peccatum contra iustitiam cum onere restituendi nobis id damnum, vt omnibus est manifestū: at verò eo ipso, quòd per sententiam publicam damnati sumus de ali- E quo crimine, eaq; via factum est publicum omnibus, qui eam sententiam audierunt, & qui illam cum nostra ignominia mandari exequutioni viderunt, non peccant alii priuati contra iustitiam, quin neq; contra caritatem iuxta communem & veram sententiam, id crimen, eamq; sententiam & exequutionem, manifestando iis, qui ea omnia ignorabāt, eaq; ratione infamiam nostram extendendo ad multos alios, eamq; augendo, minimè iusti, nec facti exequutores eius pænæ ac dilatationis & augmenti nostræ infamiæ: ergo fama nostra non est bonum ita no-

homines

homines ſub culpa lethali attendere, an crimen contra iuſtitiam factum eſſet publicũ, compertumq́; habere non eſſe factum publicum contra iuſtitiã, vt de illo poſſent loqui, non examinato ac cognito priùs, nullum adeſſe qui illud ignoraret; quod non videtur credendũ, de diuina bonitate ac pietate: neq; video, ſi id eſſet culpa lethalis, cur non eſſet contra iuſtitiam: quoniã vel ille adhuc ius retinet, vt infamia illa ad alios non extendatur, vel non: ſi id ius non habet, ſanè non videtur peccatum contra caritatem, ſed licitum eſſe, ſi alia ſiniſtra intentio non admiſceatur, otioſeque ac vanè, ac proinde cum peccato veniali id non fiat, non curando augmentum iacturæ, licèt non iniuſtæ, eius proximi, quod non contra caritatem, ſed præter & non ſecundùm caritatem fieret: ſi autem adhuc id ius retinet, ſanè peccatum tunc non ſolùm erit cõtra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam comparatione eius proximi. Vnde quando peruerſa alia intentio lethalis non interueniret, non mihi perſuadeo in eo eſſe culpam lethalem. Neque valet illud argumentum, quando damnum iniuſtè datur proximo in bonis externis diuitiarum, non ſolùm peccat is contra iuſtitiam cum reſtituendi onere, qui illud primò dat, ſed etiam is, qui illud damnum poſtea extendit ad aliam partem diuitiarum: ergo quando damnum iniuſtè eſt datum in fama proximi reuelando crimen illius, illudq́ue efficiendo publicum, ſi poſtea id damnum extenditur reuelando idem crimen aliis, qui illud ignorabant, non ſolùm peccant ii contra iuſtitiam cum reſtituendi onere, qui illud iniuſtè fecerunt publicũm, ſed etiam illi, qui poſtea eam infamiã extenderunt reuelando illud aliis, qui illud ignorabant. Non, inquam, valet hoc argumentum. Tum quia non ita eſt aliquis dominus ſuæ famæ, quo ad id, ſicut eſt dominus ſuarum diuitiarum, vt explanatum eſt. Tum præcipuè, quoniam in vtroq; damno diuitiarum cernitur iniuſtitia: in extenſione verò damni famæ reuelando crimen iam antea factum publicum iis, qui illud ignorabant, non cernitur iniuſtitia, ſicut cernitur in reuelatione illius ſine iuſta cauſa antequam eſſet factum publicum, vt hęc omnia etiam explicata ſunt. Quãdo aliquis publicè eſſet infamatus iniuſtè de aliquo crimine, quod illi eſſet impoſitũ, tunc qui ſciret falsò fuiſſe impoſitum, peccaret contra iuſtitiam extendendo ad alios eam infamiam cum onere reſtituendi id damni incrementũ: quoniam etiam incrementum infamiæ ac damni eſſet datum iniuſtè.

9 Illud etiam circa ſecundam concluſionẽ propoſitam eſt obſeruandum, quando infamia alicuius in aliquo loco ſolùm eſſet rumor publicus de aliquo delicto ex veriſimilibus coniecturis, aut ſuſpicio vel opinio non firma, tunc qui ita detegeret id delictum, vt certum & indubitatum illud efficeret, peccaret contra iuſtitiam cum onere reſtituendi, quo ad id incrementum, quod adhuc occultum erat, eſtò ipſe certò ſciret eum id crimen commiſiſſe. Pro quantitate autem infamiæ, quæ inde, ſpectatis circumſtantiis omnibus concurrentibus, nata fuit augeri, iudicandum erit, an culpa ad lethalem pertigerit. Et pro quantitate incrementi damni inde re ipſa ſequuti tenetur reſtituere, iudicandumq́ue eſt, num ſub culpa lethali reſtituere illud teneatur.

A *Infamatus quando aliquis eſt de re aliqua in aliquo loco aut tempore, an iniuſtè & cum reſtituendi onere id detegatur iis in alio loco aut tempore, qui illud ignorabant.*

Diſp. 33.

SVMMARIVM.

1. *QVando aliquis infamatus eſt de aliqua re in aliquo loco, non per ſententiam latam ea de re à publicis teſtatibus, tunc contra iuſtitiam eſt & cum reſtituendi onere, detegere id in loco in quo ille de ea re non eſt infamatus.*
2. *Si temporis longinquitate abolita eſt infamia alicuius de aliquo delicto, de quo non fuit in iudicio damnatus, ſanè ſuſcitare de nouo infamiam illam iam abolitam iniuria eſt in eum, qui temporis decurſu recuperatam iam habebat famam.*
3. *An liceat manifeſtare in alio loco, in quo alter ea infamia non laborat, quando eſt ſententia publica in loco aliquo de aliquo delicto damnatus.*
4. *Non eſt peccatum contra iuſtitiam neque contra caritatem detegere vitium eius, qui de illo publica ſententia condemnatus eſt in vno loco, in aliis ad quæ ex eo loco eſt aliquod commercium.*
5. *Quando locus, in quo is degit, qui in alio publica ſententia fuit punitus, adeo diſtat à loco, in quo ille laborat infamia, lethalis culpa eſt detegere ibi peccatum illius.*
6. *Quando aliquod crimen ſolùm eſt ita notorium iuris notorietate, quòd nondum lata eſt ſententia, qua delinquens publicè de eo damnetur, nefas eſt illud detegere in loco, in quo is delinquens non laborat infamia.*
7. *Quando crimen aliquod damnatur publica quidem autoritate, ſed vt notitia criminis eius limites aliquos non egrediatur, tunc culpa eſt lethalis cum quantitate infamiæ, cum reſtituendi onere, eam notitiam vltra eos fines extendere.*
8. *Quando nota aliqua generis, quæ non modicum infamaret, eſſet occulta, neq; reſultaret ex ſententia publica, qua aliquis anteceſſorum damnatus eſſet de crimine, ob quod ea nota in penam redundaret, tunc culpa eſt lethalis illam detegere.*

QVod Diſputatione præcedente concluſione prima eſt dictum, illicitum videlicet eſſe, infamatum de aliquo vitio aut macula, in aliquo loco, infamare de alio vitio aut macula, circa quæ non laborat infamia, id detegendo in eo loco, in quo non circa illud ſed circa aliud laborat infamia, æquè, imò magis, habet locum, vt illicitum ſit id, circa quod nullibi laborat infamia, detegere in loco, in quo neque circa aliud laborat infamia. Quare hoc loco ſolùm erit nobis ſermo de re, circa quam infamia laborat quis in aliquo loco, an contra iuſtitiam & cum reſtituendi onere detegatur in loco, in quo is infamia circa illam non laborat.

Prima autem concluſio eſt. Quando aliquis infamatus eſt de aliqua re in aliquo loco, non per ſententiam latam ea de re à publicis teſtatibus, tunc contra iuſtitiam eſt, & cum reſtituendi onere damnum famæ & detrimenta alia inde ſequuta, detegere id in loco, in quo ille ea de re non eſt infamatus: niſi rationabilis cauſa occurrat, ob quam ibi detegatur, neque aliis neque plus illis detegatur, quàm ea cauſa expoſcat. Si enim contrahere ille vellet matrimonium cum

aliqua, quæ id crimen aut eam maculam ignoraret, indeque detrimentum illi feminæ imminet, tunc ad vitandum damnum illius, quando alia via commodè non posset id impedire, detegi ea infamia idve vitium aut macula illi feminæ aut suis posset, quantum satis esset ad id damnum vitandum. Idem intellige in similibus aliis euentibus. Præcipuum, quod hac conclusione asserimus, affirmat *Sotus. 5. de iust. q. 10. art. 2.* neque video quenquam refragari. Nam *Caiet. in opusc. 17. respons. 9. resp.* quem Sotus in contrarium citat, solùm ait, crimen publicum detegi illud ignorantibus posse absque vitio detractionis, non exprimendo, num solùm in loco, in quo est publicum, an verò etiam in quocunque alio. Probari autem conclusio potest, quoniam is illæsam suã famam habet in loco, in quo non est infamatus, neque per sententiam publicam punitus in ea est detectione eius criminis, vt ab aliis sciatur in pœnam & confusionem illius, vt ea ratione illi agnoscatur & caueatur, cæteriq; timore similis pœnæ ac infamiæ in officio se contineant, simileq; quid non committant: ergo qui illum infamat, id detegendo in loco, in quo infamia non laborat, iniustitiam aduersus eum in eo committit, teneturque proinde illi restituere id famæ damnum, quod illi dat, cæteraque damna, si quæ inde fuerint vlteriùs sequuta. Qui ergo feminam, quæ infamia solùm laborat in familia, in qua est, quòd amores gerat, leuisque sit cum aliquo, illã de eodem crimine extra familiam in vicinia, aut alibi in eodem oppido, vel in alio infamat, sanè contra iustitiam aduersus eam peccat, illiq; tenetur restituere id famæ damnum, & si quæ alia inde vlteriùs sint illi sequuta, quia ea de causa nubere non potest, aut non æquè bene, neque cum eadem dote, sed cum longè maiori. Similiter, qui infamatum de aliquo vitio in aliquo solùm collegio aut cœnobio, illum de eodem vitio infamat extra id collegium aut cœnobium, iniustitiam vtique contra illum in eo committit, ad restitutionemq; damnorum illi similiter tenetur. Eodem modo, qui infamatum solùm in vicinia, de eadem re infamat extra vicinia, cõtra iustitiam aduersus eum peccat, damnaq; illi ea via data restituere ei tenetur. Neq; in his propositis exemplis, & in aliis similibus, ad accusandum à peccato & à restituendi onere eum, qui eo modo in alio loco infamat, sufficit, quòd si ipse id non detexisset in eo alio loco, alius de eadẽ domo, collegio, aut vicinia, idem similiter detexisset, (id quod videas multos in hac materia de læsione famæ & de onere eam restituendi fallere) quando enim per iniustitiam futura erat eadem læsio famæ, sanè quòd ita iniustè futura esset breui per alium, neque à restituendi onere eum excusat, qui anteuertit, eamque læsionem ipse infert. Vniuersim enim, quando damnum iniustè datur, quòd breui alius illud esset similiter daturus, neque à peccato neq; à restituendi onere eum excusat, qui anteuertit & illud dat: quoniam sicut ille alius, qui breui illud iniustè erat daturus, peccaret, restitueretq; illud teneretur, si illud iniustè daret, ita peccat, teneturque illud restituere, qui anteuertit, iniusteq; illud dat. Quando autem ex rationabili causa (vt ad obuiandũ scandalo, quod in audientibus generaretur) aliquis detegeret id peccatum occultum vt puniretur, quod erat in proximo vt cum A scandalo aliorum ante punitionem manifestaretur, tunc sicut non peccaret, qui ex rationabili causa id efficeret, ita neq; ad restitutionem famę ex eadem rationabili causa eo modo læsæ teneretur: atq; id est, quod *diuus Th. in. 4. dist. 19. q. 2. art. 3. ad. 2.* affirmat: quare perperam id diui Thomæ testimonium à quibusdam adducitur ad id confirmandum, quod proximè reiecimus atque impugnauimus. Quãdo item in proximo esset, vt delictum aliquod occultum iuridicè manifestaretur ac fieret publicũ, tunc non esset culpa lethalis anteuertere, illudq; manifestare, quando inde non aliud detrimentũ, quã famæ, sequeretur, moraliterq; esset certum breui fore iuridicè B manifestandum. Quoniam in eo, quòd paulo antea sciatur, modica iniuria fit ei, cuius est tale delictum occultum.

Quod de loco est dictũ, intelligendũ est etiam 2
suo modo de tempore. Si enim temporis lõginquitate abolita est infamia alicuius de aliquo delicto, de quo non fuit in iudicio damnatus, sanè susciture de nouo infamiã illam, temporis tractu iam abolitã, iniuria atq; iniustitia est in eum, qui temporis decursu recuperatã iam habebat suam famam, qua de causa peccatum in eum committitur cum restituendi onere damnum famæ, & si quod aliud sit inde vlteriùs illi sequutũ. Pro bono tamen communi licitum est in historiis de C licta publica referre, nihil impediente, quòd id obstaculo sit, ne fama temporis progressu recuperetur abolitione memoriæ illorũ, & quòd infamia eorum delictorum ad alia loca deferatur, maximè à tempore, quo historiæ typis mandari cõsueuerunt, & quòd ea ratione ad multo plures homines diffundatur: licitũ verò est id ob rationes, quas in calce Disp. 28 reddidimus. Id autem cõfirmat, quòd historiis sacris multa similia delicta narrantur, Spiritu sancto assistente, vt ita ab scriptoribus sacrorũ librorum id fieret. Neq; arbitror id factũ fuisse, Deo id dispensante, concedente, ac ordinante, tanquã domino famæ, vitæ, & bonorũ omnium, quasi autores literarum sa- D cratũ peccarent ea delicta in eis historiis narrando, nisi Deus ad id facultatẽ illis dedisset, idq; illis, vt ita illud efficerent, præscripsisset: quod tamen aliqui innuunt, sentireq; videtur: sed quòd id ex natura rei liceat in bonos fines, quorũ aliquot in calce Dis. 28 citatæ commemorauimus.

Potissima controuersia circa hanc Disputatio- 3
nem est, quando aliquis sentẽtia publica in loco aliquo damnatus est de aliquo delicto, nũ liceat illud manifestare in loco alio, in quo ille ea infamia non laborat. *Sotus. 5. de iust. q. 10. art. 2. & Ledesmius. 2. 4. q. 18. art. 2.* citant *Caietanum opusc. 17. resp. 9. resp.* pro parte affirmante. Caiet. tamen id clarè non dicit, sed solùm affirmat, delicta pu- E blica dici posse absq; murmurationis peccato, non explicãdo, vtrũ solùm liceat in loco, in quo sunt publica, an etiã in loco, in quo sunt occulta. In parte verò negante citat *Sotus Adrian. quodl. 11.* Eo tamen in loco ego id non reperio. Ledesmius verò citat *Adria. q. de rest. famæ*, quasi ibi affirmet, illicitũ id esse, indeq; consurgere obligationẽ restituendi famam. Ibi tamen expresè affirmat, non consurgere obligationẽ restituendi, sed solũ in eo interuenire peccatũ contra caritatẽ. Sotus loco citato censet, in eo nõ interuenire peccatũ contra iustitiã, ac proinde non inde cõsurgere obligationẽ restituendi. Quoniã, inquit,

ille

ille iure publicoq; præconio mulctatus est sua fama, atq; adeò cuiq; facta est facultas id scelus propalandi. Addit tamen interuenire peccatum contra caritatem, posseq; pertingere ad culpam lethalẽ, tunc potissimùm, quando ille eo modo infamatus emendatus iam esset, bonumq; nomen alibi recuperasset. Quibus verbis innuit, quamdiu sua emenda bonum nomen non recuperasset, non esse culpã lethalẽ eum de eodẽ crimine infamare in loco, in quo id crimen adhuc esset occultũ. Atq; consentit *Maior. in. 4. dist. 19. q. 2. in fine*, vbi ait, narrare in patria vnde aliquis est oriundus, eum in loco distanti punitũ fuisse ob aliquod delictũ, non esse peccatũ, estò id ignoraretur in eo loco natiuitatis illius: eandẽq; sententiam amplectitur *Nauar. c. inter verba. n. 842*. Ledesmius verò vbi suprà anceps est, an liceat, publicè in eo loco condemnatũ, diffamare de eodẽ crimine in alio loco, in quo non laborat infamia. Atq; in quo euentu interueniret culpa lethalis in eo infamando in alio loco, arbitratur oriri obligationẽ restituendi, quasi semper id sit peccatũ contra iustitiam, & nunquã sit cõtra solam caritatẽ. Et aduersus Sotũ sic licet argumentari: Vel in euentu, in quo affirmat interuenire peccatum contra solam caritatẽ infamãdo eum in loco, in quo non laborat infamia, qui publica sententia alibi est damnatus, facta est omnibus facultas in pænã delinquentis vt diffametur eo modo; vel non. Si detur hoc secundũ: ergo qui illum ita illicitè infamat, non solùm peccat contra caritatẽ, sed etiam cõtra iustitiã ita illum infamando: quippe cùm per eam sententiam non sit tributũ ius ita illum infamandi. Si verò detur primũ: cùm is, qui eo modo infamat, vtatur iure iustè à republica sibi tributo in pœnã delinquentis, sanè exequutio eius iuris non erit contra caritatem, sed præter caritatẽ eius proximi: quippe cùm id sit exequutio pœnæ iustæ facta ab eo, qui ad id ius à republica habet.

4 Vt inter tot opiniones dicã, quod sentio, secunda nostra conclusio. Non est peccatũ contra iustitiam, neq; contra caritatẽ, detegere vitium eius, qui de illo publica sententia condemnatus est in vno loco, in aliis, ad quæ ex eo loco est aliquod commerciũ. Vt detegere in India aut Romæ delictũ illius, qui in Lusitania damnatus est sententia publica: vel detegere in qualibet Lusitaniæ parte crimẽ illius, de quo ille Olyssiponẽ, aut etiã Euoræ, vel Conimbricæ, publica sententia fuit dãnatus, vel detegere in nouo orbe eum, qui Hispali, Madriti, aut in alia parte huius regni fuit damnatus, aut è contrario: vel detegere in qualibet huius regni parte eum, qui Madriti, Hispali, Salmãticæ, Valisoleti, Toleti, aut in alio simili oppido, ex quo ad alias huius regni partes esse solet nõ valde infrequens commerciũ, fuit publicè damnatus. In hac conclusione videntur consentire Caiet. Maior. Ledesmius, & Nauar. vbi suprà, ac alii. Probari autem potest, quoniam ad id publicè dãnatur ac punitur, vt delictũ illius in pœnã ac confusionem eiusdem sciatur, & vt ea tanta iactura famæ, quantã patitur, ipsum & reliquos id scientes cõtineat in officio, cohibeatq; à simili delicto patrando; qua de causa solẽt iudices eligere ad id dies, in quibus maior est frequentia, etiã exterorũ; & in tribunali Sanctę inquisitionis indici solemniter aliquot antè diebus solet dies, in quo futura est damnatio eorũ, qui ab eo Sancto tribunali dãnantur ac puniuntur, vt de finitimis aut etiã à remotis locis conueniant homines ad id spectaculum: ergo fas est notitiam eius delicti, ac pœnæ pro eo delicto inflictæ, deriuare ad loca, ad quæ inde est aliquod cõmercium: neq; id negat Sotus, quãdo in loco, in quo id ignoratur, non degit is, qui ita est damnatus, recuperata iã sua fama. Cõfirmatur, quoniam eo ipso, quòd publicè est quis punitus pro aliquo delicto, & productus in pœnã atq; in cõfusionẽ illius, vt id delictũ ab omnibus sciatur, videtur factum sufficienter publicum, vt notitia illius deferri licitè possit ad loca omnia eius reipublicæ, atq; etiam ad ea, ad quæ ex ea republica est cõmercium: imò verò id videtur esse intentũ reipublicæ eo modo punientis: graueq; esset iugum, maximè attenta fragilitate cõditionis humanæ, minimeq; rationabile ac æquum, producere aliquem eo modo in publicum, vt delictum illius in pœnam eiusdem & in exemplum aliorum sciatur, & continere linguas vniuersæ multitudinis, qui eam damnationem ac pœnã conspexerunt, ne in loca alia, in quibus id non scitur, notitia eius delicti ac pœnæ pro eo inflictæ deriuetur.

5 Tertia conclusio: Quando locus, in quo is degit, qui in alio publica sententia fuit punitus, adeò distat à loco, in quo ille laborat infamia, adeoque infrequens est commercium ab vno eorum locorum in alium, vt verisimile sit, eam infamiam ad eum locum non peruenturã, probabile iudicant *Nauar. c. inter verba. n. 847.* & Ledesmius vbi suprà, culpam esse lethalem cum restituendi onere, detegere ibi peccatum id illius, tametsi contrarium non iudicent etiam improbabile. Ac certè, quando fama delinquentis simul fuisset cum delicto condemnata, vt cõdemnatur in crimine hæreseos ac læsę maiestatis humanæ, in quibus etiam in pœnã & odiũ tanti delicti descẽdentes aliqui innocentes cõdemnantur infamia, nõ auderẽ cõdemnare culpæ lethalis eum, qui crimen detegeret in loco distantissimo, ad quẽ non crederetur infamiam alia via deuenturam, & multo minùs auderẽ illi iniungere onus restituendi. Ducor, quoniã qui id ita detegit, vtitur iure à republica cõcesso in pœnã iustã, atq; in odiũ tanti delicti, vt plus homines ab eo patrãdo caueant. Quando verò nõ directè damnatur fama delinquentis, vt quando aliquis publicè ob aliquod suum crimen flagellatur, & in aliis similibus euentibus, non caret probabilitate opinio Nauarri & Ledesmii, maximè si ille alibi infamatus mores mutasset, creuissetq; in reputatione. Non tamen adeò firmus sum in ea sententia, vt auderem iniungere in eo euentu onus restituendi famã & alia damna, si quæ inde vlteriùs essent sequuta. Tum quia eo ipso, quòd quis est publicè damnatus & punitus de aliquo crimine, videtur in pœnam eius criminis concessum diffundere eam notitiam in aliquos absque exceptione aliqua. Tum etiam quoniam in dubio, an ex ea detectione quis teneatur ad restitutionem famæ, melior est conditio possidentis sua omnia bona, vt eam restituere non teneatur, id subeundo onus.

6 Quarta conclusio: Quando crimẽ aliquod solũ est ita notoriũ iuris notorietate, quòd nondũ lata est sententia, qua delinquẽs publicè de eo dãnetur, nefas est illud detegere in loco, in quo is delinquens

linquens non laborat infamia. Vt ſi aliquis faſ-
ſus eſt iam crimen ſuum in iudicio, ita vt ferri ad-
uerſus ipſum iam poſſit ſententia condemnato-
ria, vel in iudicio eſt iam id crimen aduerſus il-
lum legitimè ac plenè probatum, ſed nondum
lata eſt aduerſus eum ſententia, nefas tunc eſt il-
lud detegere in loco, in quo is delinquēs non la-
borat infamia. Probatur concluſio. Quoniam
delinquens adhuc in eo loco habet ſuam famam
illæſam, necdum q; in pœnam delictum illius eſt
effectum publicum: ergo nefas eſt priuatis ante
condemnatoriam ſententiam lacerare in eo lo-
co famam illius, quaſi pœnam eius criminis exe-
quendo, eaq; facultate vtendo, quæ virtute da-
tur priuatis per ſententiam publicā diffundendi
notitiam in alios criminis publicè condemnati.
Imò addo, neque in ciuitate, in qua aliquis præ-
dicto modo faſſus eſt in iudicio ſuum crimen, aut
eſt illi plenè probatum, fas eſt detegere crimen
illud, niſi ſimul idem crimen alia via ſit ibi pu-
blicum, vt quia laborat iam infamia circa illud,
vt regulariter laborare ea ſolet. Ratio autem eſt,
quoniam illis duobus modis dicitur id crimen
notorium iuris notorietate, ad effectum vt ferri
poſſit ſententia condemnatoria: non verò dici-
tur eſſe notorium populo, vt is delinquens amiſ-
ſam apud populum habeat famam. Atq; in hoc
conſentit Caiet. in reſp. 9 citata, dum ait, per ac-
cidens poſſe impediri à iudice exequutionē pu-
blicationis eius criminis, qua ſimpliciter ſit iam
notorium. Quando verò moraliter eſſet certū,
paulo pòſt eſſe ferendam ſententiam, tunc abſ-
que culpa lethali manifeſtaretur id crimen, non
ſolùm in populo, in quo ferenda eſt ea ſenten-
tia, ſed etiam in diſtanti, in quo licitè poſt latam
ſententiam poſſet publicari. Ratio autem eſt,
quoniam præuentio illa publicationis criminis
illius ante latam ſententiam in modicum præ-
iudicium rei cederet, vt ſuprà eſt dictum.

7 Quinta concluſio: Quando crimen aliquod
damnatur ac punitur publica quidem autorita-
te, ſed vt notitia eius condemnationis ac crimi-
nis limites aliquos nō egrediatur, tunc culpa eſt
lethalis pro quantitate infamiæ, cum reſtituen-
di onere, eam notitiam & infamiam vltra eos fi-
nes extendere. Exemplum eſt in religionibus, in
quibus peccata religioſorum regulariter pu-
niuntur, vt notitia intra limites religionis con-
tineatur: tunc enim ſi alia via extra religionem
non ſunt publica, culpa eſt lethalis extra religio-
nem illa detegere, eſtò in religione publica ſint
facti ac iuris notorietate quacunque. Vtrùm au-
tem licitum ſit ea detegere in alio cœnobio eiuſ-
dem religionis ac prouinciæ? Non auderem id
condemnare culpæ lethalis, quādo notoria ſunt
iuris notorietate per ſententiam publicam: quo-
niam quaſi vna reſpublica ad finem ſpiritualem
inſtituti eius religionis reputantur cœnobia o-
mnia eiuſdem prouinciæ, eſtq; veluti commer-
cium mutuum ex vno cœnobio in aliud. Qui ta-
men timorati ac interiores religioſi ſunt, ſeriò
perfectionem ſectantes, Deoq; ſeriò placere cu-
pientes, neſcio quam ſpiritus contritionem ac
tepiditatem ſentiunt in eiuſmodi rebus abſque
fructu audiendis, & multo magis in eis narran-
dis, nec ſedantur, niſi de eiuſmodi rebus confi-
teantur. Quando verò aliquid eſſet notorium
facti notorietate, tam in religione quàm extra
illam, tunc abſque culpa lethali narratur exter-
A nis, & aliis religioſis, vt quòd aliquis egreſſus
aut expulſus ſit à religione. Quando verò aliquis
religionem egrederetur, continuoq; regrede-
retur; tunc, ſi id eſſet occultum in eodem cæno-
bio, culpa eſſet lethalis id in eo cœnobio aliis
detegere. Si verò eſſet publicum in eo cœnobio,
ſed occultum in cæteris eiuſdem prouinciæ, cul-
pam reputarem etiam lethalem id reuelare in
aliquo alio cœnobio, in quo eſſet occultum.

Sexta concluſio: Quando nota aliqua generis, 8
quæ non modicum infamaret, ineptioremque
redderet illa laborantem ad honores, ad munia
publica, & ad alia eiuſmodi, eſſet occulta, vt oc-
cultum diſtinguitur à publico, neq; reſultaret ex
B ſententia publica, qua aliquis anteceſſorū dam-
natus eſſet de crimine, ob quod ea nota & infa-
mia, *ita vt in pœnam contingeret ea laborantem*, in
pœnam redundaret & contingeret deſcēdentes,
tunc idem videtur dicendum de ea nota, quod
de crimine non publico, cuius notitia notabili-
ter famam lęderet, culpam ſcilicet eſſe lethalem,
ſine rationabili cauſa illam detegere, quando
culpa eſſet lethalis crimen illud aliud ſine ratio-
nabili cauſa detegere. Etenim is, de quo ea ma-
C cula detegeretur, abſque vlla eſt culpa, neque in
pœnam iuſtam illa laborat, neq; eſt cur eius fa-
ma iuſtè tunc ea in parte lædatur. Quando au-
tem is aliquid prætenderet, à quo ea macula il-
lum excluderet, admonendus eſſet vt ab eo de-
ſiſteret, ſi id commodè fieri poſſet: quòd ſi deſi-
ſtere non vellet, detegi poteſt ac debet, quanta
cum minori illius iactura id fieri poſſit.

Audiens ac tolerans detrahentem an lethaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur. Diſp. 34.

SVMMARIVM.

1. *QVi cauſa eſt detractionis, qua alius de quo-
dam tertio detrahit, eam conſulendo, vel
ad eam excitando, vel quouis alio modo ad eam
influendo, lethaliter peccat, ſi detractio pertingat
ad culpam lethalem.*
2. *Qui non eſt cauſa quidem detractionis, cæterùm
in ea delectatur, quamuis ad reſtitutionem non
teneatur, peccat lethaliter, ſi detractio ſit de cul-
pa lethali.*
3. *At qui ſeſe detrahenti non opponit, detractionem
impediendo, licèt non ſit cauſa, neque in eam con-
ſentit, peccat dupliciter, primò non impediendo
peccatum detrahentis, ſecundò non impediendo
damnum famæ proximi.*
4. *Prælati detrahentium, quoniam tenentur ſuos
ſubditos corrigere, facilius culpam incurrunt le-
thalem, ſi ſubditos ſuos lethaliter detrahentes non
cohibeant.*
5. *Prælatus non prohibens lethalem detractionem
ſubditi ſui peccat lethaliter, & tenetur ad reſtitu-
tionem damni, in defectum eius qui tanquam
cauſa magis principalis illud dedit; eo quòd ex
officio tenetur etiam ab eo damno ſubditum pro-
tegere, ſi poſſet.*
6. *Vt verò quis peccet lethaliter non ſe opponendo de-
tractioni, tria requiruntur: primum, vt damnum
famæ aut in re alia, quod ex tali detractione im-
minet, ſit notabile: ſecundū, vt ſit ſpes illud vitan-
di: tertiū vt ſine graui ſuo damno poſſit illud impe-
dire, attenta qualitate damni, quod ex detractio-
ne imminet.*

Exami-

EXaminandum consequenter est, nũ audiens & tolerans detrahentem famæ alienæ peccet, restituere req; teneatur. Atq;, quòd nõ peccet, suaderi potest, quoniã nullus tenetur plus tueri famam alterius, quàm suam propriã: sed potest quiuis sine peccato tolerare eum; qui ipsius famæ detrahit, iuxta illud Greg. Homil. 9 in Ezechielem: *Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum accrescat:* ergo poterit etiam absque peccato tolerare eum, qui alienæ detrahit famæ.

1 De hac re prima conclusio est. Qui causa est detractionis, qua alius de quodã tertio detrahit, eam detractionem consulendo, vel quouis alio modo ad eam excitando, vt sciscitando quidde illo tertio dicatur, aut ostendendo sibi gratum fore, vt quæ ad infamiam illius spectant, sibi reuelentur, & ita ad eam detractionem alliciendo ac mouendo, vel quouis alio modo ad eam influendo, lethaliter peccat, si detractio talis sit, quæ, iuxta dicta Disputationibus præcedẽtibus, ad culpam pertingat lethalem, teneturq; ad restitutionem dãmni ea detractione dati. Prior pars huius conclusionis probatur, quoniam qui concausa est culpæ lethalis, lethaliter peccat: cũ non solùm in id peccatum consentiat, sed etiam in illud influat; & digni sint morte, nõ solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, vt habetur ad Rom. 1. Confirmatur, quoniã hic non solùm peccat lethaliter influendo iniustè in læsionem famæ proximi, sed etiam scandalizando eum, qui iniustè illo modo detrahit, eum incitando ad id peccatum. Quo fit, vt duplici peccato lethali peccet: vno cõtra iustitiam in eum, cuius famæ iniustè detrahitur: & altero contra caritatem in eum, quem ad detrahendum mouet: qua de causa grauius illo peccat. Obserua tamen, si quis inuincibiliter crederet, detractionem, ad quam mouet, futuram non fore adeò grauem, vt ad culpam pertingeret lethalem, atque, præter suam spem, qui ab eo fuit incitatus, in detractionem prorumperet lethalem, tunc non peccaret lethaliter, excusante illum ab eo incremento culpæ ignorantia inuincibili seu probabili, & per consequens nec teneretur ad restitutionem sub culpa lethali: quoniam nõ teneretur ad restitutionem eius partis famæ, quæ præter suam spẽ esset læsa, excusante similiter eũ à restitutione illius eadem ignorãtia probabili.

Posterior verò conclusionis pars ex eo probatur, quoniam concausa iniusta damni dati ad restitutionem illius teneretur, consentiuntq; in ea *Adrian. quodl. 11. q. 2. Nauar. c. inter verba a n. 541. & in Manu. c. 28. n. 37. Sotus. 5. de iust. q. 10. art. 4.* & doctores communiter. Si tamen detractionem non imperauit, sed solùm ad eam consilio aut alia ratione incitauit absq; incitati fraude, solũ tenetur ad restitutionem in eius defectũ, qui detraxit, iuxta ea quæ tractatu 2 à Disp. 729 dicta sunt: vnde illo restituente, ipse ad nullam restitutionem tenetur. Si verò detractionem imperauit, aut fraude detrahentem ad detrahendum induxit, ipse tenetur principaliter ad restitutionẽ, & detrahens solùm tenetur in defectum illius, iuxta ea quæ ibidem dicta etiam sunt.

2 Secunda conclusio. Qui detractionis non est causa, cæterũ de illa delectatur, in ea complacẽdo quatenus proximo ea detrahitur, quamuis ad restitutionẽ non teneatur, peccat tamẽ lethaliter, si detractio talis sit, quæ, iuxta dicta disputationibus præcedentibus, ad culpam pertingat lethalem. Quòd ad restitutionẽ non teneatur, ex eo liquet, quòd ipse non sit causa damni, eaque ratione solũ contra caritatẽ peccet: non secùs atque qui gaudet, furtum proximo fieri, si in illud nõ influat ad illud modo aliquo cooperãdo, solùm peccat contra caritatem, nec ad restitutionem tenetur. Quòd verò ille lethaliter peccet, ex eo probatur, quòd consensus in lethale peccatũ, in lethaleq; obiectum, culpa sit lethalis, iuxta illud ad Rom. 1: *Digni sunt morte, qui consentiunt facientibus.* Dixi, si de illa delectetur, in ea complacendo quatenus proximo ea detrahitur: quoniam si solùm complaceat de facetia detractionis, aut quia gaudet audire ac scire illa, quæ dicuntur, nolendo proximi damnũ, sanè sic complacere non est complacere in peccato & obiecto lethali, neque lethaliter is peccauit, nisi in euentibus, quos sequens conclusio explicabit.

3 Tertia conclusio: Qui neq; detractionis est concausa, neq; in eã consentit, modo præcedẽte conclusione explicato, si detrahenti non se opponat, detractionẽ impediẽdo, duplici ex capite incurrere potest peccatũ. Vno, quatenus impedire potest peccatũ detrahẽtis, nec illud impedit. Altero verò, quatenus impedire potest damnũ famæ eius proximi, cui detrahitur, vel quodcũque aliud mortis aut alterius mali, quod inde sit natũ vlteriùs sequi, vel ei, de quo detrahitur, vel ipsimet detrahenti, aut cuipiam alteri, nec illud impedit. Et quidẽ ex primo capite, vt audiẽs detractionẽ, illamq; non impediẽs, lethaliter peccet, tria necessaria sunt: Primũ est, detractionẽ culpam esse lethalẽ in detrahente. Peccata quippe venialia impedire non tenemur sub culpa lethali. Secundum est, quòd se opponendo detractioni, admonendo aut reprehendendo detrahentẽ, vel alia ratione illã impedire conando, sit spes, quòd detrahentẽ continebit ac præseruabit ab peccato lethali. Tertium verò, quòd id cõmodè possit efficere sine graui suo detrimento, attenta quãtitate spei, quæ est, ea via præseruandũ illum fore à culpa lethali, iuxta ea quæ in hac 2. 2. in materia de correctione fraterna explanata à nobis sunt. Et quoniam tria hæc rarò concurrunt simul, rarò etiam personę priuatæ ex eo capite peccant lethaliter se non opponendo detractioni, eamque non conando impedire, vt *diuus Th. 2. 2. q. 73. art. 4. Sotus. q. 10. citata, art. 4.* & alii doctores meritò affirmant.

4 Prælati verò detrahentium, quoniã ex officio tenẽtur corrigere suos subditos, illosq; à peccatis cohibere, maioreq; autoritatẽ apud suos subditos habẽt, quã alii, vt eos tunc cõtineant, desistereq; à peccato efficiant, cautioresq; in futurũ reddãt, faciliùs culpã incurrent lethalẽ, si subditos suos lethaliter detrahẽtes nõ cohibeãt ac reprehẽdant. Adeò verò collapsa esse poterit disciplina regularis in cænobio aliquo, & tã parũ aliqui esse poterũt subditi prælato, correctionique illius, ob mores collapsos, & insolentiã toleratã multorum, vt à culpa lethali excusetur prælatus, qui aliquos viderit lethaliter detrahẽtes, nec se detractioni opposuerit, meritò timens, se nihil profuturũ, maioraq; mala fore inde sequenda. Quando autem maiora mala non timerentur, & maximè si spes esset se profuturum, teneretur sub

ſub culpa lethali ſe opponere detractioni, ſubditoſq; ſuos lethaliter detrahentes reprehendere.

5 Vtrùm autẽ prælatus, qui cohibere poteſt detractionem lethalem ſui ſubditi, ſi illã non cohibeat ac impediat, nõ ſolùm peccet lethaliter, ſed etiam reſtituere teneatur damnũ famæ, & ſi quę alia damna vlteriùs ex ea ſui ſubditi detractione ſint ſequuta. Perſpicuum eſt, eſtò diceremus teneri, eum tamen non teneri niſi in defectũ ſubditi, qui id damnum ſua detractione dedit: quippe cùm ſubditus, & non prælatus, prę cipua cauſa fuerit eius damni: quare, ſi efficeret ſubditũ ſatisfacere, aut ſubditus ſuo proprio motu ſatisfeciſſet, vel obtinuiſſet remiſſionẽ ſatisfactionis: tunc prælatus liber ab onere reſtituẽdi maneat. Quãdo is, cui detrahitur, eſſet etiã ſubditus eiuſdem prælati vnà cũ detractore, Sotus art. 4. citato ait, neq; tunc prælatũ teneri illi reſtituere damnum in fama, aut vlteriùs in re alia illi ex ea detractione ſequutũ, eſtò potuerit illud impedire, nec impediuerit: quoniã, inquit, nõ tanta iuſtitia tenetur prelatus ſuos ſubditos protegere à damno in fama & in aliis rebus: quia cura prælati eſt cauere ne ſubditi peccent. Mihi verò contraria ſententia longè verior cũ aliis videtur, illũ ſcilicet de rigore iuſtitiæ teneri illi reſtituere id damnũ, in defectũ eius, qui tanquã cauſa magis principalis illud dedit: eo quòd ex officio atq; adeò de iuſtitia teneatur etiam ab eo damno ſubditũ ſuum protegere, ſi poſsit: quandoquidẽ non ſolùm eſt rector ſuorũ ſubditorum, ſed iudex & cuſtos, qui impedire ex ſuo munere, ac proinde ex iuſtitia, tenetur damna omnia ſuorum ſubditorũ: vnde quemadmodum poſtquam id damnũ iniuſtè eſt illi illatũ, tenetur de iuſtitia cogere alium ſuum ſubditũ, vt illud reſarciat, ſi coram ipſo ea de re contendatur, & is ſubditus poſsit illud reſarcire: ita antequã inferatur, ſi poſsit illud impedire ne iniuſtè ei inferatur, non ſolùm à ſuo ſubdito, ſed etiam ab extraneo, neq; id efficiat, cõtra iuſtitiã peccat cũ reſtituẽdi onere ex natura ipſa rei. Et idem dicerẽ de iudice ſeculari, qui poſsit impedire damnũ iniuſtũ in fama ſibi ſubdito, neq; illud impediret: quoniã princeps & miniſtri eius ad id deputati defendere ex officio tenentur ſibi ſubditos ac protegere eos ab omnibus dãnis, etiam honoris & famæ, ſi poſsint: ſicut etiam tenentur eis ius dicere, etiam quo ad ea damna iniuſtè ab aliis eis illata, ſi coram ipſis iniuriarum actione, atq; vt ipſis ea damna reſarciantur, contendatur ac petatur. Quando autem ſubditus damnum in fama extraneo iniuſtè inferret, non video prælatum aut iudicem peccare contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra caritatem, non impediendo, cùm poſſet, ne ſibi ſubditus id damnum extraneo inferret: quoniam non tenetur ipſe ex ſuo munere ſeu de iuſtitia extraneo id impedire: tametſi, tanquam iudex ſibi ſubditi, teneatur ad petitionem alterius, ius illi dicere, cogendo ſubditum ſuum reſarcire damnum extraneo iniuſtè illatum, eumque etiam punire pro quantitate culpæ in alterum commiſſæ.

Priuati ſi attenderẽt, vel prę ſe ferendo moleſtè ferre audire detractionẽ lethalem, vel facetia aliqua detractioni illi ſe opponendo, vel aliter diuertendo ſermonẽ ad alia, vel ſuo diſceſſu, aut aliqua alia ratione, ſe poſſe ſine graui ſuo incommodo efficere, vt detrahens à culpa deſiſteret lethali, neq; ea occaſione eſſe ſequendũ, vt detrahens in grauius peccatum iræ, ſeu odii, vel alterius ſimilis laberetur, tenerentur ſub culpa lethali id efficere; quoniam vnuſquiſq; ſub lethali culpa tenetur impedire peccata lethalia ſui proximi, ſi commodè poſſit id efficere: eo quòd vnicuiq; Deus mandauerit de proximo ſuo. Atque hæc de primo è duobus capitibus, ex quibus cõcluſione tertia eſt dictum, aliquẽ peccare poſſe non ſe opponẽdo detractioni, eamq; impedire non conando: tametſi explicando obligationem peculiarem prælati & aliarum poteſtatũ publicarum, nõ nihil de ſecundo capite miſcuerimus, quod ad illos eoſdem attinet, vt de illis in particulari ſermo quo ad ſecundũ caput non rediret.

B Vt verò ex ſecundo capite peccet quis lethaliter non ſe opponendo detractioni, eamq; impedire nõ conando, tria etiam neceſſaria ſunt. Primũ eſt, vt damnũ famę, aut in re alia, quod ex tali detractione imminet, ſit notabile. Quãdo enim eſt leue, ſicut nõ eſſet culpa lethalis illud efficere, ita lõgè maiori cũ ratione nõ erit culpa lethalis illud nõ impedire. Imò verò cũ longè grauius ſit illud iniuſtè efficere, quã illud ex caritate nõ impedire, maior latitudo dãni requiritur, vt illud ex caritate nõ impediẽs lethaliter peccet, quã requiraturvt illud iniuſtè efficiẽs peccet lethaliter. 6

Secundum eſt, vt ſit ſpes illud vitandi. Et quidẽ ſi detractio eſſet falſa, etiam poſt detractionem C conſummatam, & poſt damnum ea illatum, vitari ſeu aboleri poſſet oſtendendo falſitatem detractionis. Si verò eſſet vera, cùm, iuxta ſcripturę admonitionem Eccleſiaſtici 4, verbum veritatis contradicendum non ſit vllo modo, poſt illam conſummatam damnumq; ea illatũ depelli non poſſet, niſi fortè apparentibus aliquibus rationibus eum excuſando, de quo ſit detractũ. Ante detractionem autem inceptam aut conſummatam præueniri poſſet ne damnum daretur, aut impediri ne augeretur.

Tertium eſt, vt ſine graui ſuo damno ac moleſtia poſsit illud impedire, attenta qualitate dãni, quod ex detractione imminet. Sotus. ar. 4. citato D propter hoc tertium requiſitũ excuſat, etiam à culpa veniali, eos, qui ſine magna ſua verecũdia opponere ſe non poſſunt detractioni lethali alicuius. Vt ſi (inquit) qui detrahit, ſit perſona valde illuſtris: & qui ſe opponere deberet, eſſet famulus illius, aut perſona alia abiecta, quæ coram illo mutire non auderet: neq; enim tenetur ſuccurrere eo modo famæ proximi, aut ſpirituali detrahẽtis ſaluti, cũ tãta ſua rationabili moleſtia. Adde, ex tali oppoſitione regulariter nõ ſperari fructũ, ſed potiùs timeri poſſe accẽdẽdũ ira fore detrahentẽ, maioraq; mala eſſe ſequẽda: eaq; de cauſa regulariter excuſari homines, etiã à culpa veniali, nõ ſe opponẽdo detractioni nec conãdo E illã impedire. Si tamen aliquis in ſimili aliqua euentu veriſimiliter crederet ex ſua oppoſitione detractioni lethali alterius fructũ eſſe ſequendũ, reſq; eſſet grauior, arbitror ſub lethali culpa teneretur ſe opponere, nihil impediente propria verecundia, quæ, ſuppoſitis his circumſtantiis concurrentibus, eſſet tunc irrationabilis. Quòd ſi ſpes eſſet vitandi mortem corporalem alicuius ſe ita opponendo, aut ſimile aliud graue damnum, nullus ſanè iure poterit dubitare, famulum ſub reatu culpæ lethalis teneri ſe opponere illuſtriſsimo cuique, etiam quando non admodum magna eſſet ſpes illud ea via vitandi,

modò

modò tamen inde non aliud damnum timeret, sed solùm ageremus de superanda ea verecundia in eum finem.

Concurrentibus itaq; simul tribus, quæ commemorata & explorata sunt, quiuis sub culpa lethali tenetur se opponere ac conari impedire detractionē. Sicut enim quiuis sub culpa lethali impedire tenetur damnum proximi externarū diuitiarum, si commodè possit: ita maiori cum ratione tenetur impedire damnum famæ, quod deterius ex suo genere est, quàm bonum diuitiarum. Aliquo verò illorū trium deficiente, non tenetur quis sub culpa lethali se opponere detractioni: & quia rarò tria illa simul cōcurrunt, diuus Th. art. 4. citato & doctores communiter affirmant, rarò in eo interuenire culpā lethalē, quòd priuata persona detractioni non se opponat. Prælatus verò & alii, quibus ex officio incumbit impedire damna, etiā honoris & famæ, sibi subditorum, arctiùs ad id tenentur, & quousque ad restitutionem eorum damnorum teneantur, si, cùm possint, ea non impediant, paulo antea fuit explicatum.

Illud admonuerim, si is, qui se opponendo detractioni tenetur, simul posset impedire spirituale damnū detrahentis, & damnū eius, de quo detrahitur, sanè si ad vtrumq;, iuxta ea quæ dicta sunt, sub culpa lethali teneatur, duplex lethale peccatū ea omissione incurrere, vnū non subueniendo saluti spirituali detrahentis, & alterum non subueniendo dāno eius, de quo detrahitur. Idemq; est si in eodē euētu cōplaceret in detractione in euētu secundæ cōclusionis propositæ.

Quia ergo, qui detractiones audit, periculis hactenus explicatis est expositus, meritò Hieronymus ad Nepotianum ait: *Caue, ne aut linguam habeas aut aures pruriētes, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios detrahentes audias.* Quia ité sæpe grauiùs peccat, qui detractiones audit, quàm qui detrahit, vt in euentu primæ conclusionis, aut etiam in euentu secundę, si audiens ex maiori odio cōplaceat in proximi detractione, quàm sit voluntas nocendi eius, qui detrahit, ait etiam Bernardus 2 de consideratione ad Eugenium: *Detrahere aut detrahentem audire, qui horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Ac sanè, quando audiens detractiones, aliter eas impedire aut declinare nō valet, sanum consilium est, molestiam ac tristitiā præ se ferre illas audiendo: quoniam, vt Prouer. 25 habetur: *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Atq; semper, estò ad præsens emenda non speretur, (modò tamen inde maius malum non timeatur) satius est se opponere detractioni, vrbanè saltem facetia aliqua detrahentem reprehendendo, vel certè tristitia vultus, aut declinando in alium locū, ostendendo detractionem non placere, quàm nihil horum præstare. Inde enim fiet, vt vitium hoc vires paulatim amittat, & vt plures illud fugiant.

Ad argumentum initio Disputationis propositum neganda est maior. Quamuis enim vnusquisq; ordine caritatis præponere, cæteris paribus, optimè possit famam suam famæ proximi sui, quando non potest vtramq; simul seruare; nihilominus extra hunc euentum arctiùs tenetur seruare famam proximi sui, quàm suam propriam: quoniam cedere potest iuri suo, nō subueniēdo suæ propriæ famæ, atq; si id ex rationabili causa efficiat, nullum in eo interuenit peccatum: at verò cedere nō potest iuri alterius, quod habet, vt quiuis ex caritate teneatur ei subuenire ac impedire damnum, quod ei iniustè paratur, si commodè sine suo notabili detrimento id efficere possit.

Quousque autem fas sit aut non sit ferre nobis detrahentes, & quando consilium sit eos ferre, quando non item, legenda sunt quæ Disp. 20 dicta sunt: quæ enim ibi circa contumeliam dicta sunt, locum etiam circa detractionem similiter habent, neque est necesse illa repetere.

De famæ detractione famosis libellis. Disp. 35.

SVMMARIVM.

1. *DEtrahere alicui per litteras priuatas aliud est, quàm detrahere libellis famosis.*
2. *Quid sit libellus famosus: sub eo comprehenduntur schedulæ, quæ de aliquo crimine occulto ad iudicem deferuntur.*
3. *Si de sinistra intentione infamandi aliquem per schedulas sine causa constet, & de illarum autore, tunc ille puniendus est pœna libellū infamatorium conficientis. Si verò constet schedulas non animo infamandi esse oblatas, sed vt crimen verè commissum detegatur, tunc ille puniendus erit non quidem quod eas obtulerit, sed quòd non plenè & apertè denuntiauerit.*
4. *Ad crimen libelli infamatorii etiam pertinet canere composita aut referre illa, quæ in infamiam alicuius composita sunt: etiam quando signum aliquod apponitur, quo aliquid infamatorium significatur.*
5. *Qui in culpam famosi libelli incidit, culpam contra iustitiam incurrit lethalem, si infamia, quæ inde sequitur, erat grauis.*
6. *Qui libellum illum composuit aut edidit, restituere tenetur famæ læsionem inde sequutam.*

DE læsione famæ iniusta, quæ facto, vt à signo distinguitur, fit, satis sunt, quæ Disp. 25 diximus. Et de restitutione, quæ ob eam iniustā famæ læsionem fieri debet, infrà suo loco erit sermo. Nunc verò prosequendo iniustam famæ læsionem, quæ signis fit, peculiariter est dicendum de famosis libellis.

1 Atq; quando literis priuatis, vt epistola ad priuatum aliquē missa, ita detraheretur de fama alicuius, vt ea scriptura edenda non esset, sed perinde detractio ea epistola aut chirographo facta haberet, ac si idem voce dictum significatumq; ei esset, ad quē ea epistola ísve chirographus esset missus, tunc sanè ea detractio literis facta rationem libelli famosi non haberet: neq; est cur peculiariter de illa loquamur, sed cū detractione, de qua hactenus loquuti sumus, est computāda.

2 Libellus autem famosus est scriptura, siue carmine siue soluta oratione scripta, quę infamiam alicuius continet, nondum antea alioquin publicam, (quando enim res, quā ea scriptura continet, iam erat publica, non habet rationem libelli infamatorii) vt edatur publicaq; fiat, siue res ad affectū perducatur siue non, sed exposita vt in notitiam aliorū breui aut paulatim veniat, laceretur ab aliquo, vel exuratur, aliáve ratione impediatur rē illam, siue in se falsam siue verā, in notitiam aliorū venire. Nomē libelli inde eiusmodi infamatoriis scriptis fuit impositū, quòd ea scripta

scripta esse soleant parui libelli. Siue autẽ eiusmodi scriptura tanta sit, vt libellus dici possit, siue non, si infamiam continet, vt diuulgetur, notaque ea via fiat, rationem retinet libelli infamatorii, de quo nunc loquimur. Neque enim est necesse, vt, à quo nomen est impositum, omnibus conueniat, quæ eo nomine significantur.

Libelli etiam famosi censentur schedulæ, quę de aliquo crimine occulto ad iudicẽ vel ad prælatum deferuntur, vt pro munere suo de sibi subdito circa id crimen inquirat, ita vt non sciatur quis eas schedulas mittat, vel quando eiusmodi schedulæ ei apponuntur supra mensam, aut in alio loco, vbi eas reperiat ac legat, etiã si in eis cõtineatur, quinã de ea re sciant ac testificari possint: quia enim eiusmodi schedulæ ordinantur, vt is iudex aut prælatus de eo crimine & malefactore inquirat, illudq; publicũ efficiat notorietate iuris sufficiente ad illud puniendũ, atq; vt illud puniat, tales schedulæ censentur libelli famosi, quando ex illis iuridicè procedere nõ potest iudex ad inquisitionẽ, vt regulariter procedere nõ potest, vetãte id iuris dispositione. Atq; de eiusmodi schedulis & libellis videtur esse sermo *c. inquisitionis. §. tertiæ, de accusationib.* quo in loco famosi libelli nuncupãtur, & præcipitur vt ex eis schedulis ac libellis famosis non procedatur ad inquisitionẽ, estò, qui illas obtulerunt, petant vt ad inquisitionẽ procedatur, nõ detegẽdo qui sint, qui id petant, & qui eas schedulas offerant. Consentiunt *l. vnica. à §. sanè. C. de famos. libelli. l. 3. titu. 9. par. 7.* & affirmat *Greg. Lop. ibi glossa penul.* Quin obserua, de iure canonico, vt tractatu sequẽti videbimus, estò qui eiusmodi schedulas offerrent, se ipsos proderẽt, eas per se ipsos & tanquã suas offerendo iudici aut prælato, atq; petendo vt procederet ex suo officio ad inquisitionẽ & punitionẽ eius rei, sanè quando crimen non esset in perniciẽ publicã, & de eo delinquẽs non laboraret infamia, procedere nõ posset ad inquisitionẽ de eo crimine, ad illudq; via inquisitionis puniendũ, estò in eis schedulis duo aut tres testes oculati, qui id scirent, nominarentur, vt ex illo eodẽ capite & ex aliis iuribus constat, tractatuq; sequenti dicetur. Et fortè in hoc etiã euentu loquitur §. tertiæ citatũ. Quando autem crimen esset in perniciem publicã, vt si esset crimen hæreseos, aut læsæ maiestatis humanæ, aut ex illo immineret alicui subdito magnũ malũ, vt si illi pararetur mors iniusta, aut aliud graue dãnum, tunc quando offerrẽtur eiusmodi schedulæ, ita vt non cõstaret, cuius essent, certè neq; iudex credulus nimis esse debet, neq; procedere potest ad inquisitionẽ publicã, neq; ita ad occultam, vt infamia aliqua ei sequatur, de quo id crimen in schedula dicitur, neq; itẽ segnis esse debet, quando verisimilitudo aliqua est rẽ ita habere, timórve ne fortè id ita sit, vt aliquid sine præiudicio famæ denũciati, quoad fieri poterit, inquirat, vigilãtiorq; circa id sit, vt peccata, quæ in perniciẽ publicã sunt, detegat ac puniat, & vt periculo & dãno aliorũ iniusto subueniat, impediatq; ne id illis eueniat. Dum autẽ in Lusitania commorarer, ad quoddã cænobium delata fuit schedula quædã, sine nomine cuius ea esset: atq; qui illã ianitori tradidit, continuò disparuit: in ea verò continebatur, vt inquisitoribus significaretur, quosdẽ de fide suspectos, cõtra prohibitionẽ tunc eis factã, parare fugere de eo regno cum omnibus suis bonis, & quinã essent, qui id scirent, ac testificari possent. Significatũ autem fuit cuidã inquisitori, eam schedulã ad id cænobium delatã esse, vt videret si quid fortè circa id facto esset opus. Ductus verò ille dispositione illa iuriũ, quę paulo antea citauimus, reprehẽdit vllã eis schedulæ, tanquã quæ libelli infamatorii rationẽ haberet, habitã fuisse rationẽ, accessisseq; ad notitiã eius schedulæ ita allatæ illi dãdam, non solùm in eo euentu, sed etiã in quocunq; alio ad fidẽ attinente. Ego autem miratus aliquantulum ea de re fui, nec dubito ex sinistra intentione eorũ iurium eam illius responsionẽ emanasse. Licèt enim quando crimen esset tale, ad cuius inquisitionẽ procedi nõ possit, nisi præcedente infamia ea de re delinquentis, verũ sit, quod ille dixit: in criminibus tamẽ, in quibus ex indiciis quibuscunq; procedi potest ac debet, si nõ ad publicã inquisitionẽ, & ad infamandũ homines, certè ad occultã aliquã indaginem, quantum caritas, prudentia, ordinatusq; zelus boni cõmunis, spectatis circumstãtiis cõcurrentibus, tũc dictauerit, & circa quę crimina, obortis quibuscunq; indiciis, vigilantiores esse debent eæ publicæ potestates, quibus cura ac iurisdictio circa illa incũbit, qualia sunt crimina læsæ maiestatis diuinæ aut humanæ, sanè neq; id ita esset censendũ, quod inquisitor ille hæreticę prauitatis tunc cẽsuit, neq; præcludendũ eo modo esset ostiũ, ne ea notitia ad inquisitores deferretur, vt vigilantiores circa id in particulari essent, ipsiq; met expenderent, nũ aliqua indago occulta esset circa id facienda, aut aliqua vigilãtia vel cautela esset adhibẽda. Euenire enim aliquãdo poterit, vt aliquis vel præ verecũdia, vel timore alicuius mali, nõ audeat accedere ad id denunciandũ, vt tenetur, sed vtatur eo medio, quo id sciatur, in re valde reipublicæ vtili. Atq; in causa fidei, qui ex auditu solùm aliquid norunt, denunciare præcipiuntur, vt inde vlteriùs occultè inquiratur, vigilantioresq; inde circa id inquisitores hæreticæ prauitatis sint. Eodẽ quoq; modo, quando prælatis religionum similes schedulæ deferũtur circa delicta suorũ subditorum, quamuis fidem eis adhibere nõ debeant, neq; iudiciũ temerariũ de suis subditis ea tantùm de causa formare debeant, & multo minùs aliquid efficere aut inquirere, vnde fama illorũ perielitetur; cautiores tamen & vigilantiores circa id esse debẽt, eo plus, quo indicia alia moresq; alios eorundẽ suorum subditorũ consentire magis cũ eis delictis viderint, suadibilioraq; illa efficere prudenter attẽderint, prospiciendo ac cauẽdo vt nõ cõmittantur, & vt, si commissa essẽt, in futurum q; pendẽre deprehendantur, paterna correctione, aut etiam iudiciali, prout res postulauerit, corrigantur. Eodẽ præterea modo, quando schedula similis potestati publicæ deferretur, parari malũ iniustum sibi subdito, verisimilitudoq; aut rationabilis timor esset, ne fortè res ita haberet, vigilans esse deberet, adhibereq; competẽtes cautelas teneretur, vt illud impediret, præscribẽte id ita recta ratione. Neq; refragantur his omnibus tria iura citata, quæ solùm prohibent publicã inquisitionem ex eiusmodi schedulis circa delicta, de quibus nõ est infamia, & omnino procedi ex eis ad inquirendum delicta iam patrata, vt illa puniant, quando non sunt in perniciem publicam, non verò prohibent procedi sine cuiusuis infamia

mia ad impedienda mala, quæ ſuſpiciantur iniuſtè imminere & parari aliis in futurum. Circa delicta verò iam commiſſa, minimeque in futurum pendentia, quæ in perniciem publicam non ſunt, omnibus eſt integrũ de illis accuſare prout iura permittũt, ſi ita ipſi velint: nõ verò eis permittitur offerre eiuſmodi ſchedulas, quæ rationem habent libellorum infamatoriorum, & multo minùs iudicibus permittitur procedere ex eis ſchedulis ad inquirendum, etiam occultè, de eis criminibus, vt ea puniant: atque id ſolùm eſt, quod habetur duobus iuribus poſteriori loco citatis.

3 Quoad eiuſmodi verò ſcedulas ac delationes, arbitror eſſe dicendum: Si de ſiniſtra intentione infamandi ſine cauſa conſtet, & de illarum autore, tunc illum puniendum eſſe pœna libellum infamatorium conficientis & edentis, vt ex ſe eſt notiſſimum, de qua pœna infrà Diſp. 39 ſermo erit. Si verò conſtet, non animo infamãdi eas oblatas eſſe, ſed vt crimen verè commiſſum detegatur ac puniatur; tunc, ſi tribunali ſanctæ inquiſitionis ſint oblatæ, puniendus ille erit, non quidem quòd illas obtulerit, neque quoad conſcientiæ forum vllum eſt in tali oblatione peccatum, ſed quòd non plànè & apertè ipſe, vt tenebatur, denunciauit: atq; niſi ruſticitas ignorantiaque eum excuſet, iudicandus erit inciniſſe in pœnas edicti, arbitrariaque pœna pro cuiuſ quantitate erit puniendus. Si verò illas obtulit bono zelo prælato aut iudici, vt malum cauerent ac impedirent in futurum pendens, ſanè neque in eo peccauit, neque vlla pœna ea de cauſa erit puniendus. Quòd ſi iudici eccleſiaſtico illas obtulerit circa delicta, quæ non ſunt in perniciem publicam, ac proinde circa quæ denunciatio non præcipitur, & quæ non ſunt publica, ita vt circa illa delinquens laboret infamia, de quibus criminibus ſermo eſt. c. inquiſitionis citato, tũc ſiue ſuppreſſo eo, cuius ſunt, offerantur, ſiue eo tũc ſe manifeſtãte, ſanè ſi de ſiniſtro animo infamãdi nõ cõſtet, ſed potiùs de bono zelo, tametſi indiſcreto, non iudicarem illum pœna dignum, neque crederem interueniſſe culpam lethalem, excuſante illum à tanta culpa ignorãtia. Eiuſmodi autem denuntiaciones per ſchedulas, ſuppreſſo eas offerẽte, libelli infamatorii præſumuntur, & vt tales puniuntur, ad petitionem eorum, de quibus eis aſſeritur, commiſiſſe eos aliquod delictum, ſi comperiatur, quis illas obtulerit, neque ex eis procedi poteſt ad inquirendum de crimine eiſdem ſchedulis contento: atque id eſt, quod ſtatuitur. *l. vnica. C. de famoſ. libell. & l. 3. titu. 9. part. 7.*

4 Ad crimen etiam infamatorii libelli pertinet, canere compoſita, aut illa referre, quæ in infamiam alicuius compoſita ſunt. Ita habetur. *l. lex. Cornelia in fine, & l. item apud Labeonem. §. generaliter. ff. de iniuriis, & l. 3. titu. 9. part. 7.* Hoc autem intellige, quando quod canitur, aut refertur, non erat publicum & certum ita habere, & de libello infamatorio in principio huius diſputationis eſt dictum. Quando enim fama eſt iam amiſſa, ſcriptura aut vox, quæ id ſignificat, quoad quod fama eſt amiſſa, ſanè vt famam non lædit, ita neque rationem habet infamatorii libelli, non incurritur.

Ego non dubito ad libellum infamatorium attinere, pœnamque pro libello infamatorio A ſtatutam incurri, quando ſignum aliquod apponitur, quo aliquid infamatorium ſignificatur, vt ſi cornua ad fores alicuius appendantur, in ſignũ quòd vxor illius ei fecerit adulterium, aut ſi aliquid depingatur, quod denotet alicuius infamiã. Neque enim hæc minùs infamant, quàm ſcripturæ affixæ, quæ idem ſignificent & contineant: parumque refert, num ſignum, quo id ſignificatur, & in notitiam aliorum deducitur, quando antea erat occultum, ſcriptura ſit, aut ſignum aliud, quod illud idem aliis ſignificet ac manifeſtet, conſentireque nobiſcum videtur Petrus à Puteo à Iulio Clar. *lib. 5. ſent. §. vlt. q. 68. n. 25.* relatus.

B Quod ad culpam attinet, (de pœna enim pro eo crimine ſtatuta infrà ſuo loco erit ſermo) ſatis eſt perſpicuum eũ, qui in crimine libelli famoſi incidit quouis modo ex explicatis, culpam contra iuſtitiam incurrere lethalem, ſi infamia, quæ inde ſequitur, aut quæ inde nata erat ſequi, erat grauis. Quin ſimul poterit contrahere culpam contrariam iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum honoris ſpecie diſtinctam, ſi is libellus infamatorius ſimul etiam præiudicet honori proximi. Perſpicuum etiam eſt, non ſolùm eum, qui libelli famoſi eſt confector, aut ad illum conficiendum quouis modo cooperatur, vel illum manifeſtat, vel vt vlterius manifeſtetur (interim dum infamia illa non eſt publica) eſt cauſa, peccare lethaliter, ſed etiam eos omnes, qui aliquid horum efficere interiùs ſtatuunt ſeu conſentiunt. Satis item per conſequens eſt perſpicuum, quando ex libello infamatorio ſequitur re ipſa infamia, aut inde etiam vlteriùs damna alia ſequuntur, quencunque, qui eius libelli fuit quouis modo cauſa, ad illum quoquo modo aut ad illius diuulgationem cooperando, teneri reſtituere vel ea omnia damna, vel eam illorum partem, cuius ipſe cauſa aut concauſa fuit. Quare qui, poſtquam libellus ad notitiam aliquorum deuenit, illum aliis oſtendit, aut contenta in eo illis ſignificauit, antequam ea res eſſet omnino publica, tenetur reſtituere eam partem infamiæ, cuius fuit cauſa, & ſi quæ alia damna ex ea infamiæ parte ſint vlteriùs ſequuta. Qui verò conſilio aut alia via ad libellum atque ad infamiam cooperatus eſt, modò non imperauerit, neque deceperit exequutorem, ſolùm tenetur ad reſtitutionem damnorum, quorum ita fuit concauſa, in defectum exequutoris. Qui verò id imperauit, vnde ea damna ſequuta ſunt, aut decipiendo fuit cauſa vt darentur ac ſequerentur, tenetur tãquã cauſa magis principalis ad reſtitutionem eorum omnium damnorum, exequutor verò & aliæ concauſæ ſolùm tenentur ad reſtitutionem in defectum cauſæ illius magis principalis omnium eorum damnorum, iuxta ea quæ quoad eiuſmodi omnes cauſas aut concauſas tractatu 2. à Diſp. 729 copioſè dicta ſunt.

5 6 Qui libellum compoſuit, aut edidit, reſtituere tenetur omnem famæ læſionem ex eo libello ſequutam, & damna reliqua, ſi quæ inde ſint etiam ſequuta. Arbitror tamen eum, qui vlteriùs libellum diuulgauit, reſtituere teneri partem damni, cuius ipſe ea vlteriori diuulgatione fuit cauſa, eumque, qui libellum compoſuit, aut primò edidit, non teneri ad reſtitutionem eius partis damni, niſi in defectum eius, qui ea vlteriori diuulgatione fuit illius cauſa: quoniam hic exequutor

quutor fuit eius partis damni, neque qui libellũ A quod clausum non esset, sed præsumeret dominum illius non velle vt legeretur: quoniam ius ad id habet, iniuriaque illi fit, si eo illius iuri cõtraueniatur, maximè ad id aperiẽdo locum clausum, in quo id scriptum asseruatur, aut introëundo domum vel cubiculum illius, ipso inuito, ad illud legendum. Erit verò lethalis culpa literas eiusmodi clausas vel alia eiusmodi scriptura legere, quando timeri iustè posset inde posse sequi damnum aliquod notabile, vel infamiæ, vel quodcunque aliud, aut quando timeri iustè posset, ea via deueniri posse in cognitionem alicuius rei, quam multum expediret esse occultam; aut quãdo meritò is, qui literas clausas mitteret, B vel alia scripta asseruata haberet, multum optaret, occultum id esse, quod in eis cõtinetur. Estò enim ex apertione literarum nullum damnum sequeretur; iniuria tamen, quæ fit eas aperiendo eo præsumptè inuito cuius sunt, tanta esse potest, attenta rei qualitate, quam is occultam esse vult, vt ad culpam pertingat lethalem. Quando verò ex apertione, aut ex lectione literarum alienarum, nihil tale timeretur, tunc solùm esset culpa venialis eas aperire aut legere.

De apertione literarum alienarum. Et de legente memoriam peccatorum alterius, eáve aliis diuulgante.

Disp. 36.

SVMMARIVM.

1. *LEthaliter peccat, qui inuentam memoriã peccatorum alicuius legit; idq; contra iustitiã circa famam illius, pro qualitate eorum quæ in ea continerentur.*
2. *Semper est peccatum litteras alienas aperire, nisi adsit consensus saltem rationabiliter præsumptus eius ad quem mittuntur, vel eius qui mittit, vel nisi adsit rationabilis causa.*
3. *Si ex iniusta litterarum apertione damnum aliquod sequatur, tenetur aperiens illud resarcire.*
4. *Litteræ alienæ aperiri possunt ex rationabili causa, etiam absque consensu.*
5. *Hostium litteræ tempore belli licitè aperiuntur: itè quotiescunque pro bono communi id expediret.*
6. *Priuatus quilibet potest legere litteras alienas, quibus iniustè timet sibi damnum parari.*

A Secundo eorum, quæ proposita sunt, incipiendo, qui inuentam memoriam peccatorum alicuius, attendẽs quid sit, vel antequam eam legere incipiat, vel eam legere incipiendo, non se continet ab ea non legenda, vel non vlteriùs legenda, lethaliter peccat cõtra iustitiam circa famam illius pro qualitate eorum, quæ in ea continerentur, continerive possent: maximè quoniam ea memoria ad confessionem sacramentalem eorum peccatorum solet ordinari, in cuius sacramenti præiudicium aliqua ex parte D cedit ea legi. Multo verò maius peccatum erit eam memoriam aliis ostendere, vel alia ratione ea peccata aliis detegere, si quid momenti alicuius detegatur, & cum onere restituendi famã læsam, & si quæ alia damna sint sequuta, vt est notissimum.

Quod verò ad primum, quod propositum est, attinet, quasi ex apertione literarum alienarum infamia sequi, inter alia damna & inter alias iniurias est nata, & cognitio iniusta alienorum secretorum, seletque id crimen oriri ex suspicionibus ac iudiciis temeratiis, placuit de eo hoc loco sermonem facere, quoniam nullus alius commodior locus occurrit, in quo hac de re diE ceremus.

2 Dicendum verò est, nisi literæ alienæ aperiãtur de consensu, saltem rationabiliter præsumpto, vel eius, qui illas mittit, vel eius ad quem mittuntur, vel nisi adsit rationabilis causa cur sine eorum consensu aperiantur, semper esse peccatum illas aperire. Quoniam eo ipso, quòd clausæ mittuntur, vult, qui illas mittit, ab alio non legi, quàm ab eo, ad quem mittuntur, aut qui ad id vices eius, ad quem mittuntur, habeat: habetque is, qui eas eo modo clausas mittit, ad id ius. Idem esset, si quis legeret scriptum aliud alienũ,

Atque quando ex iniusta apertione aut lectione literarum alienarũ damnum aliquod sequeretur, vel famæ, vel aliud quodcunque, tunc is, qui ita illius esset causa, restituere illud tenereC tur, vt est notissimum. Si tamen aperiendo aut legendo eas literas iniustè solùm venialiter, præter spem sequeretur damnum aliquod, quod quiuis prudens minimè speraret, miniméve timeret, tunc non consurgeret obligatio illud restituendi, excusante ignorantia inuincibili seu probabili, quemadmodum à culpa, sic etiã ab onere restituendi id damnum. Idem arbitror esse dicendum, quando ex apertione aut lectione literarum iniusta lethaliter sequeretur damnũ aliquod, quod nullus prudens sequendum timeret. Tunc enim, si nullum damnum timeri poterat, grauiusque in eo interueniebat iniuria, nulla est obligatio restituendi id damnum. Si verò D damnum timeri poterat, sed non tantum, solùm erit obligatio restituendi maximum damnum, quod timeri poterat, non verò incrementũ vltra illud, quod nullus prudens timere poterat, excusante vtà culpa eius incrementi, ignorantia inuincibili, sic etiam ab onere illud restituendi. In foro tamen exteriori, quia id damnum sequutum esset dante illo operam rei illicitæ, certè in pænam eius antecedentis culpæ, vnde præter spem eam culpam committentis est sequutum, cogetur illud resarcire: ante latam autem sententiam resarcire illud in foro conscientiæ non tenetur.

Dixi suprà, semper esse peccatum literas alie- 4
E nas aperire, nisi de consensu, saltẽ rationabiliter præsumpto, eius qui illas mittit, vel ad quẽ mittuntur, vel nisi adsit rationabilis causa cur sine eorum consensu aperiantur. Quoniam ex rationabili causa aperiri absque illorum consensu poterũt sine vllo peccato. In primis enim prælatus religiosorum aut religiosarum, vbicunq; id ita est statutum, aut quando id iudicat expedire, aperire potest literas, quæ ad suos subditos mittuntur, aut quas subditi ad alios mittunt. Imò verò vbi est statutum sub culpa, aut sub censura, ne literæ mittantur, aut recipiantur, nisi aspiciente eas prius superiore, tunc qui illas

accipit,

accipit, aut mittit, contra formam eius statuti, in culpam incidit, aut simul etiam in cẽsuram. Vbi verò statutum ad nullam culpam obligaret, (vt in nostra societate non obligat) non erit id peccatum lethale, nisi acceptio aut missio earum literarum lethalis culpa alioquin in se sit, vel propter scandalum, vel quòd aliquid mali lethalis contineat, vel quòd ad finem lethalẽ ordinẽtur.

5 Deinde tempore belli in locis finitimis hostium licitè aperiuntur literæ à ministris ad id deputatis. Et licitè similiter aperiuntur, quotiescunque ex aliqua graui causa ita reipublicæ expedire iudicatur, bonóve communi. Secreta tamen alia, quæ in eis literis reperiuntur, tenẽtur celare eiusmodi ministri. Atque quando certò B scirent in aliquibus literis nihil contineri, quod præiudicium afferre posset reipublicę, cerneretque periclitare alicuius famam, si vlteriùs in eis legeretur, tenerentur desistere ab ea lectione; transire q; ad aliud: quoniam legere eas literas solùm est licitum, quantum sit satis vt bono communi prospiciatur.

6 Priuatus item licitè aperire ac legere potest eas literas alienas, quibus iniustè timet sibi damnum aliquod iniustè parari, aut malum posse inde sibi euenire, vt illud fugiat ac impediat, tantum præcisè ex eis legendo, quantum ad id sit satis. Imò idem efficere posset, quando iustè timeret, parari proximo eis literis damnum iniustũ, C aut ex illis posse ei iniustè sequi, vt illud ei ex caritate impediret. In his consentiunt *Nauar. in Manu. c. 18. n. 53. & diuus Anton. 2. part. titu. 1. c. 22. §. 5.*

Vtrùm homo contra iustitiam grauiusq; lethaliter peccet se ipsum illicitè infamando, quàm si proximum infamarot, ad restitutionemq; suæ famæ teneatur. Et simul quo vsq; in tormentis obligatio sit seruare secreta aliorum, quantaq; culpa sit, & cum quali restituendi onere, ad tormenta & alia detrimenta vitanda, alii crimen imponere. Disp. 37.

D

SVMMARIVM.

1. SEcundùm aliquos se ipsum infamans peccat lethaliter, licet id faciat vt mortem effugiat, & peccat contra iustitiam comparatione communitatis cuius est pars, eaq; de causa tenetur illi cõmunitati famam restituere iniustè sibi ablatã.
2. Nemo se ipsum sine rationabili causa potest infamare absque peccato: quia vt prodigalitas bonorum vitium est, ita & famæ.
3. Infamare se ipsum si præcisè spectetur quoad solam infamiam, quam ipse inde contrahit, etiã si irrationabiliter id fiat, non est ex suo genere culpa lethalis, sed venialis: quia homo dominus est sui honoris. E
4. Si dum quis se ipsum infamat, interueniat periurium, quia iureiurando erat astrictus dicere verum, sibiq; imposuit crimen aliquod, interuenit tum culpa lethalis periurii.
5. Si ex infamia alicuius sequeretur tale aliorum scandalum, quod is sub culpa lethali vitare teneretur, tunc culpa esset lethalis eum se ipsum ita infamare.
6. Prælatus, qui suam famam regendis suis subditis obstrictam habet, contra iustitiam peccaret se ipsum infamando: vt etiam contra iustitiã peccat, qui alienam habens familiam, aut videns pauperes grauiter indigere, bona sua proijcit in flumen.
7. Fieri potest, vt aliquis licitè se ipsum infamet, estò videat inde euenturũ, vitam ab eo esse eripiendã, modò tamen non se infamet, crimen sibi iniustè imponendo, sed detegendo crimen quod verè cõmisit, quodq; detegere non tenebatur, & modò ad id rationabilis causa existat.
8. Quãdo aliquis sine dãni periculo detegeret crimẽ suũ verũ, de quo nõ iuridice interrogaretur, scilicet ad euitanda notabilia tormenta, quia rationabiliter timeret, nisi id crimen ita detegeret, aliquid ei eorum esse euenturum, tunc meritò posset illud absque peccato eo modo detegere, nihil impediente infamia, quam inde contraheret.
9. Non licet ad euadenda tormenta aut ad mortem euitandam detegere secreta reip. quæ in notabile illius damnum vergant.
10. Cum aliquis casu absque sua culpa nouit crimen alicuius secretum, vel ipsi cõmissum fuit aliquod secretum, non tenetur illud seruare cum periculo vitæ, sed potest illud detegere ad euadenda tormẽta, etiãsi ex detectione alteri⁹ vita periclitaretur.
11. Si ex reuelatione secreti commissi, aut quod quis casu nouit, periclitaretur vita alicuius: ex eo vero quòd celaretur, solùm honos periclitaretur vel bona externa eius, qui illud nouit, tum est prudentis arbitrio iudicandum, quidnam sequi oporteat.
12. Si ex reuelatione secreti solùm sequeretur damnũ honoris aut bonorum alicuius, tunc non solùm fas esset scienti tale secretum, illud reuelare ad euadendam suam vel aliorum mortem, sed etiam ad euadendum quodcunq; notabile damnum honoris aut diuitiarum.
13. Qui per iniuriam nouit secretum alicuius, tenetur cum æquali aut cum paulo suo maiori detrimento id seruare.
14. Illicitum est quempiam seipsum infamare, crimẽ aliquod sibi imponendo, etiam si id fiat ad euadenda grauissima tormenta aut ad mortem euadendam.
15. Cum quis morte est plectendus, nisi sibi crimen aliquod grauissimum imponeret, solùm peccat venialiter, illud sibi imponendo, quando ex ea criminis impositione non sequitur notabile scandalum, aut notabilis iactura famæ aut bonorum.
16. Quando aliquis imponendo ita sibi tale crimen euaderet quidem grauia tormenta, ceterum condemnandus esset de hæresi, apostasia à fide: si verò non confiteretur id crimen illud sibi imponendo, sed tormenta sustineret, nihil horum ei esset euenturum, sed solùm esset condemnandus de suspecto in fide, tunc lethaliter peccaret crimẽ id sibi imponendo, vt grauia fugeret tormenta.
17. Quando is, cui crimen hæresis, aut aliquid simile, sufficienter est probatum, vt brachio seculari cõburendus tradatur, eius esset conditionis, de quo alioquin præsumptio non esset commisisse id crimẽ, timendum est eum incurrere culpam lethalem, tale crimen sibi imponendo, vt mortem euaderet.
18. Quando aliquis, ad euadenda quæcunq; tormenta, crimen sibi imponit, ob quod est morte plectendus, lethaliter peccat.
19. Lethaliter peccaret filius, imponens sibi crimen patris, ob quod pater erat morte plectendus, vt vitam patris conseruaret, & in se transferret mortem, quam pater erat subiturus.

20. Peccant etiam lethaliter & ad restitutionem dã-ui tenentur, non solùm qui falsò crimen notabile alicui imponunt, sed etiam qui ad mortem euadendam, quæ iniustè eis infligeretur, alios falsò in æquale aut in ferè æquale discrimen adducunt.

21. Qui alicui imposuisset crimen, ob quod periclitaretur vita, vel ob quod sequeretur illi ac suis talis iactura famæ, vt morti similis aut ferè similis esset, sanè is teneretur illud retractare cum periculo tormentorum ac vitæ, quando esset spes ea retractatione impedienda aut reparanda esse damna: quod si non esset spes talis, tunc non teneretur se retractare, sed teneretur restituere damna ita iniustè data.

22. Si crimen alicui impositum tale non est, vt ex illo ei mors vel aliud damnum in corpore aut fama vel diuitiis immineret, tunc imponens tenetur se retractare, si ea retractatione posset ea damna impedire vel resarcire.

23. Confessio criminis tormentis extorta non infamat confitentem: non intelligendo de confessione iuridicè extorta.

24. Dissoluuntur argumenta pro opinione contraria.

DIximus hactenus de iniustitia cõtra famã alterius. Nunc verò est examinandũ, vtrũ qui se ipsum infamat, iniustitiã cõmittat, ad restitutionẽq; teneatur, & quo vsq; peccet, aut nõ peccet se ipsum infamando. Simul verò occasione eorũ, quę circa hæc dicẽda sunt, maximè quando aliquis se ipsum infamat, vt tormenta, mortẽ, vel alia mala fugiat, miscebimus sermonẽ, quo vsq; tolerãda sint tormenta aut mors, ne secreta aliena reuelentur, & quanta culpa sit, & cũ quali restituendi onere, ad tormenta & alia detrimenta vitãda, aliis crimẽ imponere. Hæc enim duo posteriora seruanda in hũc locũ fuerũt, vt extra suũ propriũ locũ cõmodiùs examinarẽtur hoc loco occasione eius, quod priori loco est propositum.

1 Quod ergo ad primũ eorum, quæ proposita sunt, attinet, quodq; propriũ est huius loci, *Caiet. 2.2.q.73.art.2. & in summa verb. detractio, & verb. rest.c.vlt.casu.2.* in ea est sententia, vt affirmet, aliquẽ se ipsum infamare, etiam si id efficiat, vt tormenta aut mortem euitet, esse ex suo genere culpam lethalem contra iustitiam comparatione communitatis reipublicę, aut ecclesiæ, cuius est pars: eaq; de causa restituere reipublicæ teneri famam ita sibi iniustè ablatam. Sui verò cõparatione ait, quamuis contra iustitiam non peccet; eo quòd iustitia sit ad alterum, nullusq; sibi ipsi efficere iniustitiam possit, esse tamen plus quàm iniustũ: quoniã se ipsum infamare est contra caritatẽ propriã, qua quilibet nõ minꝰ se ipsum, quã suum proximũ, diligere tenetur: qua de causa, inquit, grauius peccat se ipsũ infamãdo, quã si suũ proximũ simili infamia afficeret. Ad hãc sententiã accedere ex parte videtur *Maior. in.4. dist. 15. q.16. Panor. quoq; c. ex parte.2. de sepult. n.2. ait*, lethale peccatũ esse aliquẽ se ipsum infamare, eaq; de causa peccare eos lethaliter, qui in tormẽtis ea delicta sibi imponunt, quæ non cõmiserunt, esseq; illos in statu dãnationis, si ante mortẽ eam confessionem non reuocent. Eandẽ sententiam innuũt *diuus Anton. part.2.titu.2.c.2.§.3. Felin. c. 1. de testium cogn.* & quidam alii. Pro eadem sententia, quòd scilicet is, qui se ipsum infamat, lethaliter peccet, citatur *glossa. c.1. verb. erroris. 15. q. 6.* Ea tamen glossa solùm loquitur, quando aliquis A metu tormentorum confitetur errorem in fide illum approbando: in quo euentu nullus est, qui dubitet, eum peccare lethaliter.

Angelus verb. detractio. §. vltimo ait, eũ, qui sine metu tormentorum se ipsum infamat, lethaliter peccare. Eũ verò, qui metu tormentorũ se ipsum infamat, non peccare lethaliter: quia id mendaciũ est officiosum: neq; postea tenetur retractare ea delicta, quę sibi imposuit, si timeat ea de causa esse iterũ torquendum, sed præeligere eum posse mortẽ, vt tormẽta euitet. Si autẽ nõ timeat ea de causa esse iterũ torquendũ, ait teneri retractare B delicta sibi imposita. Sylues. verb. detractio. n.4. videtur Angelum sequi, addens, eũ, qui, ne iterũ tormentis subiiciatur, non tenetur antequã sententia feratur retractare delicta, quæ sibi imposuit, teneri tamen illa publicè retractare ante mortem post latam sententiam.

Caietani & aliorũ opinio suaderi potest. Primò, Ecclesiasti. 4 præcipitur, *Curam habe de bono nomine*, hoc est, de bona fama. *Curam*, inquit ibi scriptura, *habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quã mille thesauri pretiosi & magni.* Et Prouerb. 22: *Melius est nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ*: ergo vnusquisq; tenetur cõseruare suã famã, atq; adeò lethaliter peccat se ipsũ infamãdo.

Secũdò, Aug. 1. de Ciuit. Dei. c. 20. & refertur c. si nõ licet. 23. q. 5. sic ait: *Falsi testimonii nõ minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quã si aduersus proximũ hoc faceret.* Aperteq; ibi docet Augustinus, quãuis octauũ decalogi præceptum sub hac forma tradatur; *Non dices falsum testimoniũ aduersus proximũ tuũ*; nihilominus illo eodẽ præcepto cẽseri prohibitũ falsum testimoniũ aduersus nos met ipsos: cũ regula diligẽdi proximũ sit dilectio, qua nos ipsos diligimus, dicẽte scriptura; *diliges proximũ tuũ sicut te ipsũ*: cùm ergo culpa lethalis sit infamare proximũ; cõsequẽs sanè est, vt culpa quoq; lethalis sit, aliquẽ se ipsũ infamare.

Tertiò, idẽ Aug. de bono viduitatis. c. 22. & refertur. c. nõ sunt audiendi. 11. q. 3. reprehẽdit eos, qui contenti testimonio propriæ conscientiæ coram Deo, negligebant propriã famam circa quędam vitia, quorum indicia & suspicionem præbebant, additq; Aug. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*: ergo lethaliter peccat, qui se ipsum notabiliter infamat.

Quartò, argumẽtatur Caiet. vnusquisq; præcepto caritatis tenetur plus se ipsũ diligere, quã aliũ, seq; ipsũ infamãdo cõmittit iniustitiã contra cõmunitatẽ, cuiꝰ est pars: ergo se ipsũ infamãdo, nõ minus peccat lethaliter, quã peccet infamãdo aliũ, peccatq; contra iustitiam, teneturq; restituere cõmunitati damnum famæ ita datum.

Quintò, idẽ Caiet. argumentatur, infamare se ipsum ex suo genere est culpa lethalis, vt est ostẽsum: ergo estò quis id efficiat ad euitãda tormẽta, erit culpa lethalis. Cõsequẽtia ex eo patet, quoniã metus mortis ac tormentorum non excusat id à culpa lethali, quod ex suo genere est tale: alioquin licitũ esset fornicari ad mortẽ euadendam.

Sequentibus conclusionibus aperiã, quid circa ea omnia, quæ in titulo huius disputationis sunt proposita, sentiã. Prima est. Infamare aliquẽ se ipsum sine rationabili causa, peccatũ est. In hac cõclusione omnes cõsentiũt. Esset enim id prodigalitas famæ, quæ nõ minus est peccatũ, quàm peccatum sit prodigalitas bonorũ externorũ diuitiarũ: imò verò eo est maius peccatũ, quo famę 2

bonum

bonum diuitiarũ bonũ excedit. Dixi, sine ratio-
nabili causa: quoniã si ex rationabili causa quis
se ipsum infamet, vt humilitatis gratia, vel ad fu-
giendum damnum aliquod spirituale, vel ex alia
simili, & neque interueniat mendacium neque
scãdalum, fiatque moderatè iuxta rectam ratio-
nẽ, attentis circumstantiis omnibus cõcurrenti-
bus, nullaq; alia circumstantia interueniat, quæ
eum actum inficiat, id sanè nullum erit peccatũ,
quin potiùs erit egregia virtus. Sic Augustinus,
& alii Sancti, sua aliqua crimina detexerunt. Et
Matthæus apostolus, se fuisse publicanũ, indeq;
à Christo fuisse vocatum, scripsit, quod in futurũ,
quo ad id, suã famã maculare poterat: vt verò ex-
altaret Christi in ipsum misericordiã ac benefi-
ciũ, illudq; prædicaret, atque ad suã humilitatẽ,
id non solùm ei licuit, sed fuit etiam opus nõ exi-
guæ virtutis. Ferre verò patiẽter infamiã ab aliis
iniustè illatã, non se defendendo ex rationabili
causa, multo magis esse potest licitũ, & frequẽter
Christi exẽplo fit cũ ingenti merito ac virtute,
quãdo recta ratio cõtrariũ ex aliquibus circũstã-
tiis nõ postulat. Lege quæ Disp. 2. & 20 dicta sunt.

3 Secunda conclusio: Infamare aliquẽ se ipsum,
si præcisè spectetur quoad solã infamiã, quã ipse
inde contrahit, etiã si irrationabiliter atq; illicitè
id fiat, nõ est ex suo genere culpa lethalis, sed ve-
nialis, neque est peccatũ contra iustitiã, eaq; de
causa ex illo non consurgit restituẽdi obligatio.
Conclusio hæc est contra Caietanũ, & suo etiam
modo contra alios doctores suprà citatos. Eam
verò affirmant *Sotus de tegendo secreto memb. 1. q.
3. lib. 4. de iust. q. 2. art. 3. & q. 6. art. 3. ad. 4. & lib. 5.
q. 10. art. 2. Ledesmii. 2. 4. q. 18. art. 2. Nauar. in Ma-
nu. c. 18. n. 27. & c. inter verb.* (semper loquor de
Commentario Hispano *) à n. 563. Conar. 1. var.
resc. 2. n. 8.* Eandem sentẽtiam tribuere possumus
Adrian. *quodl. 11. lit. n. & q. vlt. de rest. fama, & di-
no Thomæ locis Disp. 2. citatis.*

Probari autẽ potest, quoniã homo dominus est
sui honoris & famæ, vt quatenus ab ipso pẽdet,
nõ secùs de eis disponere possit, quàm de bonis
suis externis diuitiarũ, vt Disp. 2 copiosè cõpro-
bauimus: ergo aliquẽ irrationabiliter ac illicitè se
ipsum infamare ex ea parte, qua famæ suę iacturã
facit, infamiamq; incurrit, nõ est aliud quã pro-
digalitas, quæ non est peccatũ cõtra iustitiã, eaq;
de causa neque restituendi obligationẽ inducit:
neq; item est peccatũ ex suo genere lethale, sed
veniale: sicut prodigalitas bonorũ externorum
peccatũ nõ est ex suo genere lethale, sed veniale:
aduersatur enim solũ caritati, qua vnusquisq; se
ac sua debet diligere: dilectio autem sui compa-
ratione bonorũ, quorum est dominus, & quę ne-
que ad salutem spiritualem, neq; corporis, neces-
saria sunt, nõ obligat ex suo genere sub culpa le-
thali, sed solũ sub veniali. Atq; quãuis fama no-
stra sæpe reipublicæ nostrisque proximis sit ne-
cessaria: sicut & bona nostra externa diuitiarum
sæpe etiã eisdem necessaria sunt, quia tamen fa-
ma nostra nõ est bonũ propriũ reipublicæ, neq;
nostrorum proximorum, sed nostrum: sicut neq;
bona nostra externa diuitiarũ, quãdo illis neces-
saria sunt, bonũ proprium sunt eorum, sed no-
strum, consequens profectò est, vt sicut prodiga-
litas bonorum nostrorũ diuitiarum externarum
non est peccatum contra iustitiam, etiã quando
proximis ac reipublicæ necessaria sunt, eaq; de
causa id peccatum obligationem restituendi nõ
inducit: ita etiã neq; prodigalitas famæ nostræ,
etiã quãdo reipublicę ac proximis nostris est ne-
cessaria, peccatũ sit cõtra iustitiam, neq; vllã re-
stituẽdi obligationẽ inducat, quod Caiet. nõ attẽ-
dit. Cõfirmatur, quoniã qui famã alterius iniustè
lædit, neq; reipublicæ neq; aliis proximis tene-
tur ad vllã restitutionem, sed solũ læso: atque si
læsus illi parcat, eãq; obligationẽ illi cõdonet, li-
ber omnino ille manet à restituendi onere: ergo
neq;, qui suã propriam famam irrationabiliter
atq; illicitè lædit, ad vllam restitutionẽ reipubli-
cæ aut aliis proximis tenetur: sibi autẽ de iustitia
nõ tenetur; eo quòd iustitia nõfit eiusdẽ ad se ip-
sum: quo fit, vt nullo modo de iustitia restituere
teneatur. Vtrũ autẽ prodigalitas propriæ famę
ex eo, quòd interdũ in detrimẽtũ cedat reipubli-
cæ ac proximorũ, ad culpã aliquando pertinga
lethalẽ, ex sequentibus cõclusionibus liquebit.

Tertia conclusio. Si dum quis se ipsum infa-
mat, interueniat periurium, quia iurejurando e-
rat astrictus dicere verũ, sibique imposuit crimẽ
aliquod, tunc satis perspicuum est, interuenire
culpã lethalem periurii. Si item quis se infamet
iactando se de aliqua culpa lethali, in eaq; com-
placendo, satis etiã cõstat in eo interuenire cul-
pam lethalem: quippe cùm complacentia in cul-
pa lethali peccatum eiusdem speciei sit cum eo,
in quo quis cõplacet. Atque de eiusmodi pecca-
tore Psal. 51 dicitur: *Quid gloriaris in malitia, qui
potens est in iniquitate?* si etiã alicui necessaria es-
set sua fama ad se continendum à culpa lethali,
tunc lethalis esset culpa illam prodigere. Rarò
tamen in prodigalitate famæ ex hoc capite in-
teruenit culpa lethalis. Similiter si quis se ipsum
infamando se exponeret periculo vitę, aut amis-
sionis membri, neque interueniret iusta causa,
quæ eum à culpa lethali excusaret, tali periculo
se exponendo, tunc vtique lethaliter peccaret se
ipsum infamando: eo quòd vnusquisq; sub culpa
lethali conseruare teneatur suam propriam vi-
tam ac membra.

Quarta conclusio. Si ex infamia alicuius se-
queretur tale aliorum scandalum, quod is sub
culpa lethali vitare teneretur, tunc culpa esset le-
thalis, eum se ipsum ita infamare, aut non prote-
gere aut defendere suam famam ac innocentiã,
si commodè posset. Exempla sunt. Vt si ex pecca-
to lethali alicuius credito sequeretur imitatio a-
liorum. Vel si ex peccato alicuius notabiliter cõ-
tẽneretur genus aliquod proborum, vt ex pec-
cato religiosi alicuius, religio, aut cœnobiũ, no-
tabiliter contemneretur, in quo ille erat religio-
sus, virtúsve minùs reputaretur in aliis probis,
segnioresque notabiliter inde aliis redderentur
ad virtutem. Atque ob hæc exempla Aug. de bo-
no viduitatis. c. vlt. & refertur. c. nõ sunt audienti
citato reprehendit quosdam homines ac mulie-
res, qui probi ac sancti reputabantur, cõtemne-
bantq; suã famã aliquibus in rebus, quæ speciẽ
habebãt mali, cõtrà testimonio suæ cõscientię,
aitque ibi Augustinus, *Nobis necessaria est vita
nostra*, (loquiturque nõ de corporali vita, vt ali-
qui malè arbitrantur, sed de recta vita quo ad
mores, vt ibi perspicuè patet) *aliis verò fama no-
stra*. Exemplum est deinde in homine, cuius fa-
ma multum reipublicæ interest, salutique aliorũ
spirituali, vel quia suam famam quasi obligatã
aliis habet ratione muneris ac officii, ad quod
bona fama est necessaria, vt euenit in prælato,

vel quia licèt obligatam suam famam aliis non habeat, ex eo tamen multum iuuantur proximi, famaque amissa, periret impediturq; magnus spiritualis fructus: vt si is esset insignis cõcionator, aut alius ex cuius admonitionibus & exẽplũ alii multũ inuarentur, atq; ex cuius infamia periret ac impediretur is fructus; sanè hi lethaliter peccarent se ipsos infamando, quin & non defẽdendo suam famam, si commodè possent, sperarentque se illam conseruaturos, & alioquin perituram cum aliorum spirituale detrimento. A

6 *Sotus. 5. de iust. q. 10. art. 2.* ait, prælatum, qui suã famam regẽdis suis subditis obstrictã habet, cõtra iustitiam peccare se ipsum infamãdo; quẽadmodũ, inquit, contra iustitiam peccat, qui alienã habens familiam, aut videns pauperes grauiter indigere, bona sua projiceret in flumen. Quamuis autem primum exemplum sit accõmodatũ: eo quòd pater familias de iustitia teneatur filios & vxorem alere, ac proinde projicere eum bona sua ita in flumen in iniuriam filiorum & vxoris cederet, sicut in iniuriam subditorum cederet prælatum se ipsum infamare cum eorundẽ subditorum detrimento quo ad id, quo ad quod illis ex officio tenetur: secundum tamẽ exemplũ sanè non est ad rẽ. Quoniam pauperibus nõ debetur subuentio ex iustitia, sed solũ ex caritate: quare quatenus eo modo impediretur pauperũ subuentio, non esset id peccatum contra iustitiam, sed solũ contra caritatem. Itẽ quamuis fatear, eã iacturam famæ prælati cedere suo modo in iniuriam suorum subditorum, non tamen dicerẽ consurgere inde obligationem ex iustitia restituendi illis eam famam: quoniã fama illa nõ est subditorum, sed prælati. Vnde si tertius aliquis famam eiusdẽ prælati iniustè læderet, sanè nõ teneretur ex iustitia restituere illam subditis, sed prælato. Si autem prælatus eam obligationem restituendi illi remitteret, certè quamuis malè faceret, si suam famam recuperare posset cũ cõmodo suorum subditorum, quorum adhuc esset prælatus, iniuriamq; in eo illis faceret; ille tamẽ aliis deobligatus omnino maneret ab onere illã ex iustitia restituendi. Quod si prælatus, vel à se vel ab alio ita infamatus, idoneus non maneret ad deinceps eos subditos regendos, teneretur munus relinquere, aliiq́ue prælati ipsi superiores, aut congregatio ipsa, si suprema ea in parte haberet quo ad id iurisdictionem, teneretur illũ deponere. Si verò idoneus adhuc maneret, estò minùs, quã antea erat, non teneretur relinquere munus, neq; de iustitia teneretur restituere subditis emolumẽtum, quod ex maiori illa sua idoneitate essẽt percepturi: maximè quia prælatus non tenetur de iustitia ad optimũ regimen, & ad maiorem vtilitatẽ & profectum suorum subditorũ, quasi, si in aliquo ab optimo regimine maioriq; commoditate & vtilitate illorum deficiat, contra iustitiam peccet, teneaturq; illis ad restitutionem. Pater etiam familias licèt iniuriã faceret filiis, projiciendo bona sua in flumen, aut aliter illa destruendo, vel prodigendo, non tamen teneretur ea illis restituere: quoniã solus pater & nõ filii dominus illorũ est, neq; ad filios pertinẽt ea bona nisi post mortẽ patris, si tũc remaneãt, perseuerãdo illius vsq; ad eius mortẽ, atq; tũc pertinẽt ad illos iuxta præscriptũ legum, & prout pater voluerit eis eam partem relinquere, de qua tempore mortis libere potest disponere. B C D E

Quãdo infamia alicuius, siue is esset prælatus, siue aliquis alius, in illos redũdaret, est distinguẽdũ: Quoniam vel ille imponendo sibi id crimen, vel illud cõmittendo ac cõfitendo, solùm est occasio infamię aliorum, quia inde alii occasionem sumunt reputandi alios malos, aut ad abiectè de illis sentiendum, & tunc ad nullam tenetur illis restitutionem eius infamiæ, quæ in illos redundauit: quoniã nõ fuit illius causa, sed occasio solũ. Vel fuit illius causa, saltẽ quia iuris dispositione infamia ex eo crimine in pœnam illius redũdat in alios ipsi coniunctos, vt in crimine hęreseos & læsæ maiestatis humanæ, aliqui ex descendentibus ex condemnato de eo crimine infames manent, & tunc tenetur illis restituere id famę damnum, tanquam causa iniusta illius.

Quinta conclusio. Fieri potest, vt aliquis licitè se ipsum infamet, estò videat inde euenturum vitam ab eo esse eripiendam: modò tamen nõ se infamet, crimen, quod nõ cõmisit, sibi imponendo, sed detegendo crimen quod verè commisit, quodq; detegere non tenebatur, & modò ad id rationabilis causa existat. Exempla rem hanc dilucidam reddent. 7

Est aliquis, qui crimen cõmittit, propter quod dignus est morte, ignoratur tamen eum id crimẽ cõmisisse. Sanè si videat innocentem ob id crimẽ periclitari, aut duci ad patibulum, poterit licitè manifestare illum esse innocentem, seque id crimen commisisse, quando non potest alia via eripere illum à morte. Probatur, quoniam id solùm est cedere iuri suo, quod habet, vt tunc non se prodat, sed potiùs innocentem mori permittat: neq; est id se ipsum interficere, sed est reuelare iustam causam, ob quam à publica potestate iustè interficiatur: atque est ex rationabili causa postponere famam propriam famæ innocentis, vitamq; propriam vitę innocentis, quod licitum est, maximeq; meritorium, vt ex iis liquet, quæ suprà in hac. 2. 2. in materia de caritate. q. 26. art. 5. & tractatu præcedente Disp. 14. conclusio. 3. diximus: ergo licitum in eo euentu est, se ipsum cum periculo vitę infamare detegendo crimen, quod verè commisit. Imò verò conclusione 3 citata ostendimus, fas esse rationabili ex causa postponere vitam nostram vitę nocentis, vt permittere nos ab iniusto aggressore interfici, ne ipsum interficiamus. Et Sotus de ratione tegendi loco citato concluf. 5. rectè ait, non solùm aliquem licitè posse famam suam postponere famę proximi, detegendo crimen suum quando innocens de illo infamatur, in quo consentit etiam *Ledesmius. 2. 4. q. 18. art. 2.* sed etiã famæ nocentis, sustinẽdo patiẽter crimẽ, quod ipsi imponitur, ne aliũ detegat, qui illud cõmisit, vt ita iactura suę famę fama proximi illæsa perseueret: sicut, ait, postponi potest vita propria vitæ proximi. Obserua tamẽ, si fama innocentis longè plus necessaria reipublicæ esset, quàm fama nocentis, tunc contra caritatem reipublicæ ac Dei esset, permittere cõseruationem propriæ famæ, vt fama illius alterius conseruaretur, vt Disput. 14 citata quoad vitæ conseruationem dictum ostensumq; est.

Aliud exemplum conclusionis propositæ est. Si aliquis, qui verè crimen aliquod cõmisit, pro quo est dignus morte, subjiciatur torturæ, cruciatibúsve, vt veritatẽ confiteatur: cæterũ ei torturę subjiciatur, nõ seruato ordine iuris; eo quòd nõ sit semiplena probatio, vt veritatẽ cõfiteri teneatur;

neatur; neq; sint sufficientia indicia, vt tortura subijciatur. Sanè is licitè se ipsum infamat, detegendo crimen, quod confiteri non tenebatur, nihil impediente quòd propter illud sit morte plectendus. Ratio autem est, quoniam nō mētitur detegendo ita crimē suum; rationabiliq; ex causa cedit iuri, quod habebat ad illud celandū; neque sibi infert in eo mortem, sed solùm rationabili ex causa, ne scilicet torméta sustineat, detegit delictum, ob quod verè est dignus morte, permittitque eripi sibi vitam, quam non tenetur conseruare cum tanto suo labore ac molestia. Ita *Sotus conclus. 5. citata. & memb. 3. q. 4. conclus. 10. & 5. de iust. q. 10. art. 2.*

A non est præsumendū rē publicā velle, vt cū tanto ea scientis detrimento non detegantur: neque respublica rationabiliter id velle posset.

Contrariū verò huius secundi exempli affirmat *Nauar. in Manu. c. 18. n. 29. & c. inter verba. n. 557. & 568.* ductus, quòd qui in eo euentu detegit suum crimen verum, causa est suæ propriæ mortis. Hoc tamē apertè est falsum, vt proximè deduximus ac ostendimus, & constat ex primo exemplo circa hanc quintam conclusionē propositō, in quo Nauarrus nō negabit, licere detegere crimen propriū pro tuenda illo modo vita innocentis: quod tamen esset illicitū, si detegere suū verū crimē in eo euētu, in quo illud detegere nō tenebatur, esset sibi ipsi esse causā mortis.

B Sotus loco citato, quē Nauarrus etiā sequitur, ait Magistratus, iudices, scribas, & alios ministros publicos, quibus secreta publica & causæ particularium ex officio cōmittuntur, quiq; ob suū ministeriū stipēdia accipiūt, teneri, etiā in causis particulariū, torméta & mortē potiùs tolerare, quā ea secreta illorum detegant, ex quorū manifestatione vel mors alicuius eorū sequeretur, vel ingēs aliquod dānum, vt amissionis comitatus, marchionatus, ducatus, vel alterius maioratus, vel quippiā aliud notabile. Placet autē nobis hęc opinio: quoniam ita postulat recta ratio; possūntq; ea officia cum eo onere concedi; præsumendumq; est, rēpublicā velle, vt ad id in eis euentibus teneantur. Quando autē in causis tāti mométi probabile esset, ex ea manifestatione secretorū sequendū non esse tantū damnum, itemq; quando secreta essent rerum & causarū minoris mométi, detegi sine peccato ab eis ministris publicis possent, vt mortē, mutilationē, aut non leuia tormenta euaderent. Quoniā ratio non postulat, vt cum tanto onere teneatur simila secreta seruare, neq; est credendum, rempublicam ad id intendisse eos obligare: neque si intendisset, esset id rationabile & æquum.

8 Quādo autem aliquis sine mortis aut amissionis mēbri periculo detegeret crimē suū verū, de quo nō iuridicè interrogatur, quia scit, quāuis illud detegat ac cōfiteatur, non tamē ea de causa esse interficiendū, nec mutilandū; attamen illud ita detegeret ad euadēda notabilia torméta, mutilationē, aut mortē; quia rationabiliter timeret, nisi id crimen ita detegeret, aliquid eorū esse ei euenturum; tunc longè maiori cū ratione posset illud absq; peccato eo modo detegere, nihil impediente infamia, quā inde contraheret. Quoniā quēadmodū pecunia licitè posset tunc redimere ea tormenta, aut periculū mutilationis vel mortis: sic etiā potest licitè illa redimere amissione propriæ famæ: idq; nō solū quoniā licèt fama ex suo genere præstantior sit pecunia, ingēs tamē copia pecunię superare potest in estimatione famā aliquā; sed etiā quoniā vita integritasq; illius excellētioris ordinis sūt, quā fama.

C Septima cōclusio. Quādo aliquis casu absq; sua culpa nouit crimen secretū alicuius, aut aliud eiusdem secretum, vel ipsi cōmissum fuit aliquod secretū, non tenetur illud seruare cum periculo propriæ vitę, membri, aut grauium tormentorū; sed licitè potest illud detegere ad mortē aut grauia euadendū tormenta, etiam si ex detectione periclitetur vita alicuius. Excipio, nisi ea lege acceptasset id secretū sibi commissum, vt etiam ad mortem euadendam non posset illud detegere.

Vt verò hoc loco, antequā vltetiùs progrediamur, aliquid obiter de iis inseramus, qui tormētis aut mortis metu iniustè coguntur detegere crimina vera, aut alia secreta aliorū, quo vsq; eis liceat, aut nō liceat, illa detegere ad torméta vel mortē euadēdū, sequētes subijciam⁹ cōclusiones.

9 Sexta ergo cōclusio in ordine est: Neq; ad euadēda quæcūq; tormenta, neq; ad mortē ipsā euadēdā, fas est detegere secreta reipublicę, quę in notabilē illius pernicię vergāt. Vt sunt ea secreta exercitus, ex quorū detectione notabile periculū exercitui aut reipublicę immineret. Cōclusionē hāc affirmāt *Sotus de tegend. secret. mēb. 3. q. 4. cōclus. 6. & Nauar. c. inter verb. n. 561.* Probari autē potest, quoniā pro salute reipublicæ quiuis ciuis tenetur exponere propriam vitā, ad idq; à republica potest sub lethali culpa obligari, præsumēdūq; est in euētu huius cōclusionis velle eo modo obligare ad ea secreta nō detegēda: ergo nefas est ad torméta aut mortem euadēda detegere eiusmodi reipublicæ secreta. Alia autē secreta, ex quibus leue detrimētum posset reipublicæ euenire, detegere quiuis posset absq; culpa, ad mortē aut ad grauia tormenta euadenda. Quoniam

D Priorem huius conclusionis partem affirmat *Sotus vbi suprà cōclus. 8. & 9.* Nō tamen nitor fundamento, cui ille innititur. Ait enim obligationem seruādi eiusmodi secreta non esse ex iustitia, sed ex caritate, eaq; de causa nos non teneri illa seruare cū tā graui nostro detrimento. Nos verò Disp. 3. & tribus sequentibus satis perspicuè ostendimus, obligationem ea seruādi esse de iustitia, eaq; de causa eū, qui illa, quando tenetur, nō seruat, teneri ad restitutionem dānorū inde subsequutorū: quod Sotus negare non potest. Neq; est verum, quod subiungit. Eodē videlicet modo nos ex caritate teneri seruare secretum, quod casu nouim⁹, quo ex sola caritate tenemur seruare res proximorum nostrorū, quas casu inuenimus. Non, inquam, hoc est verum. Quoniā non seruando res proximorum nostrorū, habemus nos negatiuè, eaq; de causa, quādo ex officio

E nō tenemur illos seruare, nō censemur causa detrimenti atq; amissionis earū, quoniā nō influimus in illarū destructionem & amissionem. At verò nō seruare secretū, nō est habere nos negatiuè circa infamiā, aut circa alia dāna, quæ proximo ex illius reuelatione sequūtur, sed est influere in ea dāna positiuè detectione eius secreti. Fūdamentum verò, cur nos nitimur, est. Quoniam, qui secretū accipit cum pacto vt illud non reueleat, non censetur se obligare cum tanto onere, vt etiam si necessarium sit illud reuelare ad euitandam propriam mortē filii aut vxoris, vel ad euadenda grauia tormenta aut mutilationem cuiusquam

quam eorum, non possit illud reuelare: maximè cùm secretum committi soleat in nullum eius emolumentum, cui sub pacto illud seruandi detegitur, sed vel leuitate illud detegétis, vel in ipsius commodum, aut alicuius tertii: nullusque prudens in eo euentu acceptasset id secretum cũ tanto suo onere: cùm ergo ordine caritatis nullus teneatur posthabere suam propriam vitam aut suorum, vel grauem sui aut suorum corporis læsionem, vitæ alterius: consequens profectò est, vt in eo euentu neq; ex iustitia neq; ex caritate teneatur seruare id secretũ, sed possit licitè illud detegere, nihil impediente, quòd inde vita alterius periclitetur. Atque cũ, quando aliquis casu absque sua culpa nouit secretum alicuius, ex natura rei non consurgat maior obligatio illud seruandi, quàm si ea lege ei reuelaretur, vt non posset illud detegere: consequens sanè est, vt in eo euentu longè maiori cum ratione non teneatur illud seruare cum tanto suo onere.

Addidi posteriorem cõclusionis partem, quoniam si is, cui secretum reuelaretur, ea lege illud acceptaret, vt neque ad mortem euadendã detegere illud posset, sanè licitum esset tale pactum, meritoque reuelans velle posset, nõ aliter reuelare illi id suum secretum, quod tanti sua referat seruari, nisi cum eo onere: quare tunc, qui ita illud acceptasset, de iustitia teneretur illud seruare, etiam si, vt illud seruaret, propriam amitteret vitam, peccaretque lethaliter, tenereturque ad restitutionem omnium damnorum ex reuelatione illius, vt ea ratione mortem euaderet, subsequutorum, si illud reuelaret.

11 Octaua conclusio. Si ex reuelatione secreti cõmissi, aut quod quis casu nouit, periclitaretur vita alicuius, ex eo verò quòd celaretur, solùm periclitarentur honor, aut fama, vel bona externa diuitiarum eius, qui illud nouit: arbitror prudentis arbitrio esse iudicandum, attenta quantitate detrimenti honoris, aut famæ, vel diuitiarum, eius, qui illud nouit, & spe, quæ est vt illi id detrimentum resarciatur postea, & num iniustè vita sit illi alteri auferenda, an iustè: itéque num secretũ sit reuelatũ in commodũ eius, qui illud secretò accepit, vel alterius, & ex reliquis circũstantiis concurrentibus est iudicãdũ, num cum tãto suo detrimẽto teneatur illud seruare, an nõ: quoniã, etiã si per secretum cõmissum illud accepisset, nõ cẽseretur cum tanto suo detrimẽto intẽdisse se obligare ad illud seruãdum, si detrimẽtum esset magnum, & sine spe, quòd foret reparãdum, nisi expresè fuisset deductum pactum, vt etiã cum tãto suo detrimento teneretur illud seruare: tunc enim validum esset id pactum, illiq; esset stãdum, vt in posteriori parte huius cõclusionis præcedentis dictum est. Minor verò esset, obligatio ad id secretum seruandum, si casu ãbsq; sua culpa illud sciuisset, vt est satis perspicuum, dictumque ad finem prioris partis præcedentis conclusionis.

Illud tamen obserua, quãdo aliquis detrimentum pateretur in aliquibus suis bonis celãdo secretum alterius, quod casu nouit, aut quod sibi fuit cõmissum, idq; ne ex reuelatione illius alius pateretur grauius dãnum, tũc, si id secretum reuelatum ei non fuit in suum cõmodum, sanè illum, in cuius cõmodum id secretum fuit seruatum, vt vitaretur ei maius damnum, teneri in cõscientiæ foro compensare illi id damnum: imò A in exteriori foro conceditur actio negotiorum gestorum ei, qui in gratiam alterius illud est perpessus aduersus eum, in cuius gratiã illud est passus, si res talis non sit, vt iusta aliqua de causa in exteriori foro non debeat concedi talis actio, vt si interuenit aliqua culpa in eo secreto non reuelando, aut aliud simile.

Nona conclusio. Quãdo ex reuelatione secreti, 12
de quo duabus præcedẽtibus cõclusionibus habitus est sermo, solũ sequeretur damnũ honoris aut famæ, vel bonorũ externorũ diuitiarum alicuius, tunc nõ solùm fas esset scienti tale secretum, illud reuelare ad euadendã propriã, vel suorum, aut etiã cuiusuis alterius innocentis, mortẽ, B mutilationẽ, aut grauia tormenta, sed etiam ad euadendum quodcunq; notabile damnum proprium honoris, famæ, aut bonorum externorum diuitiarum. Quantum autem damnum sustinere in eo euentu quis debeat, ne alienum reuelet secretum, prudentis arbitrio est id iudicãdum, attento damno, quod proximo ex reuelatione talis secreti imminet, & attẽtis cæteris circunstantiis omnibus concurrentibus. Illud addo, plus dãni teneri sustinere illum, qui cum pacto, vt seruaret secretum, illud accepit, quã illum, qui casu id secretum nouit. Imò verò horum vtrumq; petere posse satisfactionẽ dãni, quod sustinuerit, vt seruaret secretum ab eo, in cuius vtilitatem id secretum seruauit, idq; damnum sustinuit, iuxta ea C quæ præcedente conclusione dicta sunt. Atque quãdo aliquis formaliter aut virtute se astrinxit seruare secretum sibi commissum, num petere possit compensationem damnorum, quæ, vt illud seruaret, sustinuit; & quo vsque, quando non fuit expressum, in se suscipere totum onus & dãnum illud seruandi, si quod inde eueniret, iudicãdum est id ex circũstãtiis cõcurrentibus, ex quibus prudentis arbitrio est expẽdendum, an cẽsendus sit velle in se suscipere id detrimentum, si eueniret, aut partẽ, attento quòd in ipsius commodum omnino aut ex parte fuerit id secretum illi reuelatum, aut quòd ipse solicitauerit, vt sibi D reuelaretur, in se suscipiendo onus illud nõ reuelandi, attentisq; aliis circunstãtiis cõcurrentibus.

Primã huius cõclusionis partem, quòd scilicet in eo euẽtu fas sit reuelare id secretũ ad euadenda dãna ibi cõmemorata, affirmat *Sotus de tegẽd. secr. loco citato, & 5. de iust. q. 10. art. 2.* Probari autem potest, quoniã lege caritatis nullus tenetur vitare damna honoris, famæ, aut bonorum externorum diuitiarum proximi cum tãto suo detrimẽto, vt in materia de eleemosyna & aliàs sæpe dictũ est. Nullus itẽ, cui cõmittitur tale secretũ, intẽdit se obligare illud seruare cũ tãto suo dãno, nisi ad illud cũ tãto suo dãno seruãdũ expresse se astringat: atq;, quãdo casu secretũ id nouit, E nõ maior obligatio illud seruãdi cõsurgit ex natura rei, neq; cũ maiori suo detrimẽto, quã si illud per secretũ cõmissũ agnouisset, imò minor tunc consurgit obligatio, vt duabus præcedentibus conclusionibus dictum est: ergo prima pars eius conclusionis vera est. Reliquę verò partes non alia indigent probatione, quàm explanatione, quæ in eis fuit adhibita.

Decima cõclusio: Qui per iniuriã nouit secre- 13
tũ alicuius, tenetur cũ æquali aut cũ paulo suo maiori detrimento id secretũ seruare. Vnde si ex illius reuelatione mors alteri immineret, teneretur potiùs tormẽta ac mortẽ perpeti, quã illud

reue-

reuelare. Si verò ex reuelatione talis secreti solũ immineret alteri damnum in honore, aut fama, vel in bonis externis diuitiarũ; ipsiverò, nisi illud reuelaret, immineret mors, mẽbri amissio, vel imminerent grauia tormenta ac cruciatus, licitè quidam posset illud reuelare; attamen restituere ei proximo teneretur damna omnia ex ea reuelatione illi sequuta.

In priori huius cõclusionis parte cõsentire videntur *Sotus vbi supra conclus.7. & Nauar.c.inter verba.n.561.* Probari autẽ potest, quoniã cùm is per iniuriam atque iniustitiam sciuerit id secretũ, vt, verbi gratia, aperiendo illicitè alienas literas, aut via alia illicitè inquirẽdo crimẽ secretum alicuius, vel aliqua alia simili ratione, sanè tenetur seruare illum indemnem antequam dãna inde illi eueniant, etiã cũ aliquali maiori suo damno, quemadmodum post eadem damna iniustè illi sequuta tenetur ea illi restituere cum æquali aut etiam cum paulo maiori suo damno, vt tractatu.2. Disput.754. & tractatu præcedente Disput.102 est dictum: ergo quando imminet mors proximo ex reuelatione talis secreti, tenetur illud seruare cum detrimento suæ propriæ vitæ; & quando imminet illi aliud damnum, tenetur illum seruare indemnem cum æquali aut paulo maiori suo damno.

Posteriorem verò partem eiusdẽ cõclusionis affirmat *Nauar. vbi supra.n.562.* Potest autem probari, quoniã qua ratione nullus regulariter tenetur restituere bona famæ aut externa, cũ detrimẽto proprię vitæ, aut cum longè maiori suo dãno, quã sit illud, quòd restituere tenetur, estò per iniuriã illud dederit, maximè quãdo spes est, quòd in proximo sine tanto suo dãno restituet, vt disputationibus citatis est dictũ: ita in re proposita, estò quis per iniustitiã veniret in notitiã secreti alicuius, ex cuius detectione nulli imminеat vitæ periculum, sanè non tamen tenetur illud seruare cũ periculo propriæ vitæ, aut cũ lõgè maiori suo detrimẽto, quã sit detrimentũ, quod ex illi⁹ detectione proximo suo imminet, quãdo pactus est illud restituere, maximè si spes sit se illum restituturum. Ratio tamen ac iustitia tunc postulant, vt proximo suo ea omnia damna restituat, quæ sua culpa ita illi sint sequuta.

14 His ita obiter insertis, regrediamur ad infamiã, qua quis se ipsũ infamat, vnde digressi sumus, circa quã vndecima cõclusio est: Illicitum est quẽpiam se ipsum infamare, crimen aliquod sibi imponendo, etiam si id fiat ad euadenda grauissima tormenta, aut ad mortem euadendam. Conclusio hæc facilis est, atque communis omniũ. Cũ enim in eo, quòd crimen sibi aliquis imponat, interueniat mendacium, quod intrinsecè malũ est, nulla sanè ratione fieri potest, vt aliqua de causa id liceat: quare potiùs homo tenetur peti quæcunque gramissima tormenta, mortẽq; ingenti cum merito gloriæque corona perpeti, quã Deũ offendat mendaciũ proferendo, etiam si eo nõ simul se ipsum infamaret. Vnde ii vincti, qui ob crimen falsum, quod negant, tormentis subjiciuntur, aut ad patibulũ ducũtur morte plectẽdi, animandi acriter sunt, ea omnia constãter perferre, crimenq; sibi non imponere ob ingens meritũ, aut cumulatissimũ præmiũ, ipsis paratũ: est enim velut genus quoddam martyrii illa perpeti, ne Deum vel venialiter offendant.

Potissima verò difficultas grauisq; cõtrouersia circa hanc materiã est, nũ qui, ad euadenda grauia tormenta, delictum aliquod sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, lethaliter peccet, an non. *Sotus de tegen.secr.memb.1.q.3.conclus.6.* licèt non omnino firmus, affirmat tamẽ nõ esse peccatũ lethale, filiũ crimen aliquod sibi imponere, ob quod morte sit puniendus, vt ea ratione seruet vitã patris, mortẽq;, quã ille erat subiturus, in se transferat. Quoniã, inquit, id mendacium non est pernicioſum, sed officioſum. *Et mẽb.3.q.4. ad finem conclus.vlt.* ait, esto quis, vt fugeret tormẽta, falsum crimen sibi imponeret, non peccare lethaliter: quoniam id mendacium solùm esset officioſum. Ibi tamen non explicat, vtrùm idem sit, quando ob crimen, quod ita cõfitetur, morte esset plectendus. Tandem. *5. de iust.q.10. ad finem art.2.* affirmat, non esse culpã lethalem, ad euadenda grauia tormenta confiteri crimẽ falsum, ob quod, qui illud cõfitetur, sit morte puniẽdus. Quoniã, inquit, non tenetur homo cũ tanto cruciatu conseruare vitam propriam: eaq; de causa permittere potest mortem breuiorem. Quare censet, id mendacium non esse pernicioſum, sed officioſum. Eandẽ sententiã affirmat *Ledesmius 2.4.q.18.art.2.* quando torméta sunt grauia. Quãdo verò torméta leuia sunt, omnes cõfitẽtur culpam esse lethalem, eum confiteri crimen, quod nõ cõmisit, & propter quod esset morte plectẽdus: quoniã cũ tã paruo dãno vnusquisq; tenetur sub reatu lethalis culpę conseruare propriã vitã.

Contrariã verò sententiã affirmat *Nauar. in Manu.c.18.n.29. & c.inter verb.n.556. & 558.* ductus ex eo, quòd detegere ita crimen falsum, ob quod sit is morte plectendus, est causam esse suæ mortis, quod est culpa lethalis, neq; excusatur ex eo, quòd id fiat ad grauia torméta euadẽda. Eãdẽ sententiã videtur ãplecti *Couar.1.var.resc.2.in calce. n.8.* & iuxta eã intelligit Panor. & alios, atq; addit, neq; Sotũ illã negare. Quod tamẽ nõ video cur scripserit. Licèt enim Sot⁹ nec neget, nec negare possit, si quis eo modo verè esset causa suæ mortis, peccare in eo lethaliter: videtur tamẽ Sotus asserè sẽsisse, in eo illũ nõ esse causã suę mortis, & ob id perspicuè asserit, illũ nõ peccare lethaliter.

In hac re graui circa euẽtus aliquos, qui facilè possunt euenire, sequẽtes subiungã cõclusiones. Duodecima in ordine est. Quãdo quis mor- 15
te est plectẽdus, nisi sibi crimẽ aliquod grauissimũ imponat, solũ peccat venialiter illud sibi imponẽdo, quãdo ex ea criminis illius impositione nõ sequitur notabile scandalũ, neq; iactura notabilis famæ ac bonorũ aliorum. Exemplum est accommodatum in iis, qui propter crimẽ hæreseos, aut apostasiæ à fide, tradendi sunt brachio seculari vt cõburantur, eo quòd id crimẽ sit aduersus illos in tribunali sanctę inquisitionis probatũ sufficiẽter. Si enim aliquãdo fortè cõtingat aliquẽ illorũ innocentẽ esse, & iã res ad eas angustias deueniat, vt nisi sibi id crimẽ imponat, & de eo iã cõfessus misericordiã petat, tradẽdus sit brachia seculari, tũc nõpeccat lethaliter sibi illud imponendo, vt mortẽ euadat, sed solũ peccat venialiter. Ratio autẽ est, quoniã id crimen sibi tũc imponendo, nõ est sibi causa mortis, sed potiùs id efficiendo se ipsum eripit à corporis morte. Itẽ quoniam in eo euentu regulariter ex eo, quòd confiteatur id crimẽ, quod verè nõ commisit, & ad reconciliationem ecclesiæ tanquã de eo confessus admittatur, non generatur maius scandalum,

lũ,quàm generaretur ex eo,quòd publicè cõdẽ- A impoſuit,teneatur illud retractare. Reſpondeo,
naretur tanquam fictus & impœnitens de crimine hæreſcos,aut apoſtaſiæ à fide, & cõbureretur. Itemq; quoniã ex eo, quòd ſibi id crimen tunc imponat,non ſequitur maior iactura honoris & famæ,bonorũq; externorũ diuitiarum, ſibi & ſuis,quàm ſi illud ſibi imponeret: cũ ſimiliter eſſet ei cõfiſcanda omnia bona,ſi illud ſibi nõ imponeret;& maior infamia eſſet ſuis obuentura ex eo,quòd condemnatus de eo crimine tanquã fictus & impœnitẽs cõbureretur,quã ex eo,quòd imponẽdo ſibi id crimen,illudq; confitendo,reconcilietur eccleſiæ:ergo mendaciũ illud nec ſibi nec aliis eſt pernicioſum: ac proinde neq; eſt culpa lethalis,ſed ſolũ venialis. Arbitrorq; Na- B uarrũ in hoc euentu non fuiſſe dicturũ cõtrariũ.

16 Decima-tercia concluſio. Quando aliquis imponendo ita ſibi tale crimen,euaderet quidẽ grauia tormenta,cæterũ condẽnandus eſſet de hæreſi, aut apoſtaſia à fide,confiſcandaq; ei eſſent bona:ſiverò nõ confiteretur id crimen,illud ſibi imponendo,ſed tormenta ſuſtineret,nihil horũ ei eſſet euenturũ,ſed ſolũ eſſet condẽnandus de ſuſpecto in fide,tũc lethaliter peccaret id crimẽ ſibi imponendo,vt grauia fugeret tormẽta,idq; præſertim ſi filios aut nepotes haberet. Concluſionẽ hãc mihi omnino perſuadeo,quoniã mẽdaciũ illud eſſet proximis pernicioſum, dũ cum ſcandalo multitudinis cõdẽnandus eſſet de hæ- C reſi aut apoſtaſia à fide. Eſſet itẽ iniurioſũ fidei ac religioni Chriſtianę, dũ nõ vereretur imponere ſibi notam defectionis à fide,à religioneve Chriſtiana,tanquã qui aliquãdo crediderit falſam eſſe fidẽ,verámve non eſſe Chriſtianã religionẽ. Eſſet quoq; id mendaciũ pernicioſum valde perſonis omnibus ſibi cõſanguinitate aut affinitate coniunctis,dũ infamiæ notam grauiſſimã omnes illæ inde contraherent,eo magis,quo illi plus eſſent cõiunctę,præſertimq; eſſet pernicioſiſimũ deſcendentibus,aut etiam aſcendentibus illius, qui non ſolũ grauiorẽ infamiæ notã contraherent,ſed etiam quos eo ſuo mendacio legitimis priuaret portionibus in bonis ipſius debitis,atq; D eccleſię,non teneretur retractare eam cõfeſſionem. Quoniam id parum iam reſarciret ſcandalum datum,notamq; quã fidei religioniq; Chriſtianę ex ſua parte immiſiſſẽt,eſſetq; ex leui cauſa præbere occaſionem vt interficerentur,ſine ſuo & ſuorum emolumento. Concluſio hæc non alia probatione indiget.

Decima-quinta concluſio. Quando aliquis, ad 18
euadenda quæcunq; tormenta, crimen ſibi imponit,ob quod eſt morte plectendus, lethaliter peccat. Concluſionem hanc cũ Nauarro, &, vt videtur,cũ Couar. in calce n. 8. citati,&aliis,quos citat,mihi perſuadeo aduerſus Sotũ & Ledeſmiũ. Quoniam quamuis homo non teneatur cũ tanto cruciatu,quantus eſt,quod tormẽtis infertur, conſeruare propriam vitam,adhibẽdo remedia, quæ tantos cruciatus afferant & efficiant, quantos tormenta efficiãt,poſſitq; homo licitè mortem potiùs permittere,quàm talia adhibere remedia, nihilominus aliud eſt, nõ conſeruare vitam eis remediis,illaq; non adhibere,quibus cõſeruetur;& aliud lõgè diuerſum eſt, prębere cauſam obiectiuam ac meritoriam mortis, illã confingendo,cùm non ſit,vnde poteſtas publica iuſtè (iuxta eam confeſſionem falſò ſibi exhibitam) moueatur ad condignam mortis pœnam imponendam, exequutionique mandandam: quod

Si retractando ita ſuum crimen,impedire poſſet ſcandalum & dãna commemorata, aut ea reſarcire,teneretur vtique id efficere ſub reatu culpæ lethalis,etiã ſi iterum ſubiciendus eſſet tormentis:idq; ſanè locũ habere poteſt,non ex interuallo,ſaltem ante latam ſententiam. Cæterùm ſi id nihil iã inſeruiat ad impedienda neque ad reſarcięda dãna cõmemorata, ſed potiùs inſeruiat vt ab eo auferatur vita,& creſcant magis, quàm minuant,dãna cõmemorata, vt regulariter euenit ex interuallo ac poſt latã ſententiã, tunc nõ tenetur cũ tanto ſuo maiori detrimento, & nullo,aut ferè nullo,emolumento alio, id crimen, quòd ſibi iniquè impoſuit,retractare.

Decima-quarta cõcluſio. Quando is, cui crimẽ 17
hæreſis,aut apoſtaſiæ à fide, ſufficienter eſt probatũ,vt brachio ſeculari comburẽdus tradatur, eius eſſet cõditionis, de quo alioquin præſũptio non eſſet commiſiſſe id crimen; eo quòd nõ ſit de eorũ progenie,de quibus eſt ea ſuſpicio; præſertim ſi vir eſſet autoritatis,ſanè multum timerẽ,eũ incurrere culpã lethalem, tale crimen ſibi imponendo vt mortẽ euaderet,nihil impediente quòd de eodẽ crimine eſſet publicè condemnãdus,morteq; ob illud eſſet plectẽdus. Derogaret enim autoritati fidei catholicæ ac religioni Chriſtianæ conſentiendo in eã notam, quòd à fide defecerit,deberetq; ue potiùs fortiter mori ſummo cum merito,quàm eo modo fidei ac religionis Chriſtianæ autoritati derogare: ſęperq; de ciuſmodi hominibus, qui id crimen negãdo fortiter moriuntur,pietatis ac Chriſtianę religionis ſigna oſtendendo, quæ vt verè catholici ſolent oſtendere,opinio apud homines manet, fortè innocenter fuiſſe paſſos eam mortem,neq; tantum ſcandalũ ex ea morte generatur, quantũ generaretur,ſi conſentirẽt in notã, quæ eis imponitur,eam confitendo. Poſt confeſſionem autem de eo crimine ad mortem euadendam effectam,ſequutamq; condemnatoriã ſententiam, qua de eo crimine eſſent dãnati ac reconciliati

quod

quod non est conseruare præcisè vitam, sed est causam destructionis illius verè apponere. Hoc autem neque ad fugienda tormenta esse potest licitum: neque ex tormentorum fuga cohonestatur, non solùm quatenus mẽdacium est, quod est intrinsecè malum, nullaque ex causa potest cohonestari, sed etiã quatenus est appositio causæ obiectiuæ meritoriæ mortis, cooperatioq; ad propriã mortem. Sicut enim nulla alia cooperatio ad propriam mortem iniustam in se (qualis est, de qua nunc loquimur) cohonestari ex fuga tormentorum potest, ita neque hęc, quę verè est cooperatio ad eam mortem in se iniustã.

Neque aduersus hanc nostram sententiã mihi objicias. Pari ratione peccare eũ lethaliter, qui metu grauium tormentorum detegit crimẽ suũ verum, de quo non iuridicè interrogatur, & ob quod est morte puniendus: cuius tamen contrariũ cõclusione quinta nos asseruimus. Nõ, inquã, id mihi objicias. Quoniam dispar admodũ est vtrobiq; ratio, quod Nauarrus non attendit. Qui enim in hoc euẽtu, qui nobis objicitur, detegit crimẽ suum verũ, quod detegere non tenebatur, non dat causam obiectiuã & meritoriam suæ mortis, sed detegit, quã iam dederat, & quam contractam iam habebat, cedẽdo iuri suo, quod habebat ad illam non manifestandam ac occultandam, solumque apponit conditionem sine qua ob illam non erat à iudice interficiendus: quod ex rationabili causa est licitum, non solũ in illo exemplo, sed etiam in illo alio in eadem conclusione adhibito, de eo, qui detegit crimen suum, ne innocens propter illud interficiatur, & in quocunque alio simili. At verò in re proposita fingitur, fingendoque objicitur causa meritoria mortis, qua iustè formaliter (sed non materialiter, eo quòd ea causa non sit, sed ficta fuerit à reo) potestas publica mouetur ad mortem infligendam: quare ea impositio sibi ejus criminis cooperatio est ad eam mortem, veraque est causa illius iniusta, non secùs atque qui crimen falsò alicui imponunt, propter quod iudex morte illum iustè formaliter punit, verè dicuntur ac sunt causa iniusta eius mortis.

Petes, vtrùm in euentu conclusionis propositæ, postquã aliquis metu tormentorum sibi crimen imposuit, ob quod est interficiẽdus, teneatur sub culpa noui peccati lethalis aut cõtinuationis præcedentis illud retractare. Ad hoc respõdeo: Si adhuc res sit in statu, in quo retractatio proderit ad mortẽ euadendã, & ad vitãda alia damna, teneri eum sub culpa lethali illud retractare, estò iterum subjiciendus sit eisdem aut grauioribus tormẽtis. Quoniam tenetur auferre causam iniustam mortis, quam dedit, & quam dare censetur continuando, cùm possit illũ auferre retractando crimẽ, quod sibi imposuit, neq; id efficiat. Si verò res iã non sit in statu, in quo retractatio prosit ad mortem euadendã, vt quia lata est iam sententia, tũc non tenetur sub reatu culpæ lethalis illud retractare. Quoniã iã tũc ea retractatio nihil proderit ad vitam cõseruandã, & parum aut nihil proderit ad suam & suorũ famam resarciendam, & regulariter neque ita ad scandalum tollendum, vt sub reatu culpę lethalis ad eam retractationem publicam faciendam teneatur. Semper tamen consulerem, vt quando ille ad patibulum duceretur affereret coram omnibus, etiam cum iureiurando, testando loAcum, & tempus, in quo est, rationemque, quam proximè Deo est redditurus, se nunquam id crimen commisisse, sed metu aut vi tormentorum illud fuisse fassum, sibique imposuisse. Atque ita in similibus euentibus, monitu confessariorum, aut eorũ, qui illos comitantur, adiuuãtq; ad christianè & sanctè moriendum, consueuerunt facere, qui interficiuntur ob crimen, quod non commiserunt.

Decima-sexta conclusio: Lethaliter peccaret filius, qui sibi imponeret crimen patris, ob quod pater erat morte plectendus, vt vitam patris cõseruaret, & in se trãsferret mortẽ, quã pater erat subiturus. Conclusio hæc est aduersum Sotum, qui, vt suprà relatum est, contrarium asserit. Probari autem potest. Primò, quoniã si pater dignus ob id crimen est morte, vt Sotus supponit, nostraque conclusio etiam supponit, sanè ea fraude ac mendacio in iudicio impedire exequutionẽ iustitiæ in eũ, deludereq; eo modo publicas potestates, subjiciendo illis innocẽtẽ loco nocẽtis, qui dignus est ea morte, non videtur carere culpa lethali, vt satis ex se est perspicuum. Secundò, quoniam cooperari eo modo ad suam propriam mortem, fingendo in iudicio causam iustam obiectiuam illius, qui verè non est, peccatum vtiq; est lethale, vt circa præcedentem conclusionem est ostensum: quoniam non est solùm permittere propriam mortẽ, & vitã exponere pro patre, sed est cooperari iniustè ad propriam mortem, vt pater à iusta & commerita morte fraudulenter liberetur, quod nulla ratione potest esse licitum, sed in re ex vtraque parte adeò graui est perspicuè culpa lethalis. Adde, si id liceret ad eripiendũ patrem à morte iusta & ab eo cõmerita, idem liceret ad eripiendum similiter amicum, & quemcunque alium proximum; cùm pro proximo liceat rationabili ex causa exponere propriam vitam: id verò Sotus non concedet.

Vt verò aliquod etiam hoc loco de eis inferamus, qui mortis metu, aut tormentorum, aliis crimen imponunt, atque de iis, qui odio vel alia de causa idem efficiũt, decima-septima conclusio est: Lethaliter peccant, atque ad restitutionem omnium damnorum inde sequutorum tenentur, non solùm qui odio vel pecunia corrupti, aut alia simili de causa crimen notabile alicui imponunt, itemque illi, qui ad mortem aut tormenta euadenda, quæ iustè eis tam formaliter quàm materialiter infliguntur, sed etiam illi, qui ad mortem aut grauissima tormenta euadenda, quæ eis iniustè materialiter aut formaliter inferuntur, alios falsò in æquale aut in ferè æquale discrimen adducunt. De hac conclusione nullus est, qui iure possit dubitare. Quoniam perspicuum est, culpam esse lethalem cum restituendi onere, odio, aut alia simili de causa, iniustè alicui imponere crimen, in quo imponendo tanta cernatur iniuria, quæ ad culpam sufficiat lethalem. Perspicuum etiam est, eum, cui iustè formaliter aut materialiter infliguntur tormenta, vt fateatur verum, de quo iuridicè interrogatur, lethaliter peccare, imponendo innocenti quodcunque notabile crimen, vt ipse ea via mortem effugiat, aut vt liberetur à tormentis id reticendo, quod confiteri tenetur. Id quod, dum reus de complicibus interrogatur, facilè potest euenire, detegendo aliquos innocẽtes, seu potiùs crimen illis imponẽ-

imponendo, vt nocentes reticeat. Euenire etiam A idem potest, dum reus interrogatur de suo proprio crimine, infamando alios de eodem crimine, aut de aliis criminibus, sperando se ita à morte aut à tormentis euasurum. Perspicuum item est, eum, cui mors aut grauissima tormenta iniustè materialiter parantur, quia verè est innocens; itemque eum, cui solùm formaliter iniustè parantur, quia cùm verè sit in culpa, de qua agitur, non tamen interrogatur iuridicè, lethaliter peccare alios in simile, æquale, aut ferè æquale discrimen falsò adducendo, vt ipse ea mala euadat. Cùm enim nullus alius iniustitiæ aut caritatis lege teneatur eiusmodi pati, vt à morte iniusta, aut à tormentis iniustis, illos liberet: consequens profectò est, ipsos lethaliter contra iustitiam peccare, alios in simile, æquale, aut ferè æquale discrimen adducendo, vt ipsi eiusmodi iniusta discrimina euadant.

Quod autem hoc loco posset in dubium vocari, est: Num quãdo alicui mors aut grauia tormenta, iniusta materialiter aut formaliter, imminent, lethaliter is peccet, crimen aliquod alicui imponendo, ex quo non sequitur illi iactura vitæ, aut membri, aliúdve corporis damnum, sed solùm iactura honoris, famæ, aut bonorum externorum diuitiarum, idque vt ipse grauiora illa alia mala euitet, quæ ipsi iniustè imminent. Ratio verò dubitandi est, quoniam cũ vnusquisque lege caritatis teneatur exponere honorem & famam ac bona externa diuitiarum pro vita corporali alterius, quando ille alius non potest aliter euadere mortem, mutilationem, aut graué corporis læsionem, quæ iniustè ei imminẽt; cõsequens esse videtur, vt qui ad similia damna vitanda, crimen id alteri imponit, ex quo solùm periclitantur fama & bona externa diuitiarum illius, nullam illi iniuriam efficiat, ac proinde vt non peccet lethaliter id mendacium asserendo, idve crimen illi imponendo, sed solùm venialiter. Dicendum tamen est, id esse culpam lethalẽ iniustitiæ. Primò quoniam honorem & famam nullus videtur teneri exponere pro vita corporali alterius: quoniam non est mendacium ad id à Deo ordinatum & collatum hominibus, vt bona externa diuitiarum ad conseruationem vitæ à Deo ordinata sunt, ad idque creata & collata ab eo sunt hominibus in genere: & quando daremus, obligationem esse exponere honorem & famam pro vita corporali proximi, id solùm esset lege caritatis, non verò lege iustitiæ: peccatum verò lethale iniustitiæ est, contra voluntatem alicuius, saltem præsumptã, accipere aliquid notabile ab eo autoritate priuata, quod ille solùm tenetur dare ex caritate: pauperes enim contra præsumptam voluntatem aliorum accipere non possunt autoritate propria, quod illi sola caritatis lege tenentur inter alios distribuere, atque si illud accipiant, contra iustitiam peccant, ac furtum committunt: quare cùm impositione criminis falsi alicui proximo semper inferatur præiudicium famæ illius, consequens est, vt si notabile præiudicium famæ eo inferatur, culpa interueniat lethalis iniustitiæ illud illi contra voluntatem illius præsumptam imponendo, etiam si id fiat ad euadendam propriam mortem. Neque mihi obijcias, ad euadendam mortem corporis, licitè accipi bona externa diuitiarum alicuius, eo inuito: cùm tamen ipse solùm ex caritate teneatur ea tunc dare. Non, inquam, id mihi objicias, quoniam in materia de eleemosyna ostẽdimus, accipientem habere tunc ius iustitiæ ad illa accipiendum, ac proinde illorum dominum peccare contra iustitiam, teneríque ad restitutionẽ damnorum subsequutorum, si resistat volenti illa accipere ad euadendam extremam vitæ necessitatem: longè autem aliter res se habet in aliis bonis, quæ non sunt externa diuitiarum, vt ibidem dictum est: quoniam hæc alia bona non sunt condita à Deo omnibus quo ad dominium communia, vt condita fuerunt bona externa diuitiarum prima sui constitutione. Secundò, idẽ B probatur, quoniam nullus in eo euentu tenetur subuenire extremè indigenti ea via, nempe mẽtiendo, falsumque crimen sibi imponendo; & multo minùs ipse, qui extremè indiget, ius habet sumendi sua autoritate tale subueniendi sibi genus, mentiendo, falsumque crimen suo proximo imponendo: ergo quicquid damni ita dat, vt suæ vitæ suique corporis incolumitati consulat, est absque vllo iure, ac proinde contra iustitiam, eaque de causa lethaliter cõtra iustitiam in eo peccat, si id damnum tantum sit, vt ad culpam sufficiat lethalem, teneturque illud restituere. Illud admonuerim, quamuis malè admitteretur, illum absque culpa lethali posse id effi- C cere cum solo veniali peccato ob mendacium, nihilominus teneri restituere damnum, quod eo modo dederit. Quoniam, qui iustè damnum dat, vt suæ extremæ necessitati consulat, tenetur illud restituere, nisi intelligat eum, qui illud patitur, contentum fore, vt illud non restituat: neque enim hic alius tenebatur de iustitia subuenire illi gratis, neque etiam de caritate, si is, qui id damnum dat, potens sit illud restituere, vt in materia de eleemosyna comprobatum fuit.

Decima-octaua conclusio: Qui alicui impo- 2[illegible]
suisset crimẽ, ob quod periclitaretur vita, membrum, aut læsio notabilis corporis illius, vel ob quod sequeretur illi ac suis talis ac tanta iactura D famæ & bonorum externorum diuitiarum, vt æquipararetur, aut ferè æquipararetur morti, saltem is teneretur illud retractare cũ periculo tormentorum ac propriæ vitæ, quando esset spes ea retractatione impedienda aut reparanda esse ea damna. Quòd si non esset talis spes, tunc non teneretur se retractare, sed teneretur pro viribus restituere ea omnia damna ita iniustè data.

Prior pars huius conclusionis probatur, quoniam vnusquisque tenetur restituere damna à se iniustè data, cum æquali sua iactura, atque etiam cum paulo maiori, vt *conclus. 10. extractatu 2, disp. 754. & extractatu 3. Disp. 102.* dictum est: quare si E is, qui crimen imposuisset, ob quod ea damna imminerent aut data essent, sua retractatione posset illa impedire aut resarcire, teneretur id efficere, nihil impediente, quod inde sequeretur mors ac infamia ipsius.

Hinc colligitur, si aliquis crimen hæreseos alicui imposuisset, teneri eum se ipsum retractare cum periculo propriæ vitæ, honoris, ac famæ, etiã si ille alius mortis timore aut vi tormentorum fassus fuisset id crimen, illud sibi imponendo, neque iam vita illius periclitaretur. Ratio autem est, quoniam, vt tractatu præcedente versus finem Disp. 102 respondendum ad 3 argumentum pro opinione *Adriani. §. illud circa argumentum*,

tum, &c. dicebamus, infamia, quã ille sibi & suis contrahit, aut contraxit, cum iactura bonorum omnium externorum, vel æquantur morti, aut illam superant, cùm satius illi esset non viuere, quàm viuere cum tanta miseria, vel certè parum mors tantam miseriam superat: quare, quãdo spes esset, ea retractatione illa omnia mala, vel omnino, vel magna ex parte, impedienda aut resarcienda, sanè ille teneretur se ipsum retractare.

Posterior verò pars conclusionis ex eo probatur, quoniã si retractatio profutura iã non est, vt prædicta damna impediantur aut resarciantur, sed potiùs ex illa sit sequendum, vt qui se retractat, sine vllo aut cum exiguo emolumento aliorum, puniatur vitæ ac famæ amissione, satis perspicuum est, non teneri se retractare, sed solùm teneri restituere pro viribus omnia damna ex ea falsi criminis impositione à se data, aliisque sequuta.

Atque hoc maximè est attendendum pro his, qui in tribunali sanctæ inquisitionis reconciliãtur, posteaque confessariis dicunt, se mortis metu aut tormentorum imposuisse aliquibus crimina in eo sancto tribunali, qui iam ab eodem sancto tribunali condemnati ac puniti sunt. Cũ enim hi, si sint eiusdem nationis suspectæ cum aliis condemnatis, quibus dicunt crimen imposuisse, suspecti in ea retractatione habeantur, sanè propter eorum retractationem nihil de sententia iam lata mutabitur, maximè cùm nõ vnius solùm testimonio lata fuerit, cautiqúe esse soleant inquisitores hæreticæ prauitatis in attendendis circunstantiis omnibus concurrentibus, & in exactissimè examinanda veritate, antequam ad condemnationem procedant: quare talis retractatio solùm inseruiet, vt ipsi, qui illam efficerent, iterum comprehenderentur ac traderentur puniendi brachio seculari. Ex qualitate itaq; eius, qui se retractaturus est, & ex aliis circunstãtiis concurrentibus, iudicandum est, num retractatio proderit, vt detegatur veritas. Et quidem quando esset spes probabilis, veritatem ea retractatione comperiendam, mortemqúe aut infamiam alicuius impediendam, vel restituendum aliquem esse in suum honorem ac famam, & in possessionem suorum bonorum externorum, saltem quo ad suos successores, si ille iam esset defunctus, teneretur is se retractare, propter honorem & famam defuncti, suorumqúe consanguineorum, & vt damnatorum bona suis saltem successoribus restituantur. Atque quamuis confessarii in eo tribunali fidem adhibere debeant quibuscunque pænitentibus pro se & contra se, vt illis cautè ac sufficienter examinatis, oneraqúe conscientia eorum, quando id viderint expedire, vt attendant, an res ita se habeat, eis præcipiant ac iniungant, quæ, iuxta ea quæ fuerint confessi, facere tenentur, aut expediet illis iniũgere, non tamen esse debent nimium creduli, sed potiùs cauti, ne fortè decipiantur ab iis, qui nationis sunt suspectæ, & quos ipsis non constat ex animo conuersos esse ad fidem: neque item esse debent plus iusto increduli, maximè quo ad ea, quæ ad id tribunal internum spectant.

22 Decima-nona conclusio. Quando crimen alicui impositum tale non esset, vt ex illo ei immineret mors vel amissio membri, aut grauis corporis læsio, vel talis iactura famæ ac bonorum externorum, quæ morti ferè æquaretur, tunc qui illud imposuisset, teneretur se retractare, si ea retractatione impedire aut resarcire posset ea dãna: modò tamen is, cui crimen est impositum, contentus non esset alia satisfactione: & modò ea retractatio non cederet in longè maius damnum eius, qui crimen imposuit, quàm sit damnũ, quod criminis impositione dedit. Vnde cum periculo propriæ vitæ, aut membri, vel grauis læsionis corporis, vel cum quouis alio longè maiori damno suo proprio, quàm sit damnum quod dedit, non tenetur se retractare. Tenetur tamen alia via restituere pro viribus totum damnum à se iniustè datum. Conclusio hæc perspicua est ex dictis tractatu 2. Disp. 754, & tractatu 3. Disput. 102 citatis. Quiuis enim restituere quidem tenetur damnum à se iniustè datum, cum æquali aut cum paulo maiori suo damno ac detrimento: cum longè tamen maiori non tenetur, maximè quando alia via fieri potest compensatio: nunquamqúe cum periculo vitæ aut membri tenetur restituere damna, quæ longè sunt inferiora.

Illud hoc loco obiter circa hactenus dicta admonuerim. Doctores multos ductos. c. 1. 15. q. 6. asserere, confessionẽ criminis tormentis extortam non infamare confitentem. Hoc verò bene & malè potest intelligi. Si enim intelligatur de confessione iuridicè extorta, & propter quam reus licitè cõdẽnatur, falsum profectò est. Quoniam ita condemnatus infamis est infamia iuris & facti, in cuentibus Disp. 7, 8, & 9 explicatis. Neque asseritur contrarium in eo capite, in quo solùm est sermo de iis, quæ metu iniusto tormẽtisque iniustis extorquentur, ob quæ meritò voluit ille summus Pontifex nullum esse infamen, vt similes coactiones cessarent, quæ ministris ecclesiæ fiebant, vt patet id caput intuenti. Atq; sermo ibi est de infamia iuris, vt *Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2.* rectè affirmat. Infamiam quippe, quæ ex natura rei ex tali cõfessione oritur, opinionémve, quam de eo modo confitente ac imponente sibi crimen homines concipiunt, nec tollere possunt, nec intendunt iura.

Supereſt respondeamus ad argumenta pro opinione Caiet. & aliorum proposita. Ad primum itaque dicendum est, in eo loco Ecclesiastici 41 non tam tradi præceptum, quàm admonitionẽ ac saluberrimum concilium. Neque eam admonitionem ac consilium esse, vt aliter bonum nomen quæramus, quàm quærendo ac sectando virtutem, operaqúe illius exercendo, quã bonũ nomen in hoc seculo & in futuro consequitur tanquam effectus, parsque præmii illius. Cum enim præmisisset ibi scriptura: *Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini*, id est, ita vestro arbitrio derelinquendo ac transgrediendo legem Altissimi, vitamqúe in peccatis peragendo, efficietis vt in maledictione, qua à Deo ea de causa estis maledicti, sitis nati, viuatísve: *& si mortui fueritis*, (ita in peccatis vitam finiendo) *in maledictione* (æterna scilicet) *erit pars vestra. Omnia, quæ de terra sunt, in terram reuertuntur: sic impii à maledicto in perditionem*, id est, sicut quæ de terra orta sunt, in terram per mortem reuertuntur: sic impii à maledicto, quo dum viuunt maledicti ob sua crimina à Deo & ab hominibus sunt, per mortem transeunt in æternam perditionẽ, seu

seu damnationem. *Luctus hominum in corpore ipsorum*, id est, tempore mortis, dum corpus deponunt, lugentur homines, tuncque in eo luctu (vt eo tempore fiebat) prædicantur gesta ac virtutes eorum: *nomen autem impiorum delebitur*, ac peribit, eruntque in perpetuam ignominiam & opprobium coram Deo. Hæc, inquam, cùm ibi præmisisset scriptura, cõtinuò subiunxit: *Curam habe de bono nomine* (quale scilicet est illud, quod de virtute ac sancta vita in hoc seculo & in futuro coram Deo comparatur) *Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri preciosi & magni.* Quòd autem quærendum sit virtuti ac sanctæ vitæ insistendo, tanquam effectus ac pars præmii illius in hoc seculo & in futuro, continuò subiungit scriptura, dicens: *Bonæ vitæ* (qua scilicet id bonum nomen comparatur) *numerus dierum*, (qui finiuntur breui, & cum eis labor & cura in virtute exercenda, operandoque meritoriè) *bonum autem nomen permanebit in æternum.* Eo itaque in loco admonet sapiens, non quidem quærere bonum nomen, quod cum hoc seculo peribit, quale est, quod mundi gloriæque inanis cupidi quærunt: sed curare nos admonet bonum nomen, quod in æternum manebit. Neque illud curare admonet, id insectando, perinde si quis inaniter suam quæret vmbram insectando illam, sic enim insectantem fugeret, vt vsu euenire iis quotidie solet, qui opera virtutũ ob gloriam inanem exercent: sed curam illius habere nos admonet quærendo ac sectando virtutem, vnde oritur bonum id nomen, & quam id bonũ nomen consequitur. Ex eo ergo scripturæ testimonio non sequitur, peccatum lethale aut veniale esse, aliquem esse sine famæ prodigum: sed ex natura ipsa rei, attentis circunstantiis omnibus concurrentibus, est expendendum, quando prodigere famam, infamiámve sponte ac libere subire, culpa sit lethalis, quando solùm sit venialis, & quando nulla sit culpa, sed potiùs sit meritum. Illud quoque Prouerb. 22: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, de eodem nomine bono intelligitur, quod virtutem sanctãque vitam consequitur. Additurque ibidem, *Super argentum & aurum gratia bona*, hoc est, gratũ esse coram Deo & hominibus ob eandem virtutem, vitæque sanctitatem.

Ad secundum dicendum est, Augustinum eo in loco solùm velle vtrumque esse peccatum, & vtrumque suo modo prohibitum esse octauo decalogi præcepto: quod nos confitemur. Vnde illud verbum, non minus, non significat ibidem, quod non leuius, sed idem, quod sicut, seu quod perinde, quasi comparatio in eo sit, quòd vtrũq; sit peccatum, non verò in quantitate & grauitate peccati: quare inde non habetur, aliquem se ipsum infamare falsum testimonium aduersus se ipsum dicendo, ex suo genere est peccatum lethale, sicut ex suo genere peccatum est falsum testimonium dicere aduersus alterum.

Ad tertium dicendum est, eo in loco esse sermonem de contemnentibus suam famam præbendo aliis occasionem suspicionis peccati lethalis cum illorum scãdalo, quod suprà est dictũ esse culpam lethalem: contemnere verò propriã famam quando nos non præbemus occasionem, & quando necessarium est illam curare ad tollendum aliorum scandalum, & vt non impediatur notabilis proximorũ profectus, Sanctis esse consuetum. Paul. enim. 1 ad Cor. 4. ait: *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Pro minimo* dixit, & non, pro nullo: quoniam bona fama apud homines in hoc seculo bonum aliquod est.

Ad quartum negandum est, vnumquemque præcepto caritatis teneri plus se ipsum diligere, quàm alium, maximè in iis, quæ ad vitam æternã consequendam necessaria non sunt. Aliud quippe est, posse ordine caritatis præponere dilectionem sui dilectioni proximi; aliud verò longè diuersum est, ad id teneri præcepto caritatis: atque quamuis primum sit verum, secundum tamẽ est falsum. Etenim meritoriè potest quis præponere vitam proximi suæ vitæ propriæ, vt dictum est. Præterea in re, de qua disputamus, obligatio nõ infamandi proximum non solùm est ex caritate, sed etiam ex iustitia, obligatio verò non infamandi se ipsum est solùm ex caritate: cùm verò non possit quis cedere iuri alterius, sicut cedere potest suo proprio iuri, grauiùs sanè multo, cæteris paribus, peccat infamando proximum, quam infamando se ipsum. Illud verò, quod Caiet. addit, aliquem scilicet se ipsum infamando, iniustitiam committere contra communitatem, cuius est pars, ostensum est falsum omnino esse.

Ad quintum negandum est, aliquem se ipsum infamare esse ex suo genere culpam lethalẽ: contrariũ quippe est à nobis ostensum. Estò autem id ex suo genere esset culpa lethalis, sicut abscindere sibi membrum ex suo genere est culpa lethalis; cùm tamen intrinsecè non sit malum, liceret sanè ex rationabili causa, qua cohonestaretur, illud efficere, qualis interdũ esset fuga immanium tormentorum, aut liberare innocentem, qui ob nostrum delictum, quod ignoraretur à nobis esse patratum, duceretur ad patibulum, vt ostensum suprà fuit: sicut etiam ad vitam conseruandam licitum est abscindere membrum, vt tractatu præcedente fuit comprobatum.

De pœna pro iniuria contra honorem ac famam illata. Disp. 38.

SVMMARIVM.

1. *Repetuntur nonnulla ex antè dictis de iniuria, contumelia.*
2. *Qui alicui conuitiatur, aut aliquid dicit quod famæ illius præiudicet, ex eo quòd addat aut præmittat, saluo honore qui ei debetur, non ideo impeditur aduersus eum actio iniuriarum neque excusatur à pœna.*
3. *An si aliquis verbum contumelioſum alicui in ſua præſentia vel abſentia dixerit, aut detractiuũ famæ; iſq; cui hoc dictum ſit, actionem iniuriarum ei intẽtet, ea iniuriarum actio ceſſet ea exceptione quòd verum dixerit, paratuſq; ſit probare, adeò vt ſi id probet, alio contendente falſum eſſe, euadat omnino pœnam, & ita iniuriarum actio ceſſet.*
4. *Si quis verba ex ſe contumelioſa in aliquem etiã iratus proferret, cenſeretur irrogaſſe contumeliam, ac proinde agi contra eum poſſet de iniuriis, niſi ſufficienter probaret, ſe illa eo animo non dixiſſe.*
5. *Cum duo ſe mutuò contumelia affecerunt, vtriq; competit aduerſus alterum actio iniuriarum.*

6. *Si*

6. *Si quis in Hispania verè adulteram vocaret adulteram, aut viro eius adulterium vxoris improperet, tenetur actione iniuriarum, licet verum sit, & punitur pro quantitate iniuriæ spectatis circumstantiis.*

7. *Quia liberi parentes, nec liberti patronos, nec descendentes ascendentes in causa criminali, aut quæ notam illis irroget, accusare possunt; inde fit, vt neque, ad euadendam pœnam iniuriæ contra illos illatam, admittantur ad probandum verum esse quod in præiudicium honoris illorum dixerunt.*

8. *Iniuria irrogatur, si gestibus aut quibuscũque motibus corporis, aut veste ad id induta, vel quauis alia ratione, aliquis aliquem imitetur, aliquid fœdum in illo denotando, vel ridiculũ, quo honor eius quodammodo lædatur, & potest aduersus eiusmodi intentari actio iniuriarum.*

9. *Fœminæ fit iniuria, si illa honestè viuat, atque aliquid fiat quo pudicitia illius attentetur, verbo, scripto, nutu, ita vt id honori eius deroget, competitq; pro ea actio iniuriarum patri, sponso, aut marito, pro conditione status.*

10. *Iniuriam infert, iniuriarúmque actio aduersus eum competit, qui alium insequitur, vt ei noceat, aut qui illum includit in loco aliquo, aut aliquid huiusmodi facit.*

11. *Impuber non potest accusari iniuriarum, qui scilicet decimum cum dimidio annum non excesserit: at bene extra eam ætatem.*

12. *Actio iniuriarum competit etiam aduersus causas iniuriarum, vt consulentes, mandantes.*

13. *Qui sine principis authoritate vel iudicis domũ moribundi ingreditur, & ibi, intuitu quòd infirmus ei aliquid debeat, bona aliqua occupat vel obsignat, amittit eo ipso debitum, & insuper, siue debitor moribundus esset siue non, soluit tantundẽ, ac sibi deberi dicebat, hæredibus eius defuncti, & insuper tertia parte bonorum suorum à Rege confiscatur, & redditur infamis.*

14. *Qui sepulchrum defuncti violat vel rumpit, lapides inde auferendo, punitur pœna X. librarum auri fisco Regis.*

15. *Qui furantur vestes, cum quibus defuncti humati sunt, si armati id faciant, morte plectuntur; sin minus, vsque ad pœnam metalli damnantur.*

16. *Qui corpora aut ossa defunctorum violant, si humiliores sint, morte plectuntur; si honestiores, perpetuum vel deportantur, vel in metalla damnantur.*

17. *Gentilium verò & paganorum sepulcra violantur impunè.*

18. *Si quæ alia iniuria fiat defuncto, ita vt ad infamiam illius pertineat, ad illius hæredes spectat nomine proprio intentare iniuriarum actionem.*

19. *Si corpus defuncti ratione debiti à creditore sepeliri impediatur, is creditor puniebatur pœna L. librarum auri, aut si soluendo non esset, in corpore pœna arbitraria iudicis.*

20. *Quando mancipium iniuriam intulit, rationeq; eius iniuriæ, quæ absque culpa domini illata fuit, iniuriarum actio competit, tunc si iniuria sufficienter compensetur punitione corporali mancipii, quæ nec mortem ei inferat, neque illum in aliquo mẽbro mutilet, tenetur tunc dominus tradere id mancipium, vt iudicis arbitrio puniatur.*

A TRactatu præcedente à Disp. 40, occasione iniuriæ huic quarto tractatu propriæ, quãdo est coniuncta cum læsione, damnóve corpori illato, (quod proprium erat eius loci) diximus copiosè omnia ferè, quæ hoc loco dici poterant, quæque magis propria erant huius loci. Vnde illa hoc loco magno nos onere leuabunt, reuideríque poterunt quo ad ea, quæ propria sunt huius loci.

Disputatione 40 citata duplicem iniuriam cum Vlpiano distinximus. Vnam latissimè sumptam, prout quicquid non iure fit, cum iuréve alterius pugnat, iniuria dicitur, quasi non iure seu contra ius alterius factum. Alteram verò B presse sumptam, prout est idem, quod contumelia, ita scilicet vt quicquid in alterius contemptũ fit, seu cedit, iniustéque est factum, iniuria presse dicatur, siue ea iniuria ac contemptus coniuncta sit cum læsione ac damno corporis, vel bonorum externorum diuitiarum, siue non. Atque hæc est, quæ præcisè sumpta à quocunque alio dãno, eóve modo præcisè spectata, ad hunc quartum de iustitia tractatum pertinet, illiusque est propria, siue illata sit verbis, aut quocunque alio signo, siue facto aliquo.

Illud tamen est addendum, contumeliam pro ea iniuria presse sumpta, huicque tractatui quarto propria, latiùs patère, quàm pateat contume- C lia prout præcisè est contra bonum honoris, vt de contumelia hactenùs in hoc tractatu loquuti sumus. Quicquid enim contra famam iniuste fit, sanè in contemptum & abiectionem eius, cuius est ea fama, in existimatione hominum cedit, ad iniuriamque pertinet huic tractatui propriam, de cuius pœna actioneque iniuriarum propter illam hoc loco disputamus. Hoc dumtaxat obseruato, quòd dum ea iniuria latet eum, qui illam est passus, eosque ad quos iniuria illius prosequi iuris dispositione spectat, etiam ex officio, iuxta ea quæ tractatu præcedente disp. 42 dicta sunt, vtlatère solet dum detractione est illata, quæ à tergo eius fit, de cuius fama detrahitur, necdum- D que honorem contingit, vt ex parte suoque modo cõtingere videtur, eo ipso, quòd ea detractio ad notitiam illius peruenit, sanè quemadmodũ in illo interim dum ad notitiam illius, aut illorũ, ad quos prosequi iniuriam illius spectat, non deuenit, locum non habet intentari actionem pro ea iniuria illata, ita neque locum habet infligendi pœnam pro ea iniuria. Itaque nobis hoc loco sermo est de pœna pro iniuria presse sumpta, siue illata illa sit contra honorẽ, siue cõtra famam, & de actione iniuriarũ, quæ pro iniuria, vt vtrãq; cõprehendit, cõpetit. Tametsi locũ nõ habeat intẽtari actionẽ iniuriarũ, & per cõsequens neq; pœna infligi, pro iniuria contra famam illata, in- E terim dũ ea latet illum, qui eam est passus, illosq; ad quos iuris dispositione pertinet iniuriam illius prosequi. Quòd verò iniuriarum actio competat, etiam quando iniuria est detractio contra solam famam, deuenitque ad notitiam diffamati, habetur apertè *l. 1. titu. 9. part. 7.* illis verbis: *La otra manera es, quando dixesse mal delante muchos por palabras razonandolo mal, o infamandole de algũ yerro, o denostandolo. Esso mesmo dezimos que seria, que dixesse mal del a su señor con intencion de le fazer tuerto o deshonra, o por le fazer perder su merced. Y de tal deshonra como esta puede demandar emmienda aquel, à quien la fiziere, tambien si no estu-*

estuuie se delante, quando le fizieron la deshonra, comoss estuuiesse presente. Idem habetur. *l. 4. eod. titu.* quæ exprimit etiam si id fiat gestibus & motibus corporis in absentia. Consentit. *l. 8. titu. 6. eadem part. 7.* Consentit præterea lex item apud Labeonem. *§. conuitium ff. de iniuriis* illis verbis; *Conuitium non tantùm præsenti, verùm absenti fieri posse Labeo scribit.*

Eadem 40 disputatione iniuriam hoc modo sumptam distinximus in atrocem seu grauem, & in non atrocem seu leuem, & quid vtraque sit explanauimus.

Diximus etiam, pro iniuria eodē modo sumpta actionem iniuriarum nuncupatam concedi, seu competere. Atque ei, cui conceditur, esse integrum eligere, vel agere ciuiliter ad pænam pecuniariam ipsimet parti læsæ applicandam, vel criminaliter ad pænam corporalem: interdumq; intētata ea criminali actione iudicem imponere reo pænam pecuniarium, vel solam, vel vnà cum corporali, prout delicta, circunstantiā personæ, & alias concurrentes, viderit postulare: tuncque eam pecuniariam pænam habere rationem pænæ criminalis, neque ad partem iniuriæ affectam eam attinere, sed pertinere ad fiscum.

Diximus præterea, pænam, quæ iniuriarum actione imponitur, esse arbitrariam, & qualiter taxanda sit, quando agitur ciuiliter ad pænam pecuniariam parti applicandam. In aliquibus verò paucis criminibus diximus, pænam esse ordinariam à lege statutam, quorum aliqua ibi commemorauimus, & reliqua hoc loco explicanda relinquimus. Illud verò addo, quando pæna pro aliqua iniuria est ordinaria à lege taxata, tunc solùm posse agi ad eam pænam, neque esse integrum iniuriam passo, eive qui illius iniuriam prosequitur, agere indifferenter pro ea iniuria, ciuiliter aut criminaliter, vt maluerit.

Item ibidem diximus, quando iniuriarū actio intentari possit per procuratorem, & quādo per procuratorem possit ad eam responderi; quando non item.

Ibidem quoque diximus, quando iniuria est coniuncta cum damno corporis, tunc id damnū cum iniuria computari, facereque accrescere iniuriæ quantitatem, neque pro eo damno competere distinctam actionem, sed simul cum iniuria actione iniuriarum puniri, grauiori pæna imposita, quàm si ad solam iniuriam, sumptam præcisè ab ea læsione ac damno, attenderetur. Quando verò iniuria est coniuncta cum damno in bonis externis diuitiarum, etiam cū eo, quod lege Aquilia resarcitur, competere distinctas actiones, siue simul siue seorsim intenterentur vna post aliam, vnam quidem ad iniuriam vindicandam, alteram verò ad damnum resarciendum, quin & vt pæna lege Aquilia pro eo delicto statuta soluatur.

Eodem tractatu præcedente Disp. 42 diximus, quot modis actio iniuriarum cesset ac tollatur omnino quoad iniuriam, de qua nobis hoc loco est sermo, sumptam præcisè à damno simul dato in bonis externis, ita vt intentari aut prosequi deinceps non possit actio pro ea iniuria ad pænam, neque ad ciuilem neque criminalē. Dictum etiā est, quando, si remissa sit iniuria à patte offensa, procedere non possit iudex in hoc regno ex officio ad illam puniēdā, siue actio antea fuerit intentata, siue non, & quando ac quousq; procedere nihilominus possit. Et quando pars offensa censeatur tacitè remisisse iniuriam, vt deinceps propter illam intentare non possit iniuriarum actionem. Item actionem iniuriarum non intentatam intra annum præscribi vt intētari deinceps non possit. Et quando annus ille esse debeat vtilis, & quando sit satis cum esse continuum, & num ignorati iniuriam, currere incipiat.

Eodem tractatu præcedente Disp. 43 explanatum etiam fuit, quando & quousque morte iniuriam affecti, aut eius, qui iniuria affecit, actio iniuriarum expiret, aut non expiret.

In eodem tractatu disp. 44. diximus, iniuriā, de qua hoc loco est sermo, esse crimen priuatū, & quando priuilegium, maximè de iure Lusitano, habeat, vt quiuis de populo accusare de illa possit, & quando iudex de iure eiusdem regni possit, aut non possit, ex officio procedere ad illam puniendam. Et quibus accusare cōpetit prosequendo suorum iniuriam. Et disp. 45 dictum est, qui ex eis quibus præferantur, & quorum remissio sufficiat, aut necessaria sit. Quæ sanè plus locum habent quo ad homicidium, quàm quo ad alias iniurias, circa quas, si defunctus litem fuerat contestatus, ad hæredes illius, qua tales sunt, transit ea actio, & non ad alios. Si verò iniuria facta sit defuncto post eius mortem, actio competit hæredibus & consanguineis, sed hæredes consanguineis præferuntur. De qua etiam re quædam dixeramus eodem tractatu 3, Disp. 2.

In eodē tractatu Disp. 46. conclus. 3. circa partem primam dictum est, circa iniuriam, de qua est hoc loco sermo, validam esse gratuitam remissionem, ac transactionem, quatenus circa illam agi potest ciuiliter, non verò ad impediendum progressum iudicis ad illam puniendam, quantum est legibus ei permissum ac ordinatum vt procedat, neque item si cæptum sit agi criminaliter. Eadem verò disputatione & 47 sequenti dictum est, de consuetudine locum hodie in Domnibus criminibus habere in hoc regno & in Lusitania transactionem, tametsi non publicam coram tabellione ac iudice; eamque non impedire iudices procedere ex officio ad eandem, delicta in bonum commune reipublicæ puniendā, quatenus iuribus est eis permissum ac dispositum vt procedant.

Sunt verò hoc loco nonnulla addenda, quæ 2 in ea disputatione 40 citata reseruauimus. Atque in primis admonet *Couar. 1. var. resol. c. 11. n. 1.* cum communi doctorum sententia, quā refert, qui conuicium in aliquem conjicit, aut aliud dicit, quod famæ illius præiudicet, ex eo quòd addat, aut præmittat, saluo honore, qui ei debetur, E non propterea impediri aduersus eum actionem iniuriarum, neque excusari à parte pænæ. Cùm enim contrarium conuicio aut infamatio illa efficiat, eius, quod id verbum appositum significat, nihil appositio eius verbi excusat ab iniuria aliis verbis re ipsa illata.

Deinde verò est dubium, vtrùm si aliquis ver- 3 bum contumelioſum alicui in sua præsentia dixerit, aut detractiuum famæ illius in præsentia, vel in absentia; isque, cuius honori aut famæ ita præiudicatum est, actionem iniuriarum aduersus eam intentet, ea iniuriarum actio tollatur ac cesset ea exceptione, quod verum dixerit, paratusq;

sit

sit probare ita rem habere, adeò vt si id probet, alio contendente falsum esse, euadat omnino pœnam, cessetque ea iniuriarum actio, nec locũ omnino habeat. Pars quæ affirmat, videtur haberi expresè. *l. eum qui nocentem. ff. de iniuriis*, cuius verba sunt: *Eum, qui nocentem infamauit, non esse bonum æquum ob eam rem cõdemnari. Peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire. & l.8.titu.6.part.7.* quæ sic habet: *Pero si aquel, que ouiesse infamado a otro, quisiesse prouar que era verdad, lo que auia dicho, prouandolo assi, nõ aura pena. & l.1.titu.9. eadem part.7.* quæ ita habet: *Pero si aquel, que deshonrasse a otro por tales palabras, o por otras semejantes dellas, las otorgasse, è quisiesse mostrar que es verdad aquel mal, que dixo del, no cae en pena ninguna si lo prouasse. Esto es por dos razones: La primera es, porque dixo verdad, La segunda es, porque los fazedores del mal se recelen de lo fazer, por el afrenta, è por el escarmiento, que recebirian del.*

De hac re variè loquuntur doctores. *Panor. c. cùm te de sent. & re iud. n.26.* & cum Ioanne And. sex de hac re sententias refert. Arbitror verò in hunc modum esse distinguendum. Quoniam vel infamatur quis in iudicio ritè illum accusando, intendendóve aliquid probare, quod ad rẽ pertineat, aut etiam ritè se defendendo, aut excipiẽdo. Et tunc aduersus eum, qui ita infamauit, non competit iniuriarum actio: quoniam vsus est iure suo, ac proinde iniuriam in eo casu non intulit: modò id, quod obiecit, aut detexit, probet ita habere: aut certè intelligatur, eum iusto errore ductum, id obiecisse: nam tunc non abfuerit animus conuiciandi ac infamandi, certè formaliter iniuriam non intulit, & per consequens aduersus eum non competit iniuriarum actio ea de causa. Atque in primo euentu locum habent l. eum qui, & *l.8. & 1.citatæ*, totumque hoc est ex se satis perspicuum, illudque simul probat. *l. si quidem. vers. nam si perseueret*, iuncta *l. si non conuitii. C. de iniur.* Multo autem magis primum habet locum, si à potestate publica id fiat, vt cõstat *l. iniuriarũ. 1. §. is qui iure*, & *l. quod reipublicæ. ff. de iniur.* & aliis iuribus, quæ glossæ vtrobique citant, adde. *l.15. & 16. titu.9. part.7.* Atque vt obiter hoc loco, quod sequitur, inferam. Quando aliquis extra iudicium impediret aliquem absq; mendaciis, fraude, ac dolo, ab aliqua re obtinẽda, dicens aliquem alium esse idoneorem, aut se esse idoneorem, estò, iusto errore ductus, falleretur, tunc aduersus eum non competeret actio iniuriarum: quoniam nullam in eo iniuriam ei efficeret, quem ita impediret. *l. iniuriarum. 1. §. si quis de honoribus. ff. de iniur. & l.19. titu.9. part.7.* Vel in iudicio aliquid objicitur, quod verè læsiuum est honoris aut famæ, neque ad rem pertinet, aut constat, quamuis ad rem pertineret, esse falsum, quia nec probatur, nec probari potest, neque eum, qui illud obiecit, iusto errore ductum, illud obiecisse: & tunc competit aduersus ita infamantem, infamaréve intendentem, iniuriarum actio. Atque hoc est quod probant. l. si quidem, iũcta. *l. si non es. C. de iniur.* & consentit. *l. quisquis. C. de postulan.* resque etiam ex se est satis rationi consentanea: neque enim occasione iudicii fas est sine iusta causa cuiusquam honorem ac famam lædere. Multo autem magis si iudex in iudicio manifestam iniuriam alicui inferret, vel verbo, vel opere, vt eum iniustè manifestè torquendo, vel alia ratione, competeret aduersus eum iniuriarum actio, dignusque esset maiori pœna, quàm si extra iudicium & non vt potestas publica eandem iniuriam efficeret: quoniam maior culpa est, inde iniustitiam procedere, vnde iustitia procedere deberet, quàm si eadem iniuria ab eo procederet, qui non tenebatur administrare aliis iustitiam. Ita habetur. *l. nec magistratibus. ff. de iniur. l. lege Iulia.* 1. & *2. ff. ad leg. Iul. de vi publ. & l.16. titu.9. part.7.* Vel quis extra iudicium infamatur, aut honor illius lædatur, aliquid fædum ei conuiciando. Et tunc vel id fit libello famoso, (sub illo intellige quoduis aliud signum, quod eodem modo læderet honorem ac famam, vt si cornua appenderentur alicui in signum, quòd alius adulteratus esset cum ipsius vxore, non se manifestante eo, qui ideo signum apposuit) in quo euentu, qui ita famam aut honorem lædit, non se prodit, vt cogi possit id probare, & vt, si in probatione deficiat, puniatur: atque tunc, estò quod detegit, aut conuitiat, verum sit, expediatque reipublicæ sciri, vt puniatur, aut vt debita cautela adhibeatur, ne id aliis noceat, sanè ita per libellum famosum infamans, aut honorem lædens, punitur pœna libellum famosum conficientis, estò, postquam fuerit deprehensus, probare velit, quod is libellus continebat, verum esse. Ita habetur. *l. vnica. C. de famos. libell. & l.3. titu.9. part.7.* De iure tamen canonico, si probauerit, quod libellus cõtinebat, (intellige quando expediebat id sciri) nõ punitur pœna flagellorum, quæ pro eo crimine de iure canonico est statuta, vt habetur. *c.1.§.q.1.* & affirmant *Panor. vbi suprà n.28.* & doctores communiter. Vel id extra iudicium non fit libello famoso, sed verbis, ita vt constet, quis illa dicat: atque tunc, si quod dicitur, & in quo aliquis infamatur, aut quod illi conuiciatur, sit verum, & tale probetur, si alius ea de causa actionem iniuriarum velit intentare, expediatque reipublicæ id scire, vt puniatur, quia nondum erat detectum vel punitum, aut vt remedium adhibeatur, ne alios inficiat, vt si dicatur illum esse leprosum, aut alio morbo affectum, qui interficere alios possit, remediumque, ne alios inficiat, adhiberi oporteat: & tunc non competit aduersus illum iniuriarum actio: si autem ea de causa intentata erat, absoluitur, qui id dixit, neque in ea progredi aduersus illum permittitur, estò non recto animo fuerit id dictum ac detectum: propter emolumentum enim, quod inde reipublicæ euenit, & quia ille verè id commisit, aut id habet, quod illi est dictum, noluit ius eum, qui id dixit, ea de causa puniri: peccabit tamen coram Deo, si id peruerso animo efficiat. Atque hoc est quod habetur. *l. eum qui. ff. de iniur. l.8. & l.1.* citatis, & concinit *l. iustissimos. C. de offic. præf. prouin.* quæ de iudicibus, quando aliquid iniquè gesserunt, concedit id dici, ac obloqui, cùm ab officio cessauerint, vt ad principis notitiam id deueniat ac puniantur. Quando item aliquid correctionis aut obiurgationis iustæ causa ab aliquo diceretur rationabiliter alicui, qui ea obiurgatione esset dignus, æquumque esset vt is id illi, spectatis circunstantiis concurrentibus, diceret, tunc estò ille alius conuicio se esse affectum quereretur, intentaretque ea de causa iniuriarum actionẽ, locum illa non haberet: quia ritè id esset factum. Quando

do item aliquis intentaret obtinere aliquid, ad quod non esset idoneus, quia illegitimus, aut quia notam generis haberet, idque objiceretur, aut detegeretur, quantum satis esset ad illum impediendum, tunc intentare non permitteretur ea de causa iniuriarum actionem. Vtrumque cum aliis affirmat *Panor. vbi suprà n. 29.* & consentiunt alii. Quando verò extra iudicium aliquid detegeretur aut conuiciaretur alicui, quod non expediret rempublicam scire, vt id puniret, aut vt remedium adhiberet, vel quia, si erat crimen, iam ab ea erat punitum, vel quia non erat puniendum, vel quia non ita res habebat, tunc locum habet iniuriarum actio. Excipe, nisi verum esset ac publicum, & non objiceretur in facie, ita vt contumeliæ rationem haberet, sed detegeretur alicui, qui id non sciebat, vel ea de re aliquis loqueretur coram aliis, qui id sciebant, aut non sciebant: tunc enim, cùm ille esset ea de re infamatus, non censeretur in eo lædi famam illius, & per consequens non concederetur ei iniuriarum actio ea de causa. Si tamen illi conuiciaretur in facie illud ei objiciendo, estò verum esset, & is propter illud esset punitus, rationem sanè haberet tunc contumeliæ, competeretque iniuriarum actio, vt rectè cum aliis affirmat *Greg. Lopez. l. 1. citata, glossa vlt.* Tametsi quando is ea de causa fuisset publicè damnatus, non censeretur id magna iniuria, nec proinde multum pænæ ea de causa imponeretur, quando ita conuiciatus iniuriarum actionem intentare auderet. Iuxta hæc omnia admetienda sunt quæ *Couar. 1. var. resc. 11. à calce. n. 4.* his de rebus tradit, in quibus non omninò cum hac nostra doctrina consentit.

A *rim, iniuriarum non teneor.* Quæ omnia perspicuè docent, sine animo iniuriam inferendi, vt locum non habet iniuria formaliter, ita neque tunc competeret iniuriarum actionem. Contrà verò, si animus sit iniuria afficiendi, locus sanè est iniuriarum actioni ob rem, ob quam, secluso eo animo, locum ea actio non haberet. *Lex* enim *penul. ff. de iniur.* sic habet: *Si inferiorum dominus ædium, superioris vicini fumigandi causa fumum faceret; aut superior vicinus in inferiores ædes, qui id aut proiecerit, aut infuderit, negat Labeo iniuriarum agi posse. Quod falsum puto, si tamen iniuriæ faciendæ causa immittitur.* Hæc ibi.

B Quando duo aliqui se mutuò contumelia affecerunt, vtrique competit aduersus alterum iniuriarum actio. Credo tamen, maximè si ciuiliter vtraque actio intentetur, locum esse compensationi, vt solùm quoad excessum iniuriæ vnius supra aliam locum habeat pæna. *Panor.* vbi suprà *n. 25.* ait, si secunda iniuria dicta sit in defensionem primæ obiectæ, locum pro secunda non esse iniuriarum actioni: quoniam licitè quis se defendit. Exemplum adhibet, vt si aliquid falsum in contumeliam sit dictum, & contumelia affectus, in continenti in sui defensionem dicat, mentiris. Fortasse in Italia non adeò contumeliosum dicere mentiris, vt est in Hispania. Sanè si contumelia affectus in Hispaniis, aut vbilibet, responderet, non est ita, quamuis & hoc verbum extra eum euentum sit contumeliosum, in eo tamen euentu ad iustam defensionem contumeliosum illum non arbitrarer, adhucque ei, qui illud diceret, competeret iniuriarum actio pro contumelia antea accepta ad integram pænam, qua is, qui illam intulit, pro ea est dignus. Si tamen responderet, mentiris, tanta sanè est in Hispaniis eius verbi contumelia, vt frequenter non solùm æquet, sed & superet contumeliam priùs acceptam, ac proinde locus erit compensationi. Atque quamuis hæc secunda contumelia interdum superet priùs acceptam, adeò tamen modicus poterit esse excessus, vt propter illud puniri non debeat, qui dixit, mentiris. Quoniam, vt bene vbi suprà ait Panor. aliquem lacessitum priori contumelia, prorupisse in secundam, sanè vt extenuat culpam secundæ, ita extenuare debet pænam, qua pro illa esset alioquin dignus. Quando autem esset multus excessus secundæ contumeliæ supra primam, aliqua pæna moderata esset afficiendus, qui secundam contumeliam protulit, non tamen tanta, quanta illi fuisset imponenda, si non lacessitus, tantum excessisset.

C

D

E

4 Si quis verba ex se contumeliosa in aliquem, etiam calore iracundiæ, proferret, censeretur contumeliam ei irrogasse, ac proinde iniuriarum actio aduersus eum competeret, nisi ipse sufficienter probaret, se non animo contumeliam iniuriamque inferendi illa dixisse. Vtrumque habetur. *l. si non conuicii. C. de iniur.* Ex quo iure constat, quotiescunque est sufficienter notum non animo contumelia afficiendi esse dictum, locum non habere iniuriarum actionem, estò id verè in se sit contumelia. Neque enim iniuria formaliter effici potest, sine animo illam inferendi, ac proinde estò interueniat iniuria materialiter non competit iniuriarum actio, quando constat animum iniuriam inferendi non interuenisse. Vnde *l. illud. §. 1. ff. de iniur.* sic habetur: *Sanè sunt quidam, qui facere non possunt, (iniuriam scilicet) vt puta furiosus & impubes, qui doli capax non est. Cùm enim iniuria ex affectu facientis consistat, consequens erit dicere, hos, sine pulsent, siue conuicium dicant, iniuriam fecisse non videri. Itaque pati quis iniuriam, etiam si non sentiat, potest: facere nemo, nisi qui scit se iniuriam facere, etiam si nesciat cui faciat. Quare si quis per iocum percutiat, aut dum certat, iniuriarum non tenetur. Si quis hominem liberum ceciderit, dum putat seruum suum, in ea causa est, ne iniuriarum teneatur.* Hæc ibi. Et lex cũ seruo, statim sequens, sic habet: *Si cum seruo meo pugnum ducere vellem, in proximo testantem inuitus percussi-*

5

6

Greg. Lopez. l. 1. citata, glossa vlt. rectè ait, in hoc regno (idem in Lusitania intellige) si quis eam, quæ verè fuit adultera, adulteram appellet, aut viro illius improperet adulterium cum ipsius vxore esse commissum, quod in Hispanis fit vocando illũ *cornudo*, teneri actione iniuriarũ, estò probare velit, rem ita habere, neque ad eam probationẽ esse admittendũ, sed puniendũ esse pro quantitate iniuriæ spectatis circũstãtiis omnibus cõcurrentibus. Idem dic, si aliquã de adultera, aut aliquẽ de *cornudo*, à tergo infamet. Ratio autem est, quoniam crimen adulterii non puni-

punitur in his regnis, niſi ad ſolam accuſationẽ mariti, & non ad accuſationem cuiuſuis alterius, vt tractatu præcedente oſtenſum fuit, neque aliud in his regnis reſpublica iudicet ſibi expedire. Addit verò optimè Greg. Lopez, (tametſi non adeò firmus, ac par eſſet) quamuis ſi id conuicium ſit falſum, nec poſſit illud probare, puniendus ſit vt palinodiam cantet, hoc eſt, ſe dedicat, quod noſtri *deſdezir ſe* appellant; ſi ita iniuria affectus velit, vt in pænam apponitur. *l. 2. titu. 9. lib. 8. ord. quæ eſt. l. 2. tit. 10. lib. 8. nouæ collect.* relataque fuit tractatu præcedente Diſp. 40, quando tamen probare vellet conuicium eſſe verum, nec permitteretur id probare, præcipiendus non eſſet ſe dedicere: quoniam iniquum eſſet præceptum, quo alicui mentiri præciperetur; ſed tunc aliter eſſet puniendus, & cogendus honorem ac famam compenſare. Idem intellige in aliis euentibus, in quibus eadem lex præcipit conuiciantem, ſeu diffamantem, ſe dedicere. Vt ſi coniugatæ, quæ ante coniugium fuerat publica meretrix, quis id, poſtquam eſt coniugata, objiciat: tenetur enim illi iniuriarum propter id conuicium pæna arbitraria, vt rectè Greg. Lopez gloſſa citata ait: non tamen tenetur neque licitè poteſt ſe dedicere: eo quòd mentiretur, cùm conuicium illud verum continuerit. In his etiam conſentit *Couar. vbi ſupra.* Lege etiam apud eundem ibidem à. n. 2. autorem longam diſputationem circa pænam pecuniariam ea lege ſimul ſtatutam, quo ad valorem eius monetæ.

7 Sequentes, qui connumerantur. *l. 2. titu. 9. part. 7.* non admittuntur ad probandum verum eſſe, quod dixerunt in præiudicium honoris & famæ, vt euadant pænam actione iniuriarum ipſis imponendam propter eam iniuriam ab ipſis illatam. *Eſto ſeria* (ait ea lex) *como ſi el hijo o el nieto o el biſnieto dixeſſe mal à ſu auuelo, o à ſu biſauuelo, o el afforrado a aquel que lo afforrò, o el criado à aquel que lo crio, o à aquel con quien viuio, o el ſieruo a ſu ſeñor, o el que viuio por ſeruiente familiar de alguno a ſoldada, à aquel con quien viuia.* Nomine autem *de ſu auuelo, o biſauuelo*, vtriuſque textus intelliguntur, neque id ſolùm habet locum in illis deſcendentibus comparatione illorum aſcendentium, ſed vniuerſim in deſcendentibus comparatione quorumcunque eorum aſcendentium: nomineque patroni, patrona etiam intelligitur. Vtrumq; conſtat ex. *l. quique à §. prætor ait*, iunctis legibus ſequentibus. *ff. de in ius vocando*, vbi habetur, nefas eſſe deſcendentem vocare in iudicio aſcendentem quemcunque, & libertum vocare patronem aut patronam, niſi facultate ad id prius petita ac obtenta à iudice, cui priùs ſignificari debet, qua de cauſa vocari in iudicium debeant, & videre num expediat facultatem ad id concedi. Et. *l. ſed & ſi. §. prætor ait eod. titu.* ſic habetur: *Prætor ait, in ius ſine permiſſu meo nequis vocetur* (ex prædictis ſcilicet) *Permiſſurus enim eſt, ſi famoſa actio non ſit, vel ſi pudorem non fugillet, qua patronus conuenitur, vel parentes, vel totum hoc facere debet cauſa cognita.* Conſentit. *l. 2. iuncta. l. 1. & l. liberto, ac aliis eius tituli. ff. de obſequiis à liberis*, & idem habetur. *l. 3. titu. 2. part. 3.* Et quamuis ſi libertus grauem ſeu enormen iniuriam acceperit A à patrono, aut filius iam emancipatus, patriámve egreſſus poteſtatem, à parente, agere poteſt aduerſus illum petita priùs & obtenta à iudice ad id facultate, ſecùs autem ſi iniuria eſſet leuis, aut, eſtò iniuria eſſet grauis, ſi filius ſub eis parentis eſſet poteſtate, vt poſt verba proximè relata ſubiungitur *§. prætor ait citato*, & habetur copioſiùs *l. prætor edixit. §. præterea*, iuncta *l. non ſolùm. §. quanquam. ff. de iniuriis*, ac *l. 3. titu. 2. part. 3.* nihilominus, neque tunc libertus, aut filius emancipatus, agere poteſt ad pænam corporalem patroni aut parentis, neque ad illius notam & infamiam, ſed ad nudam compenſationem iniuriæ actione ciuili, ſeu ad pænam pecuniaB riam, & vt deſiſtat à ſimili iniuria inferenda. Ita *gloſſa. 1 & 2. l.* hi tamen, iuxta textum ibi à *§. liberi. ff. de accuſ. & iuxta. l. vlt. C. de accuſ. & l. qui accuſare. §. vlt. ff. eod. titu.* & habetur *l. 3. titu. 2. part. 3.* Vnde quia nec deſcendentes accuſare poſſunt aſcendentes, nec liberti patronos, in cauſa criminali, aut quæ notam illis irroget, iuxta iura citata, quin neque teſtes eſſe poſſunt aduerſus illos in eiuſmodi cauſis, vt habetur *l. libertorum. C. de teſtibus*, inde efficitur, vt neque, vt euadant pænam iniuriæ contra illos illatam, admittantur ad probandum, verum eſſe, quod in præiudicium honoris aut famæ illorum dixerunt, vt habetur *l. 2. titu. 9. part. 7.* ExC cipitur, niſi eos diffamaſſent de crimine læſæ maieſtatis: nam tunc probare ſe verum dixiſſe admitterentur: quoniam de eo crimine accuſare permittuntur etiam ſerui, famuli, liberi, & patroni, vt habetur *l. famoſi. ff. ad leg. Iul. maieſt. & l. penult. C. de accuſ.* Idem dicendum eſt, ſi quis aliquem de crimine hæreſeos diffamaſſet: admitteretur enim ad id probandum: quia omnes accuſare ac teſtificari poſſunt de eo crimine. Si item libertus diffamaſſet patronum ſuum de adulterio cum propria vxore talis liberti, admitteretur ad probandum id adulterium, vt habetur *l. ſi adulterium. §. liberto. ff. ad leg. Iul. de adult.* Sicut autem ſerui & famuli, etiam ſi D mercede ſint conducti, repelluntur ab accuſatione criminali ſuorum dominorum, quin & puniuntur, ſi id facere intentent, excepto crimine læſæ maieſtatis (idem intellige de crimine hæreſeos, quin & de adulterio cum vxore famuli, qui non eſt mancipium, ſi maritus accuſet: quoniam longè maiori cum ratione, quàm libertus, id efficere poteſt) vt habetur *l. penult. C. de accuſationibus. l. vlt. C. de delatorib. lib. 10. & l. 6. titu. 2. part. 3.* ita ſi diffamarunt dominos ſuos quo ad alia, & cum eis actione iniuriarum ea de cauſa agatur, non admittuntur ad probandum verum eſſe, quod de illis dixerunt, vt pænam euadant, vt habetur *l. 2. titu. 9. part. 7.* relaE tumque eſt. Quæ autem pænæ in hoc regno ſtatutæ ſint famulis quibuſcunque, qui iniuriam dominis, quibus ſeruiunt, inferunt, & filiis, qui iniuria parentem afficiunt, tractatu præcedente Diſp. 40 relatum fuit.

Iniuria irrogatur, ita vt aduerſus illam infe- 8
rentem competat iniuriarum actio, eaque de cauſa puniri debeat pæna arbitraria, ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter aduerſus eum agatur, ſi geſtibus, aut quibuſcunq; motibus corporis, aut veſte aliqua ad id induta, vel quauis alia ſimili ratione, in præſentia vel in abſentia alicuius, aliquis eũ imitetur, aliquid fædũ in illo denotãdo,

vel ridiculum, quo honor vel fama illius quouis modo lædatur, ruboréve illum id possit afficere, aut ad indignationem eum prouocare, si ad notitiam illius deueniat. Ita habetur. *l. item apud Labeonem. §. generaliter. ff. de iniur. & l. 4. titu. 9. part. 7.*

9 Item iniuria alicui feminæ fit, competitque ea de causa iniuriarum actio, tam ei, quàm patri, aut alteri, in cuius potestate sub cuiusve custodia sit, sponso aut marito, si sponsa aut coniugata sit, si illa honestè viuat, atque aliquid fiat, quo pudicitia illius attentetur, verbo, scripto, nutu, aut per internuncium, vel conando blanditiis, precibus, aut alia ratione comitem illius ab illa abducere, vel illa sectando, ita vt id honori aut famæ illius deroget, vel quoduis aliud eo fine afficiendo. Ita habetur. *l. apud Labeonem. §. si quis virginem, & §. tenetur, iuncta. l. 1. §. omnem. vers. ad dignitatem. l. attentari. ff. de iniur. & l. 5. titu. 9. part. 7.* Quando autem femina consentiret in tali attentatione pudicitiæ illius, ei quidem iniuria non fieret, cùm volenti & consentienti nulla fiat iniuria, ac proinde illi non competeret iniuriarum actio. Tunc tamen competere posset ea actio illi, sub cuius potestate aut custodia illa esset, vel sponso aut marito, qui eo ipso censerentur ea attentatione iniuria affecti, vt hæc omnia sunt notissima. Qui pudicitiam eius attentaret, quæ meretricio habitu incederet, aut eam quæ existeret in loco, in quo meretrices habitant, nõ teneretur iniuriarum actione, estò illa verè meretrix non esset: quoniam meretrici iniuria non fit attentando eius pudicitiam, hicque iusto errore ductus, quòd illa esset meretrix, censetur id feciſſe, sibique illa id imputet, quæ eo habitu incedit. Qui item virginis ingenuæ pudicitiam attentaret, incedente illa habitu ancillari, non teneretur pæna attentantis pudicitiam ingenuæ, sed ancillę dumtaxat propter eandem rationem. Vtrumque habetur. *l. item apud Labeonem. §. si quis virginem citato, & l. 18. titu. 9. part. 7.* Item iudex, si timor probabilis sit attentantem pudicitiam mulieris honestæ, in ea attentatione perseueraturum, inhibere id ei debet sub aliqua pæna, idque vt impediat eam iniuriam, quæ pendet ac imminet in futurum. Ita habetur. *l. 5. citata*, iuxta varia iura, quæ *Greg. Lopez ibi glossa vltima citata.*

10 Item iniuriam infert, iniuriarumque actio aduersus eum competit, qui alterum insequitur, vt ei noceat, aut vt illum comprehendat, aut qui illum includit in loco aliquo, aut horum aliquid facere aggreditur, aut qui domum alicuius vi latè sumpta, iuxta ea quæ tractatu 2. disp. 682 explanata sunt, ingreditur, aut aliquid illius vi eadem vsurpat, aut in despectum illius aliquid illius in terram projicit, & similibus aliis rebus. Ita habetur. *l. 6. & 7. titu. 9. part. 7. l. item apud Labeonem. §. 1. & §. si quis bona. l. si iniuria, & l. penult. ff. de iniur.* & aliis iuribus. Hæc verò quasi in exempla sunt eò ducta, vt ex illis melius quiuis conjiciat, in quibus cuentibus iniuria interueniat, actioque iniuriarum ratione illius competat.

11 Iniuriarum actio non competit aduersus impuberem, qui decimum ætatis annum cum dimidio non excesserit: quia non censetur ad id doli capax, (in femina autem si nõ excesserit nonum annum cum dimidio, iuxta ea quæ tractatu 2. Disp. 224. §. vt ad minorem, dicta sunt) extra illam verò ætatem competere potest aduersus eum iniuriarum actio: quia censetur doli capax. Ita colligitur ex *l. illud ff. de iniuriis*, & habetur. *l. 8. titu. 9. part. 7.* Multum tamen à pœna & à ratione iniuriæ excusabit adeò tenera ætas, adeoque exiguum adhuc iudicium rationis. Quin & minor ætas, etiam si sit extra pubertatis annũ, à parte pœnæ excusabit, iuxta ea quæ tractatu præcedente Disp. 36 dicta sunt. Furiosus verò, & vniuersim qui iudicio rationis carent, vt culpę sunt expertes, ita & pœnæ, ac proinde actione iniuriarum non tenẽtur, vt ex se est notissimum, & habetur. *l. illud, & l. 8. citatis.* Illi tamẽ, sub quorum cura sunt, teneri poterunt ad damna, quæ dederint, nisi competentem adhibuerint cautelam, ne ea dent, ipsorumque culpa illa dederint. Ita habetur. *l. 8. citata.* Impubes tamen quicunque, & vniuersim qui iudicio rationis carent, capaces sunt iniuriæ. Ita habetur l. illud citata, & l. 9. titu. 9. part. 7. agereque possunt actione iniuriarum illi, sub quorum cura aut tutela sunt, vt ea iniuria puniatur. Ita habetur. *l. 9. citata*, dictumque est tractatu præcedente Disp. 2. Quo in loco copiosè explicauimus, quibus competat actio iniuriarum ratione iniuriæ alteri factæ, vel quòd in ipsos iniuria redundet, vel quòd iniuria affecti ipsis subiaceant, sub eorumque cura sint: itemque ad quos tunc earum iniuriarum remissio pertineat: quæ sanè hoc loco non paruo onere nos leuant.

Iniuriarum actio competit etiam aduersus 12
concausas eius iniuriæ, vt aduersus consulentem, mãdantem, &c. Ita habetur. *l. 10. titu. 7. part. 7.* resque ex se est notissima. Et intentari iniuriarum actio potest, vel coram iudice loci, in quo iniuria fuit facta, vel coram iudice eius, qui illam intulit. Ita habetur. *l. 9. titu. citato*, & constabit ex dicendis tractatu sequenti.

Qui sine principis aut iudicis autoritate do- 13
mum moribundi ingreditur, & ibi, intuitu quòd infirmus aliquid ei debeat, bona aliqua occupat, aut ea obsignat, vel molestiã infert ibi existentibus quoad hæc, amittit eo ipso debitũ, si quid ei moribundus debebat, & insuper siue debitor ille esset, siue nõ, soluit tantundẽ ac erat illud, quod sibi deberi dicebat, hæredibus eius defuncti, & insuper amittit tertiã partẽ suorũ omnium bonorum fisco regis, & efficitur infamis. Ita habetur in *authentico vt defuncti. §. 1. & in authentica item qui domum. C. de sepulchr. viol. & l. 11. titu. 9. part. 7.* Ea tamen lex aliquantulum variat à duobus iuribus citatis, quando moribundus nihil reddere debebat ei, qui tale crimen cõmisit: sic enim quo ad hunc habet: *E si por ventura el que esto fiziere, non ouiesse deudo ninguno cõtra aquel doliente que assi agrauiasse, deue perder porende la tercera parte de lo que ouiere, è auerlo la camara del Rey, è de mas desto deue de fazer emienda a los parientes del muerto de la deshonrá que fizo à el è à ellos à bien vista del judgador del lugar.* Fortasse puniendus tũc erit accommodatè ad dispositionem illam authenticorum, pœnaque, præter confiscationem tertiæ partis bonorum, applicanda erit hæredibus ex testamento, aut ab intestato talis defuncti.

Pro iniuria, quæ fit defunctis, & cedit in viuos, 14
ad quos defũcti illi pertinẽt, &ad quos sepulchra

eorum

eorum resarcire spectat, sequentia sunt iure statuta. Qui de sepulchro alieno lapides, lateres, columnas, aut quãcunque aliam materiam extrahit, siue illam vendat, aut aliter alienet, siue inde aliquid ædificet, punitur pœna decem librarum auri fisco Regis. *l. qui sepulchra. C. de sepulchr. viol. & l. 12. titu. 9. part. 2.* Quæ lex addit, si soluendo non sit, relegari ob id delictum. Quòd si iudex, sciens delictum fuisse commissum, illum non punierit, punitur ipse pœna viginti librarum auri eidem fisco Regis, vt habetur. l. si quis. C. eod. titu. Insuper, si qui eam materiã extrahit ac accipit, aliquid inde ædificet, amittit, quod ita ædificauerit, & locum, in quo id ædificauerit, siue sit domus, siue villa, aut aliud prædium, fisco Regis. Ita habetur. *l. 2. §. vlt. C. eod. tit. & l. 12. citata.* Insuper (quamuis iura citata id non dicant) tenetur restituere damnum integrum in eo sepulchro, vnde illa extraxit, datum, idque nõ solùm in exteriori actione in factum, iuxta. l. prætor ait in prin. ff. de sepulchr. viol. actionéve ad interesse, quod id includit, vnà cum lucro cessãte, & æstimatione iniuriæ, vt in eadem. l. §. qui de sepulchro violato, subiungitur, & consentit. l. vnica. C. de sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur; sed etiam in conscientiæ foro, estò prædictis pœnis fuerit punitus. Quòd si mancipium fuerit deprehensum demolire aut demoliuisse sepulchra, siquidem domino illius id ignorante, relegatur id mancipium: sin verò domino sciente, in metalla damnatur, vt habetur eadem l. 2. citata.

15 Qui furantur vestes aut alia, cum quibus defuncti humati sunt, si cum armis grassatorum more id efficiant, morte plectuntur: si verò sine armis, vsque ad pœnam metalli damnantur. Ita habetur. *l. prætor ait. §. aduersus. ff. de sepulchr. viol. & l. 12. citata.* Restituere etiam in foro conscientiæ tenentur, atque ad id in exteriori foro cogi debent, si habeant vndè soluant, tum res ita furto ablatas, tum etiam si quod aliud damnum, vt eas furarentur, dederunt, iuxta ea quæ paulo antea dicta sunt.

16 Qui corpora defunctorum, aut illorum ossa, extrahunt de sepulchro, in contemptũ, aut proiiciunt, aut aliter inhonorant (semper enim dolus interuenire debet, vt pœna pro delicto sepulchri violati locum habeat, vt habetur. *l. prætor ait. ff. de sepulchr. viol.*) Si humiliores sint, morte plectuntur: honestiores verò in perpetuum vel deportantur, vel in metalla damnantur, vel relegantur. Ita habetur. *l. vlt. ff. de sepulchr. viol. & l. 12. citata, quæ de honestioribus* sic habet: *Mas si los que esto fizieren fuere fijos dalgo, deuen ser desterrados para siepre.* Intellige iuxta. l. vlt. citatã, etiã eos deportãdo, aut in metalla dãnando, pro maiori vel minori grauitate delicti, iniuriæque illatæ.

Quòd si illi, ad quos præcipuè spectat accusare de furto rerum, cum quibus defuncti humati sunt, aut de extractione aut inhonoratione corporum vel ossium eorundem defunctorum, quales sunt ipsorum hæredes, atque etiam consanguinei, intentare non velint accusationẽ criminalem ad pœnas corporales explicatas, sed ciuilem ad pœnam pecuniariam, tunc id efficere poterunt actione in factum ad interesse, quantum æstimabitur interesse totum in illo computãdo, quod dignum est solui pro iniuria sumpta præcisè à quocunque alio interesse: atque A facta æstimatione per intentantem actionem, sequutaque moderatione & arbitrio iudicis, vt minimum delinquens condemnari debet centũ aureis, ita vt excedi possit ea summa, si ita res postulauerit, non verò minui. Quòd si ad plures ea iniuria attineat, qui omnes velint accusare, iudex idoniorem, & qui plus iuris habet, eligit vt solus accuset: interesse tamen illud inter omnes illos diuiditur, quos ea iniuria contingit, pro rata damni ac iniuriæ cuiusque eorũ. Quòd si nullus eorum accusare velit, tunc quiuis de populo ad accusandum admittitur: eo quòd id crimen inter publica ad hunc effectum computetur. Ita habetur. *l. prætor ait in prin. & §. qui de* B *sepulchri. ff. de sepulchr. viol. l. 14. titu. 3. part. 1. & l. 12. titu. 9. part. 7.* At que quod ita adiudicatur hæredibus aut consanguineis defuncti ita ad eos pertinet pro ea iniuria & interesse, vt estò defunctus creditores reliquerit, nec reliquerit bona sufficientia ad illis soluendum, nihil ex ea pœna & interesse solui eis creditoribus debeat. Ita habetur. *l. quæsitum est. ff. de sepulchr. viol. & l. 14. tit. 13. part. 1.* Porrò cùm actio illa in factum ad interesse pœnam pecuniariam pro iniuria illata, præcisè sumpta à quocunque alio damno ac interesse, includat, sanè ea ex parte actio illa in factum criminalis est, sumpta actione criminali late, ac proinde ea intentata, locum non habet intenC tari actionem criminalem pro eodem delicto ad pœnas corporales suprà explicatas, iuxta ea quæ tractatu præcedente disputat. 40, & tractatu 2. Disput. 595. consentiunt *Greg. Lopez l. 12.* citata, verb. *cien maraudes de oro*, & alii quos citat.

Quæ dicta sunt de pœnis pro sepulchro mo- 17
dis omnibus explicatis violato, intelliguntur de sepulchris Christianorum: secùs autem de sepulchris hostium fidei: in illis quippè ea locum non habent, vt habetur. *l. sepulchra hostium. ff. de sepulchr. viol. & l. 12. citata.* Vbi Greg. Lopez verb. *enemigos de la fe*, quærit, num liceat iuD dices autoritate quærere aurum & lapides pretiosos in sepulchris antiquis Indorum occidẽtalium. Atque ipse annuit. Distinguerem. Quoniam si ea sepulchra adeò antiqua sint, vt ad nullos posteros eorum, qui in illis cum eo auro aut lapidibus pretiosis humati sunt, iam ob antiquitatem pertineant: atque tunc rationem illa habent rerum domino vacantium, fiuntque proinde gentium iure primo occupantis, etiam si quondam cum illis humati fuissent Christiani, quorum corpora iam nunc non inueniantur eis pretiosis rebus ornata: neque ad ea occupanda, & efficienda propria primo occupantis, necessaria est iudicis autoritas, iuxta ea quæ tractatu 2. disputatioE ne 53 & 55 dicta sunt. Neque illa habere videntur rationem thesaurorum. Si autem thesaurorum rationem haberent, tunc quoad illa standum esset dictis à nobis tractatu 2. Disp. 53, 55, & 56. Si autem ea sepulchra non adeò antiqua sint, sed in eis à non multo tempore humati sint aliqui cum eis rebus pretiosis, vel ea sepulchra ad posteros eorum pertinent, qui cum eis rebus ibi humati sunt, credo furtum esse ea bona occupare, eisque spoliare cadauera adhuc illis ornata, cũ onere illa restituẽdi. Quãdo autẽ infideles aliqui in rebus publicis Christianis habitare permitterẽtur, ibiq; in sua secta viuere

viuere, & habere sua sepulchra; sanè quamuis illa religiosa re ipsa non sint, iniuria tamen eis infidelibus fit, illa quouis ex modis explicatis violando, competitque hæredibus & consanguineis eorum, qui ibi sepulti sunt, & quorum sunt ea sepulchra, actio iniuriarum aduersus eos violatores, vt pœna arbitraria puniantur pro qualitate eius iniuriæ. Ita habetur *l.12.citata* satis cõsentaneè ad rectam rationem, naturamque ipsam rei: quoniam perinde de tali iniuria est censendum, atque de quacũque alia eis infidelibus, dum viuunt, à Christianis effecta. Arbitror quoque, si Christiani spolient cadauera illa rebus, quibuscum humatæ sunt, teneri in conscientiæ foro illa eis restituere, ad idque in exteriori foro esse cogendos, non secùs ac si expoliarent similibus rebus cadauera Christianorum eisdem rebus humata atque ornata.

18 Si quæ alia iniuria fiat defuncto, vel quo ad cadauer illius, vel quouis alio modo, ita vt ad cõtemptum aut infamiam illius id pertineat, ad hæredes illius, qui vnum cum illo, in cuius bonis succedunt, reputantur, pertinet nomine proprio intentare iniuriarum actionem, vel criminalem vel ciuilem, vt maluerint, vt is delinquẽs pœna iudicis arbitraria puniatur, modo tractatu præcedente disp. 40. explicato. Ita habetur. *l.* 1. §. *& si fortè. ff. de iniur. & l.13.titu.9.part.7.* Quod & in cæteris iniuriis ad defunctum attinentibus, hactenusque commemoratis, similiter locũ habet, vt scilicet hæredes nomine proprio agere possent iniuriarum, vt ex §. *citato* habetur, & cõsentit. *l.13.citata*, tractatuque præcedente explanatum fuit. Si autem ante aditam hæreditatem post defuncti mortem ea iniuria defuncto fiat, actio competit hæreditati iacenti, quæ defunctum tunc repræsentat, & per hæreditatem trãsit postea in hæredem, aut in hæredes, eo ipso quòd hæreditatem adeunt, vt habetur. *l.*1. *citata.* §. *quotiens*, & Disp. 2. citata dictum etiam est.

19 Si corpus defuncti à creditore ratione debiti sepeliri impediatur, exequiásve fieri, *lege vlt. C. de sepulchr. viol.* is creditor puniebatur pœna quinquaginta librarum auri, atque si non esset soluendo, puniebatur in corpore pœna iudicis arbitraria: quod additio in margine ad glossam vltimam ibi rectè ait, locum similiter habere quo ad alias pœnas pecuniarias pro aliis criminibus statutas, iuxta varia iura quæ citat. Insuper, si quid solutum esset ab hæredibus, aut ab aliis, tali creditori, vt sepulturam aut exequias non impediret, aut pignora in securitatem debiti essent ei data, tenebatur ea reddere: & si quæ confessiones debiti, aut obligationes, quòd ei solueretur, aut fideijussores dati, vt sepulturam & exequias non impediret, totum erat irritum & inane, resque tota redibat in statum, in quo antea erat. Postea verò in autentica item qui domum, post eam legem subiuncta, & apertiùs in autentico vt defuncti seu funera. §. si verò, iuncto. §. sancimus igitur, antecedente, vnde authentica illa sumpta fuit, sancitũ fuit, vt is creditor amittat debitum, atque siue defunctus id illi verè deberet, siue nõ, reddat tantundẽ hæredibus de suis bonis, ac erat id debitũ, & amittat tertiã partẽ suorũ bonorũ fisco, incurratque infamiã. Et quamuis quidam, quos *Greg. Lopez. l.13. titu.9.part.7.glossa.1.* refert, dixerint eas pœnas locum habere, nisi creditor sepulturã & exequias impediat iudicis autoritate: veritas tamen est, iudicem eam facultatem concedere non posse, & omnino ac simpliciter incurri eas pœnas. *Lex.15. titu.13.part.1.& l.13.titu.9.part.7.* quæ de hac re loquuntur, non has omnes pœnas commemorant, vt ex parte notat *Greg. Lopez. l. 13. citata verb. vista del Iudgador.*

In autentica sed neque. C. de sepulchr. viol. & in authentico vt cum de appellat. cog. §. hæc autem. vers. sancimus, & *l.15.titu.13.part.1.ac.l.13. titu.9 part.7.* habentur ea quæ tractatu 2 in initio disputationis 26 diximus, quæ non huius, sed illius loci sunt germana, nefas scilicet esse intra nouem dies à morte defuncti inquietare hæredes, consanguineos, affines, aut fideijussores defuncti eósve in iudicium vocare, ob debitum defuncti, sub pœnis ibi commemoratis. Et quæ ibi subiecimus, quando est periculum, quòd defuncti bona dispareant, habetur. l.15. citata, consentaneè ad varia iura, quæ ibi Greg. Lopez citat, atque ad rectam rationem, quæ interpres est legum.

Quando mancipium iniuriã intulit, rationeq; eius iniuriæ, quæ absq; culpa domini illata fuit, iniuriarum actio cõpetit, tunc si iniuria sufficiẽter compensetur punitione corporali mancipii, quæ nec mortem illi inferat, neque inutile mẽbrorum aliquid illius reddat, tenetur dominus tradere id mancipium, vt ita iudicis arbitrio puniatur: quoniam cùm mancipium aliter soluendo non sit, locum non habet aduersus illũ pœna ciuilis, nisi dominus eligat illam potiùs soluere, aut noxæ dare mancipium pro pœna pecuniaria, qua, agendo ciuiliter, damnãdũ foret. Itaq; semper, quando dominus non tradiderit mancipiũ puniendũ corporaliter pro iniuria illata, tenetur vel pœnam ciuilem ac pecuniariam soluere, vel loco illius dare noxæ id mancipium. Semper enim iura permittũt domino mancipii, loco dãni, ac pecuniariæ pœnæ, quam soluere ratione mancipii damnetur, eligere potiùs dare noxæ id mancipium, vt habetur. *l.milos.§.1.ff.de re iud.* & aliis iuribus. Illa verò alia, quæ dicta sunt, atque ad hunc locum spectant, habentur. l. sed etsi vnus. §. cùm seruus ff. de iniur. &. *l.14.titu.9.part.7.* eoque modo duo illa iura sunt intelligenda.

De pœna ob famosum libellum. Disp.39.

SVMMARIVM.

1. *Qui famosum libellum composuit aut edidit, itémque qui illum reperit, nec lacerauit, sed illum manifestauit, pœna capitis plectitur: præsertim quando libellus aliquid continet, quod si probaretur commisisse eum, quem is libellus de ea re infamat, puniretur pœna capitis.*
2. *Vtrùm is qui libellum reperit, nec lacerauit, sed illum manifestauit, tunc solum puniendus sit pœna, qua punitur author talis libelli, quando de alio authore non constat: quando verò constat de alio authore, puniendus solùm erit pœna mitiori arbitraria.*
3. *Qui damnatus est, siue criminali actione siue ciuili iniuriarum, quòd libellum famosum fecerit, scripserit, ediderit, aut fieri fecerit, facere non potest*

poteſt teſtamentum, & ſi teſtamentum faciat, eſt ipſo iure nullum.

4. *Pœna, vt ſit inteſtabilis, ſi condemnetur actione ciuili aut criminali, ſtatuitur etiam ei, qui carmẽ famoſum compoſuerit aut ediderit.*

5. *In Luſitania eadem pœna punitur, qui libellum famoſum repertum manifeſtauerit, eáve de re fuerit locutus, qua præcipitur puniri compoſitor vel editor.*

1 QVid ſit libellus famoſus, & multa alia quæ hoc loco dici poterant, Diſp. 35 ſunt dicta. Qui libellum famoſum compoſuit, ſcripſit, edidit, aut dolo malo fecit, vt aliquid horum fieret, itemq; qui illum reperit, nec lacerauit, exuſſit, aut aliter conſumpſit, ſed illum manifeſtauit, pœna capitis plectitur. Ita habetur. *l. vnica. C. de famoſ. lib. iuncta. l. lex Cornelia. §. ſi quis librum. ff. de iniur.* lexq; illa vnica habetur etiã. *1. q. 5. §. vlt.* Intelligendum tamen eſt id, quando libellus continet aliquid, quod ſi probaretur commiſiſſe eũ, quem is libellus de ea re infamat, puniretur pœna capitis. Alioquin ſolùm puniretur ea pœna, qua ob eam rem puniendus is eſſet, quem de ea re in eo libello infamant. Ita *gloſſa. 1. l. vnica citata*, hocque totum eſt hodie ſancitum in hoc regno. *l. 3. titu. 9. part. 7.* Quòd ſi, qui eo libello infamatur, vel ſolùm eſſet puniendus ob rem, de qua in eo libello infamatur, pœna arbitraria, vel nulla pœna, tunc prædicti ſolùm punientur pœna arbitraria, vel minori pro iniuriæ quantitate, eaq; vel corporali, vel pecuniaria, prout aduerſus eũ ciuiliter aut criminaliter fuerit actum, vt de cęteris iniuriis diſputatione præcedente & tractatu præcedẽte Diſp. 40 dictum eſt. Et quia vt plurimum infamati libellis famoſis, ob rem de qua in eis infamantur, non eſſent plectendi capitis pœna, ſed vel nulla, vel arbitraria, inde prouenit, quòd vt plurimũ ob famoſos libellos prædictis non imponatur pœna capitis, ſed arbitraria, vt *Iulius Clarus. 5. lib. ſent. q. 68. n. 25.* teſtatur fieri eſſe conſuetum. Prædicta autem omnia locum etiam habent, quando ex libello reſultat alicui infamia, eſtò ille non nominetur, vt habetur. l. lex Cornelia. §. ſi quis liberum citato.

2 Vtrùm autem is, qui libellum reperit, nec deſtruxit, ſed manifeſtauit aliis, tunc ſolùm puniẽdus ſit pœna, qua punitur autor talis libelli, quãdo de alio autore non conſtat, quia in eo euentu ipſe præſumitur autor illius, & vt talis punitur: quando verò conſtat de alio autore, puniendus ſolùm erit pœna mitiori arbitraria. Multi affirmanter reſpondent, ſatiſque fauent verba illa legis vnicæ citatæ; *Si verò nõ ſtatim eaſdẽ cartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi autorem eiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubiugandum.* Itemque verba illa capitis. *1. 5. q. 1. Et qui eas prius inueniret, rumpat, ſi non vult autoris facti cauſam incurrere.* Alii verò volunt, eſtò conſtet de autore, puniendum eſſe pœna eiuſdem autoris, idque vtraque verba intendere, ſatiſque apertè ſignificare: rationemque eſſe, quoniam nõ minùs eſt cauſa infamię, quàm ſit autor, eum libellum, dum res adhuc erat occulta, manifeſtando: de horum numero eſt Saliceto à *Greg. Lopez. l. 3. citata* relatus, verb. *como aquel que lo hizo*, cui Greg. Lopez non repugnat.

Eſtò, quod libellus famoſus continet, reipublicæ expediat ſciri, & qui libellum compoſuit, ſcripſit, edidit, aut vt fieret dolo malo fecit, vel illum primò repertum non deſtruxerit, ſed manifeſtauit, probare velint, id ita habere, non audiuntur, vt pœnam euadant, vt diſputatione præcedente dictũ eſt, iuxta legem vnicam. *C. de fam. libell. & l. 3. titu. 9. part. 7.* Quæ lex 3 aliam etiã rationẽ reddit, præter eam, quam nos diſputatione præcedẽte reddidimus: quia ſcilicet infamia ſcripto exparſa longiùs multo durat, quàm quæ voce eſt ſolùm prolata. Credo tamen noſtram rationem, quia ſcilicet, qui libello infamat, occultus eſt, eſſe potiſſimam rationem, quam lex vnica citata innuit, dum criminis detectionem non vult admittere, niſi manifeſtante ſe accuſatore. De iure tamen canonico, quando quod libellus continet, reipublicæ ſciri oportet, admittitur, qui illum compoſuit, aut repertum manifeſtauit, ad probandum ita habere, quod illo continetur, vt pœnam euadat: id quod diſputatione præcedente dictum eſt.

Qui damnatus eſt ſiue criminali actione, ſiue ciuili iniuriatum, quòd libellum famoſum fecerit, ſcripſerit, ediderit, aut fieri fecerit, inteſtabilis eſt, hoc eſt, facere non poteſt teſtamentũ, & ſi illud conficiat, eſt ipſo iure nullum, neque ipſe teſtis eſſe poteſt in teſtamento alterius. Ita habetur *l. lex Cornelia. §. ſi quis librum. ff. de iniur. l. ob carmen in prin. ff. de teſt ib. l. is cui. §. vlt. & l. cùm lege. ff. de teſtament. & c. ſi teſtes. §. ob carmen. 4. q. 3.*

Pœna, vt ſit inteſtabilis, ſi condemnetur actione ciuili aut criminali, ſtatuitur etiam ei, qui carmẽ famoſum compoſuerit aut ediderit, eſtò illud in ſcriptum non redegerit, & vt puniatur pœna arbitraria criminali aut ciuili, prout aduerſus eum fuerit factum, itemque ei, qui libellum famoſum vendendum aut emendum curauerit, dum ſcilicet in ſcriptum fuerit redactum, *l. lex Cornelia. §. eadem pœna. ff. de iniuriis & l. 3. titu. 9. part. 7.* Tametſi lex tertia citata pœnam infamiæ expreſſerit, nihilque dixerit de pœna, vt in hoc, & in prædictis aliis euentibus, qui ea crimina commiſerit, ſit inteſtabilis.

Iure Luſitano *lib. 5. ord. titu. 79.* eadem pœna puniri præcipitur, qui libellum famoſum repertum manifeſtauerit, eáve de re fuerit loquutus, qua præcipitur puniri, qui libellum famoſum compoſuit aut edidit. Hunc verò ibi ſolùm præcipitur puniri pœna arbitraria pro quantitate iniuriæ, ſpectatis circumſtantiis omnibus concurrentibus: præcipitur tamen, vt ea imponatur longè grauior, quàm ſi eadem infamia eidem palàm diceretur in facie.

Ibidem ſubiungitur, vt qui alteri retulerit, ab alio eſſe dictum malum aliquod de ſeo, (quod Luſitanè dicunt *ir com megiricos*, & Caſtellani *con giſmes*) eadem pœna puniatur, qua puniretur, ſi is ipſe idem malum de illo eodem dixiſſet.

Iure verò canonico, qui libellum famoſum conficiunt, aut edunt, vel repertum manifeſtant, niſi probare velint, quæ in eo continentur, ita re habere, idque re ipſa probent, puniuntur pœna flagellorum. Intellige, quando quod in eo libello continetur, fuerit graue. Quando enim eſſet leue, pœna arbitraria puniretur pro quantitate delicti & iniuriæ. Illud primum habetur *c. 1. q. 1.*

Qua

Quæ necessaria sint, vt quis alienam famam restituere teneatur. Disp. 40.

SVMMARIVM.

1. *VT quis famam alienam restituere teneatur, primò requiritur, vt alienam famam verè abstulerit.*
2. *Deinde requiritur, vt qui famam alienam verè læsit, contra iustitiam peccauerit eam lædendo, non solùm materialiter, sed etiam formaliter iustitiam transgrediendo.*
3. *Si, qui famam proximi iniustè materialiter læsit, post ita læsam, posset resarcire illam sine suo detrimento, sanè teneretur id præstare, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia.*
4. *Si is, qui famæ alterius ex ignorantia vel negligentia adeò notabile damnum intulit, vt si ignorantia à parte culpæ non excusaret, sufficeret ad culpam lethalem, restituere damnum illud integre posset sine graui suo detrimento, vt quia crimen falsum de aliquo dixit, atque se retractando, sine graui damno suæ propriæ famæ, potest resarcire totam famam quam abstulit, tenetur procul dubio id efficere sub culpa lethali, non solum ex caritate, sed etiam ex iustitia.*
5. *Tertiò requiritur, vt infamatus alia via famam amissam non recuperauerit.*

DIcendum superest de restitutione honoris & famæ. Et quamuis à restitutione honoris inchoandum fuisset, quia tamen in restitutione famæ plus negotii est, ab illa erit incipiendum: permixtimque erit dicendum de restitutione honoris, quando sermo fuerit de restitutione famæ læsæ aliquo facto, quo honor simul lædi consueuit.

Quod verò ad id, quod propositum est, attinet, nonnulla necessaria sunt, vt quis famam a-
1 lienam restituere teneatur. Primum est, vt alienam famam verè abstulerit. Estò enim quis infamare alium intenderit, si tamen infamia inde nõ sit sequuta, quia fides ei non fuit adhibita, vel aliqua alia ratione, sanè obligatio restituendi famam non consurgit, estò lethaliter contra iustitiam is peccauerit. Si item fama ablata non fuit, quia vitium, quod de aliquo detectum est, aut quod illi fuit impositum, in illo non est infamia, aut non auget infamiam, quam iam antea habebat contractam, nulla profectò in hoc consurgit obligatio restituendi famam. Vt si (iuxta ea quæ Disp. 26 & aliis dicta sunt) de viro inhonestis amoribus dedito dicas, rem cum quadam muliere habuisse, eam mulierem non detegendo, sanè siue verum siue falsum dixeris, ad nullam restitutionem ei teneris: quia nullam ab eo famam abstulisti. Idem est, si de eo, qui gaudebit talem de ipso haberi æstimationem, dicas, siue verè siue falsò, vindictam de aliquo sumpsisse, in qua interueniret culpa lethalis, aut simile aliud viri magnanimi fecisse, quod culpa esset lethalis. Vel de publica meretrice dicas, cubuisse cum aliquo, vel de publico vsurario, dedisse alicui in singulari sub vsuris, & ita de aliis similibus, quibus infamia apud audientes non accrescit ex eo, quod sinistrum aliquid de eis narres.

2 Secundum est, vt qui famam alienam verè lę-
sit, contra iustitiam peccauerit eam lædendo, nõ solùm materialiter sed etiam formaliter iustitiã transgrediendo. Hinc in primis, qui famã proximi licitè, iuxta ea quæ Disp. 24 & alibi dicta sunt, lædit, ad nullam restitutionem tenetur. Deinde verò, qui illicitè quidem famam alterius lædit, cæterùm non contra iustitiam, sed contra solam caritatem, vt odio & animo nocendi, vel alia ratione contra solam caritatem, vtens tamen iure suo, iuxta ea quæ Disp. 24 citata & alibi explanata sunt, ad nullam restitutionem tenetur. Longè verò maiori cum ratione ad restitutionem non tenetur, qui sola lege caritatis tenetur defendere famam proximi, se detractoribus opponendo, iuxta ea quæ Disp. 34 dicta sunt, vel aliqua alia ratione, nec id efficit cum culpa sua lethali contra solam caritatem.

Item qui inuincibiliter seu probabiliter ignorans se nocere famæ proximi, aut se iniustè illi nocere, ad nullam restitutionem famæ, quam ita re ipsa læserit, tenetur. Quoniam in materia læsionis famæ, de qua agimus, non tenetur ratione rei acceptæ, quippe cùm ea res, quo ad id, quod de ea læsum est, non maneat: neque in euentu, de quo loquimur, tenetur ratione iniustè acceptionis iniustæve læsionis, excusante eum ignorantia inuincibili seu probabili.

Obserua tamen, si post læsam ita iniustè mate- 3
rialiter famam proximi, posset, qui eam modò
C læsit, resarcire illam sine suo detrimento, sanè teneretur id præstare, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia. Ratio autem est, quoniam quasi ex officio ei tunc incumbit eã resarcire: eo quòd causa fuerit eius damni eo modo dati, in potestateque ipsius sit, eam causam auferre, aut impedire ne vlteriùs id damnum det seu cõtinuet. Verbi gratia, iudex iuxta allegata ac probata sententiam tulit, qua aliquem absque culpa sua iniustè materialiter infamauit, quia verè ille innocens erat; sanè si postea ita constet illum fuisse innocentem, vt sententia sit retractanda, publiceque sit ei fama restituenda, tenetur is iudex, nõ solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, retractare sentẽ-
D tiam, famamque illi restituere: idque non solũ, quia iudex est, ex suoque officio ei incumbit eã iustitiam tunc administrare, vt innocentem, sibi subditum, iniustè oppressum releuet; sed etiam quia ipse fuit, qui eam sententiam materialiter iniustam tulit, quæ in causa est, vt perseuerent infamia & alia damna illi data, ipseque potest eã causam eorum damnorum auferre, ac impedire ne vlteriùs cadat ac continuet, ac proinde veluti ex suo officio, quia ipse est, à quo emanauit, atq; adeò ex iustitia, tenetur illam auferre. Si tamen sumptus aliqui ad id essent faciendi, neque esset aliquis delinquens, qui tanquam causa illorũ iniusta teneretur eos soluere, is profectò, cui ea via
E fama restitueretur, teneretur eos soluere: quoniã ipsius negotium in eo ageretur, & non iudicis, qui cùm non fuerit causa eorum iniusta, ad nullã teneretur restitutionem. Simili modo, si priuatus aliquis dixit aut fecit aliquid, quo absque peccato suo famam alicuius iniustè materialiter læsit, excusante eum inuincibili ignorantia à culpa, sanè si illi constet, fuisse falsum, quod bona fide dixit, seque ipsum retractando resarcire possit famam proximi, tenetur de iustitia id præstare, impediendo, ne ea infamiæ causa, quam bona fide dedit, vlteriùs noceat ac perseueret: modò id absque notabili suo detrimento possit efficere. Si tamen

men sumptus aliqui ad id essent necessarii, vel accedendo ea de causa ad aliquem locum, vel aliquos ad id conuocando, is profectò tenetur illos tunc soluere, cuius negotium commodúmve ea in re agitur. Eodem modo, si quis licitè aliquid de vno diceret, & id, absque ipsius culpa, intelligeretur de alio aut de alia, quæ infamata iniustè materialiter inde maneret, quis dubitat, eum teneri de iustitia admonere eos, qui id ita malè cum detrimento famæ alterius intelligerent, non de illo id esse dictum, sed de alio aut de alia. Quando autem in hoc & in præcedente euentu damnum eo modo bona fide absq; peccato datum non possit impediri auferendo eam existimationem de mentibus hominum via aliqua licita, ac proinde absque mendacio tunc ad nihil aliud is teneretur, qui absque peccato suo causa aut occasio fuit eius damni. Quoniam non tenetur ad restitutionem illius, sed solùm ad id damnum impediendum aut auferẽdum, si commodè possit.

4 Vtrùm autem, qui ignorantia, negligentia, vel inaduertentia sua, culpabili quidem, cæterùm non ita vt perueniat ad culpam lethalem, sed maneat intra limites venialis, damnum adeò notabile famę alterius dedit, vt si ignorantia seu inaduertentia à parte culpæ non excusaret, sufficeret ad culpam lethalem, teneatur ad restitutionem totius eius damni sub culpa lethali, an verò solùm ad restitutionem partis illius. Respondendum est: Si restituere integre illud possit sine graui suo detrimento, vt quia crimẽ falsum de aliquo dixit, atque se retractando, sine graui damno suæ propriæ famæ, aliarumque suarum rerum, potest resarcire totam famam, quam abstulit, iuxta ea quæ sequenti Disputatione dicenda sunt, aut estò verum dixerit, potest similiter sine graui suo damno, vtendo aliqua amphibologia, eam totam famam, quam abstulit, resarcire, iuxta ea quæ infrà suo loco dicenda etiam sunt, tenetur procul dubio id efficere sub culpa lethali, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, vt de eo proximè est dictũ, qui ex ignorãtia prorsus inuincibili idem damnum dedisset: longè autem maiori cum ratione ad idem tenetur, qui ex aliqua sua culpa illud idem damnum dedisset. Si verò non sine graui suo damno posset illud integre restituere, tunc non teneretur ad integram eius damni restitutionem, sed solùm ad restitutionem partis illius, pro quantitate culpæ ac damni, nempe vel excusando illum, vel illum laudando quo ad alia, vel aliquo alio modo partem eius damni resarciendo. Ratio autem est, quoniam quando aliquis tenetur ad restitutionem solùm ex parte culpæ, vt in re proposita, sanè ex natura rei solùm tenetur ad partem damni, pro quantitate culpæ, quando culpa est leuis, quæ ad lethalem non pertingit: neque ratio efflagitat, vt quando damnum est magnum, datumque est solùm culpa veniali, nec resarciri potest sine graui proprio damno ac iactura seu molestia; is teneatur ad integram restitutionem damni, quod ita dedit. Neque in re proposita locum habet dispositio legis Aquiliæ, de qua tractatu 2 à Disp. 697 dictum est. Quoniã ea odiosa iuris humani dispositio supra id, quod natura rei habet, extendenda non est vltra damna, de quibus eadem dispositiõ loquitur: loquitur verò de solis damnis in rebus externis diuitiarum, aut etiam corporis, vt patet eam totam dispositionem intuenti. Quare neque ea, quæ ibi Disp. 698 neque quæ in eodem tractatu in calce Disp. 295 dicta sunt, cum hac nostra tradita hoc loco doctrina pugnant. Quando verò culpa damni dati circa famã ex eo solùm esset venialis, quòd obiectum & quantitas damni solùm esset venialis, tunc obligatio esset restituendi eam totam latitudinem damni, tametsi solùm sub culpa veniali. Cessaret verò ea obligatio, quando rationabiliter præsumeretur eum, cui id damnum adeò paruum illatum esset, pro nihilo ducturum fieri eam restitutionem, ac proinde contentum fore, vt non fieret.

Tertium necessarium, vt quis alienam famã 5 restituere teneatur, est, vt infamatus alia via famam amissam non recuperauerit. Si enim alia via integram eam recuperauerit, ad nullam restitutionem is ei tenetur, qui iniustè illam læsit. Verbi gratia, infamasti aliquem de crimine aliquo, aut de aliqua nota, coram aliis: ille verò legitimè se purgauit de eo crimine aut nota, ita vt deleta omnino sit infamia illa; vel alius superuenit, qui contrarium affirmauit, omninoq; persuasit, ita vt apud nullum maneat iam infamia de ea re: sanè non teneris ad restitutionem, estò iniustè id feceris. Idem est, si quacunq; alia ratione abolita omnino iam sit ea infamia. Neque contrarium docuit Adrian. in. 4. in q. de rest. famæ in respons. ad. 2. &. 3. argumentum ex iis, quæ vltimo loco in ea q. proponit, vt illi tribuit *Nauar. in Manu. c. 18. n. 43.* patetque Adrianum legenti. Et quamuis Nauarrus quondam consenserit cum Adriano in eo, quod eo loco illi tribuit, iam verò hodie nobiscum cõsentit, vt ibidem affirmat; atque tam ipse quàm alii doctores nobiscum consentiunt in hoc tertio requisito. Si tamen propter eam famæ læsionem medio illo tempore, quo recuperata non fuit, damnum aliquod aliud ea de causa est passus, vt quia ea de causa expulsus fuit ab aliquo munere, aut munus aliquod non est adeptus, quod alioquin adeptus fuisset, vel damnum aliud ob eandem famæ amissionem illi obuenit, tunc id totum, etiam si fama sit integre reparata, est illi restituendum, vt ex se est satis perspicuum, & patebit ex initio Disputationis sequentis.

Item quando aliquis remissionem restitutionis famæ, quam iniustè læsit, ab eo obtinuisset, cuius erat ea fama, vel absque dubio crederet, illum contentum fore, vt ipse eam non restituerer, quod tamen rarò eueniet, tunc obligatio non erit, de iustitia saltem, illam restituendi, & regulariter neque de caritate, iuxta ea quæ inferiùs dicenda sunt.

Vt ergo aliquis ad famæ restitutionem teneatur, necesse est concurrant simul quatuor omnia, quæ explanata sunt, aliquo verò eorum deficiente, obligatio non est famam alienam restituendi.

Quæ restituere teneatur, qui famam iniustè læsit. Et quo pacto fama restituatur ob falsum crimen aut ob falsam notam alteri imposita. Disp. 41.

SVMMARIVM.

1. *QVi damnum famæ alterius iniustè intulit, simul restituere tenetur omnia alia damna inde secuta, tanquam eorum causa etiam iniusta.*
2. *Cum fama alicui iniustè est læsa ob falsum aliquod illi impositum, communis opinio est, sufficiètèr ei restitui famam, si qui id falsum imposuit, coram illis apud quos ita est infamatus dicat se falsum ea in re dixisse, ita vt opinionem malam de proximo suo prorsus à mentibus illorum eximat.*
3. *Refelluntur obiectiones duæ in contrarium.*
4. *Quando aliquis falsum quid proximo iniustè imposuit, tenetur se retractare, quando aliter famam ei restituere non potest, neque ipse maiorem infamiam inde contrahit, teneturq; iuramento confirmare, id non ita se habuisse vt dixerat, si aliter ei fides non haberetur.*
5. *Cùm crimen falsum fuit alicui impositum, sufficienter fit ei restitutio famæ iniustæ ab eo ablatæ, dicendo se fuisse mentitum, si inde alii deponant existimationem, quam de illo conceperant.*

EVm, qui famã iniustè lęsit, quamdiu id damnum manet, teneri illud restituere, notius est, quàm vt probatione indigeat. Cùm enim hoc damnum maius ex suo genere sit, quàm damnum in rebus externis diuitiarum: atque hoc sub reatui nteritus æterni sit restituendum, quando iniustè est datum ac permanet, vt tractatu 2 Disput. 716 ostensum fuit: consequens profectò est, vt & famæ damnum, quando fuit iniustè datum, estque notabile ac permanet, sub reatu interitus æterni sit similiter restituendum.

1 Porrò, qui illud iniustè dedit, simul restituere tenetur omnia alia damna, si quæ inde sequuta sint, tanquam causa illorum etiam iniusta. Vt si infamatus priuatus ea de causa fuit officio, beneficio, aut emolumento aliquo, vel id obtinere fuit impeditus, aliquámve aliam iacturam passus est, ea omnia integre sunt ei restituenda, quantum prudentis arbitrio æstimabuntur. De qua re sermo Disp. 45 redibit. Quare si is, qui famam suam iniustè læsam recuperauit, damnum aliud inde passus est antequam ea recuperaret, aut in illa recuperanda ac se purgando sumptus aliquos fecit, sanè is, qui iniustè eum infamauit, ea omnia damna tenetur ei restituere, estò post recuperatam integre suam famam ad nullam restitutionem propter illam antea iniustè læsam non teneatur. Hæc de primo eorum, quæ proposita sunt.

Quod verò ad secundum attinet, cùm duobus modis fama signo aliquo, vt voce aut scripto, alterius iniustè lædatur; vno, falsum aliquod illi imponendo; altero verò, verum aliquod de illo iniustè detegendo; hac Disp. & 43 est dicendum de restitutione famę, quando falsum aliquod directè aut indirectè alteri imponitur, & Dis. 44 de restitutione famæ ob aliquid verũ iniustè detectum. Disput. verò 42 sequenti examinabimus, vtrùm propter infamiam, in qua quis fuit à puncto, in quo iniustè fuit infamatus, vsque ad punctum, in quo fama fuit ei integre restituta, aut in quo ipse integre illam recuperauit, debeatur ei aliqua restitutio, an non.

Quando autem fama alicui iniustè est læsa ob 2
falsum aliquod illi impositum, tunc doctores communiter affirmant, sufficienter ei restitui famam, si qui id falsum imposuit, coram illis, apud quos ita est infamatus, se falsum ea in re dixisse, ita vt opinionem illam malam de proximo suo, cuius ipse fuerat causa, prorsus à mentibus eorũ depellat. Quòd si sufficienter illam depelleret, nõ dicendo se fuisse mentitũ, sed dicendo, se postea deprehendisse, quod affirmauit, non ita habuisse, (in quo sanè non falsum diceret) vel simili aliqua alia loquutione, confirmandoque iureiurando, si ita opus esset, quod de illo dixerat, non ita habuisse, tunc id sufficeret. Quoniam tantum tenetur restituere integre famam, quàm læsit, efficiendo vt illi omnino eam falsam existimationem de illo depellant: si autem id consequi potest sine iactura suæ propriæ famæ, aut sinè iactura tanta suæ famæ, quantam incurreret, dicendo se fuisse mentitum, non teneretur nec deberet affirmare se fuisse mentitum. Quando autem id aliter consequi non posset, quàm affirmando se fuisse mentitũ, tunc affirmare teneretur, se fuisse mentitum, idque confirmare iureiurando, si ita necessarium esset, vt illi deponerent falsam existimationem, quam ob suũ pernicioſum mendacium de proximo suo conceperunt: modò tamẽ ipse, affirmando se fuisse mentitũ, attenta qualitate personæ, vt si ipse esset prælatus, aut nobilis, vel aliqua alia de causa magnæ existimationis, & is, de quo id falsum dixisset, infimæ esset notæ, & attentis cæteris circunstantiis concurrentibus, longè maiorem infamiam non incurreret, quàm esset infamia, quam illi alteri restituere teneretur: cùm tanta enim maiori sua iactura non teneretur eo modo restituere minorem læsionem famæ alterius, vt ex dictis tractatu 2. Disp. 754. & tractatu præcedente Disp. 102 patet, sed satis esset, si eam infamiã aliter meliori modo, quo posset, restitueret, iuxta ea quæ Disp. 44 dicẽda sunt. Cùm æquali verò sua infamia, aut cũ paulo maiori, quàm esset ea, quam restituere teneretur, sanè dicere teneretur se fuisse mentitum, atque si ita opus esset vt crederetur, teneretur id confirmare iuramento, quando aliter restituere nõ posset famam alterius. Quoniam quando quis damnum iniustè alii dedit, tenetur id illi restituere cum suo æquali aut etiam cum aliquantulo maiori suo damno, vt Disputationibus citatis & aliàs sæpe est dictum: sibique imputet, quòd in eas angustias se ipsum redegerit, iniustitiam aduersus proximum suum committendo: neque vlla ratio aut æquitas patitur, vt innocens maneat in damno æquali, aut paulo maiori, ne ipse, qui nocens fuit, iniusteque illud dedit, tantundem aut aliquantulum maius subeat, in illo resarciendo ac restituendo.

Neque aduersus hoc objicias, ordine caritatis 3
bonum proprium eiusdem ordinis præferendum esse æquali aut minori bono alterius. Quoniam intelligendũ est, id caritatis ordine licere, quando contrariũ non est debitũ, vt in re proposita ob iniustitiam in proximum commissam bonũ famæ illius lædendo, debitum est illud ei resarcire, estò ad id sit necesse facere iacturam

æqualis

æqualis aut paulo maioris boni famæ noſtræ: alioquin neq; in bonis externis teneremur reſtituere damnum bonis proximi iniuſtè illatum, vt domum illius aut ſegetes illius iniuſtè exurẽdo: quoniam ad id neceſſe eſſet, nos æqualem aut paulo maiorem iacturam in bonis noſtris externis pati: quod tamen conſtat eſſe falſum.

Neque rurſus objicias, reſtitutionem ad id ordinari, vt conſtituatur æqualitas: at verò reſtituendo famam proximo, confitendo me fuiſſe mentitum in eo, quod falsò de illo dixi, ille manet cum ſua integra fama, & ego maneo cum detrimento meæ famæ, quod eſt inæqualitas: ergo in eo euentu non teneor famam illi reſtituere, confitendo me fuiſſe mentitum. Non, inquam, hoc rurſus objicias, quoniam reſtitutio per ſe ad id ordinatur, vt ad æqualitatem ſatisfiat damnũ ac iniuſtitia aduerſus proximum commiſſa, ſiue ad id neceſſarium ſit, eum, qui id damnum iniuſtè dedit, manere in damno æquali, vel paulo maiori, vt in exemplo eius, qui domum aut ſegetes alterius iniuſtè exuſſit, conſtat: per accidens autem eſt, quòd quando, qui alienum iniuſtè retinet, illud idem reſtituit, aut tantundem, in quo inde ſit factus locupletior, ipſe ita reſtituendo in nullo maneat damno.

4 Quòd quando aliquis falſum aliquid proximo ſuo iniuſtè impoſuit, famamq; illius læſit, teneatur ſe retractare, quando aliter famam ei reſtituere non poteſt, neq; ipſe longè maiorem infamiam inde contrahit, teneaturq; iuramento cõfirmare, id nõ ita habuiſſe, vt ipſe dixerat, quando aliter fides ei omnino non adhibebitur, neq; omnino depelletur opinio falſa, quã de eo proximo alii conceperant, fatentur doctores communiter: idq; iuramentũ verum atq; vtile tunc & neceſſarium actus erit religionis ac meritorius, ſi qui illud adhibet, cõſtitutus ſit in gratia. Dubitant verò doctores, num quando is neque illa credetur, niſi teſtes adhibeat, teneatur eos adhibere, ſi poſſit, eſtò facturus ſit ad id ſumptus aliquos, modò hi ſumptus non ſint multũ exceſſiui comparatione æſtimationis famę reſtituendæ. Nauarro in Manu. c. 18. n. 45. durũ videtur ad id aſtringere illum in eo euentu: quoniã cõfitendo ſe fuiſſe mentitũ, idq; confirmando iuramẽto, ſufficientẽ cauſam adhibet, vt illa falſa exiſtimatio de mentibus aliorũ deponatur: imò adhibet ex ſua parte maiorem cauſam vt depellatur, quàm fuerit illa, quã à principio dedit, vt ea falſa exiſtimatio in mentibus eorũ gigneretur: illiq; proinde iam tunc in culpa ſunt eã non depellẽdo, cauſaq; iniuſta ſunt eius exiſtimationis de proximo ſuo, & nõ ille alius, qui à principio pernicioſo ac iniuſto ſuo mendacio cauſa fuit vt exiſtimatio illa conciperetur. Neq; deeſt, cui hæc Nauarri opinio placeat. Sotus verò loco mox citando & alii meritò affirmant, ad id illum etiam teneri. Quoniã cũ fuerit à principio cauſa iniuſta eius exiſtimationis in damnũ proximi ſui, omnia efficere tenetur, quæ nõ cùm longè maiori ſuo detrimento, quàm ſit damnũ, quod ipſe iniuſtè proximo dedit, facere potuerit, vt ab eo dãno ille eruatur, etiãſi ad id neceſſe ſit facere ſumptus aliquos, cũ detrimento aliquo ſuorũ bonorum externorũ, quæ ſunt inferioris ordinis, quã fama. In eo tamen video multos doctores cõuenire, ſi ille qui confeſſus fuit falſum id eſſe, quod de proximo ſuo iniuſtè dixit, idq; iuramẽto confirmauit, ſiue teſtes ſimul adhibuerit, ſiue non, quia nullos habet teſtes quos adhibere poſſit, non credatur, perſeueretq; infamia proximi illius, cuius à principio ipſe fuit cauſa iniuſta, ad nullam aliã teneri illi reſtitutionẽ: quoniã eius tunc infamiæ iã ipſe non eſt cauſa, ſed cauſa ſunt, qui eam exiſtimationem retinẽt: cùm temerarii iam in eo iniuſtiq; ſint, teneanturq; eam à ſe repellere. Certè propendeo in contrariam Adriani opinionem in 4. q. de reſt. famæ in prin. eum ſcilicet tunc teneri alia via reſtituere id infamiæ, quod remanet. Etenim, qui id damnum à principio iniuſtè dedit, nondũ illud reſarciuit, quãuis cauſam adhibuerit, vnde reſarciretur, niſi per iniquitatẽ aliorũ ſtaret: nullus autẽ deobligatur ab onere reſtituẽdi damnũ, quod iniuſtè dedit, quouſq; illud re ipſa & cũ effectu reſarcit, eſtò causã adhibuerit, vnde reſarciretur, niſi per alterius iniquitatẽ ſtaret, qui illud continuat, cauſaq; iniuſta illius eſt. Si enim damnũ dedi in bonis externis, & æſtimationẽ eius damni mitto per meũ famulum aut amicũ ad eum, qui illud eſt paſſus, iſq; famulus aut amicus eã æſtimationẽ ſua culpa non reſtituit, ſed retinet, ſanè licèt is famulus aũt amicus cauſa ſit iam iniuſta, quòd id damnũ non tollatur, reſtituereq; teneatur tum id damnum, tum etiã alia, ſi quę inde vlteriùs ſint ſecuta, ego tamen ea de cauſa non deobligor à reſtitutione eius damni, nondũ reparati, cuius à principio fui cauſa iniuſta. Dixi, me propendẽre in Adriani opinionẽ: quoniam video nonnihil eſſe diſcriminis, eo quòd in re, de qua diſputamus, nõ permanet aliud damnũ, quàm quod ex eo ſequitur, quòd iſti iniquè non depellant eã exiſtimationẽ, vt iam tenẽtur: cæterùm cùm ego cauſam illius à principio dederim, effectus ſanè eſt partialiter à meo pernicioſo mendacio adhuc emanans, quamuis ſine mea noua cauſa, culpaq; ſolũ eorum, qui id adhuc exiſtimãt, atq; adeò illi præcipuè tenentur iam ad id damnũ, & ego in illorũ defectum. Quòd ſi vera eſſet quoad hoc opinio contraria opinioni Adriani, ſanè ego opinionẽ illã aliam Nauarri ample ecterer, eum ſcilicet, qui ſufficientẽ cauſam adhibuit, vt depelleretur illa ſiniſtra exiſtimatio, dicendo ſe eſſe mentitũ, idq; iuramento confirmãdo, nõ teneri inſuper adhibere teſtes, & multo minùs facere ſumptus ad illos adhibendos, eſtò qui illam ſiniſtram exiſtimationem conceperunt, depoſituri illam non ſint, niſi teſtes adhibeantur.

5 Quòd quando crimen falſum fuit alicui impoſitũ, aut nota falſa, ſufficienter fiat ei reſtitutio famæ iniuſtè ab eo ablatæ, dicendo ſe fuiſſe mentitũ, ſi inde alii deponant falſam exiſtimationem, quã de illo conceperunt, affirmãt *diuus Th. 2.2.q.62.art.2. Scotus in.4.diſt.15.q.4. Cajet. in ſumma verb. reſtitutio. c. de modo reſtituendi, Adri. vbi ſuprà, Nau. in Manu. c. 18. n. 45. Sotus. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad. 4. Gab. & Maior. in. 4. diſt. 15. vterq; q. 16.* & doctores cõmuniter. Neq; dubito id ſemper habuiſſe praxim eccleſiæ, vt ſcilicet, quod attinet ad talẽ iniuſtã famæ læſionem, nihil aliud in reſtitutionẽ iniungeretur. Qua eadẽ ratione communiter affirmant doctores, quando certò conſtaret, eos, coram quibus aliquis iniuſtè fuit infamatus de crimine aliquo, ſiue vero ſiue falſo, omnino eius rei oblitos eſſe, ad nullã teneri eum reſtitutionẽ, qui iniuſtè illũ infamauit: eo quòd id damnũ famæ iniuſtè datũ iã nõ maneat. Idem propter

propter eandem rationem sunt dicturi, quando omnes, corã quibus aliquis fuit iniustè infamatus, iam è vita discesserunt: quippe cũ iã omnino esse desit præterita omnis infamia ea de re.

Caiet.2.2.q.62.art.2. ad.2. & quidam alii, hæc non negando, nihilominus affirmãt, quando crimen, de quo aliquis iniustè fuit infamatus, erat falsum, estò verisimile sit eos, qui longo tempore antea illud audierunt, oblitos iã **esse**: quia tamen id certũ non est, esseq; potest vt **recordẽtur**, & vt eo plus firmentur in existimatione **illud** verum fuisse, quo vident eum, qui illam infamiam sparsit, tanto tempore de suis peccatis sacramẽtaliter fuisse confessum, nunquamq; se ipsum retractãdo ea de re, famã restituisse, teneri adhuc se retractare corã illis. Quamuis autem id tutum sit, ac regulariter amplectendũ propter id periculũ; quãdo tamen esset perexigua probabilitas eos adhuc recordari, atq; ex retractatione sequeretur notabilis infamia ei, qui se retractare deberet, arbitror eum non teneri tunc se retractare, sed satisfacere laudando illum, quem infamauit, vel aliqua alia ratione ei compensando id infamiæ, quod remanere posse præsumitur, attento quod certum non sit eam remanere, qua de causa eo minor compensatio illi debetur, quo minùs est certum eam remanere. Atq; eadem ratione minor etiam restitutio debetur, quando crimẽ, de quo dubitatur, an adhuc maneat infamia, verum fuit, quod proinde nefas est retractare, quàm deberetur, si certum esset infamiam de illo adhuc remanere.

Vtrùm pro infamia, quam paßus est is, cui fama reſtituitur retractatione criminis falſi, aut notæ illi impoſitæ, à puncto quo ita fuit infamatus, vſque ad eam reſtitutionem, ſumpta ea infamia præciſè à quocunque alio damno ex illa ſequuto, reſtitutio aliqua illi debeatur. Diſp. 42.

SVMMARIVM.

1. *Nihil reſtitutionis debetur nec iniungi debet pro iniuria, quam iniuſtè infamatus paſſus eſt tempore toto quo infamiam ſuſtinuit, interim dum fama illi nõ fuit reſtituta, aut interim dum infamia illa alia ratione non fuit abolita.*
2. *Refutantur duæ obiectiones in contrarium.*

ANtequã vlteriùs progrediamur, quod propositum est, erit examinandũ. Eademq; est difficultas de quacunq; alia infamia, quã passus sit aliquis vsq; ad punctũ, quo omnino fuit abolita morte, aut obliuione illorum omnium, qui notitiam de ea re habuerunt, & de quacunq; alia infamia, quam quis sit passus vsq; ad instãs, quo plenè ei restituitur, num scilicet restitutio solũ debeatur pro infamia, quæ adhuc pendet in futurum, & quatenus in futurũ pendet, quasi quo ad id solùm rationem habeat damni permanentis; nõ verò debeatur restitutio pro infamia præterita, præcisè sumpta à quocunque alio damno ex illa sequuto, quasi illa, ita præcisè sumpta, rationem non habeat damni permanentis, sed retineat solùm rationem iniuriæ pœna dignæ.

1 Ex dictis præcedente Disputatione satis cõstat, consonũ omnino esse communi doctorum sententiæ, praxiq; ecclesiæ in cõfessionibus semper seruatæ, nihil restitutionis deberi, nec proinde esse iniungendũ, pro iniuria, quam iniuſtè infamatus passus est tempore toto, quo infamiam sustinuit, interim dum fama illi nõ fuit restituta, aut interim dum infamia illa alia ratione nõ fuit abolita. Tametsi doctores omnes confiteantur, si ex ea infamia toto illo tempore sequutũ ei fuit aliquod damnũ, vt quia ea de causa priuatus fuit officio, beneficio, aut emolumẽto alio, vel sumptus aliquos fecit, vt se purgaret, aliquod ve aliud damnũ, etiã lucri ea de causa cessantis, est passus, id totũ esse illi restituendũ. Nullus verò doctorũ inter damna restituenda computat, subiacuisse iniuſtè infamatũ toto eo tempore infamiæ illi, malamq; de illo toto eo tempore habitã fuisse existimationẽ. Ratio autẽ huius praxis cõmuniſque doctrinæ (licèt nullus, quod legerim, eã reddat, neq; examinet hanc difficultatem) hæc est: Quoniã illa alia verè habent rationẽ damni permanentis: subiacuisse verò iniuſtè toto illo tempore illi infamię ac existimationi, quę de illo fuit habita, solùm iã nunc habet rationẽ iniurię perpessæ, quæ trãsiuit nullo iam nunc relicto dãno: vt verò tractatu 2 Disp. 715 pro solo dãno remanente debetur restitutio, non verò pro iniuria sumpta præcisè à dãno dato, sed illi respõdet cõdigna pœna, quæ nõ debetur ante latã sententiã. Cum hac verò doctrina consentiunt, quæ tractatu præcedente Disp. 100 & aliàs sæpe dicta sunt.

Neq; *Adrian. in.4.q.de reſt.fama ad.2.& 3.eorũ*, quæ vltimo eo in loco proponit, aliud docet. Ibi enim, concedẽs eum, qui diffamauit, non teneri ad famæ restitutionem, quãdo, qui malam de ita diffamato conceperãt opinionẽ, ab ea mala opinione resiliunt, quòd videant, eum, qui diffamauit, in multis aliis compertũ fuisse dixisse falsum, hæc verba subiungit: *Manet nihilominus, qui diffamauit, obligatus ad reparationem pro intereſſe medii temporis, quo diffamatus erat, ſiue fuerit intereſſe damni emergentis, ſiue lucri ceſſantis ex ea diffamatione: vt in re furtim ablata, quæ poſt reſtituitur.* Hęc ille. Quo in loco perspicuè liquet, non loqui de reparatione infamiæ, quã eo tempore sustinuit.

Illa quippe infamia per recuperationem famæ abolita ac resarcita fuit: non secùs atq; damnum rei furto ablatæ per restitutionem eiusdẽ aut alterius similis rei aboletur ac resarcitur: neq; pro iniuria, quòd caruerit sua fama toto eo tempore, debetur ei restitutio, sed iniuriæ illi pœna respondet: sicut neq; pro iniuria, quòd caruerit re sua externa, quæ furto ab eo fuit ablata, toto eo tempore, quo restituta ei nõ fuit, debetur ei restitutio aliqua. Loquitur ergo Adrianus eo in loco de sola reparatione damni emergentis, aut lucri cessantis ex infamia toto eo tempore perpessa, si quòd fortè ex ea infamia illi emerſit, aut cessauit in aliquibus aliis suis bonis, vt perspicuè verba illius innuunt, & exemplum, quod de re furto ablata adhibet: quare cum communi aliorum doctorum sententia consentit.

Idem voluit *Nauar. in Manu.c.18.n.43.& 47. verſ.ex eiſdem cauſis*, &c. Vt patet expendẽti verba illius. Loquitur enim de sola reparatione dãni, additque; *ſi quod à tempore illatæ infamiæ vſq; ad eiuſdem abolitionem fuit paſſus.* Satis autẽ perspicuum est, si illum subiacuisse toto illo tempore infamiæ Nauarrus arbitraretur esse damnum permanens, esseq; obligationem illud restituendi, loquuturum eum non fuisse condicionaliter, dicendo, *ſi quod à tempore illatæ infamiæ vſque ad eiuſdem*

eiusdem abolitionem fuit paßus: quoniam constaret, semper eum id damnum fuisse passum.

Arbitror autem recedendū nulla ratione esse à communi hac de re doctorum sentētia hactenus à nobis explicata, communiq; ecclesiæ vsu confirmata, nouū onus introducendo restituendi aliquid iniustè infamato pro tempore, quo infamiæ subiacuit, eāq; sustinuit. Maximè quoniā id esset graue iugū ceruicibus pænitentiū iniungere, à quo non facilè eos exonerarent. Atq; vt hæc communis doctorū sentētia, praxi ecclesiæ confirmata, corroborat, quæ dicta à nobis sunt tractatu 2 Disp. 715, & tractatu 3 Disp. 100, ita vicissim ex illis ipsa corroboratur.

2 Objiciet nihilominus aliquis aduersus hanc communem doctorum sententiam, aliquē subiacuisse infamiæ iniustè tēpore aliquo, quousq; fama retractatione restitueretur, aut alia ratione infamia aboleretur, non esse nudam iniuriā, sed esse verum damnum, ac proinde restitutione esse necessariò in conscientiæ foro cōpensandū. Id verò probabit. Primò, quoniā non sicut res se habet in re furto ablata, esse scilicet iniuriam & non damnū, caruisse illa tempore toto quousq; fuit restituta; ita res habet in fama iniustè ablata. Fama enim est existimatio, quæ de aliquo habetur: & quemadmodū bonū hoc coalescit ac integratur ex existimatione diuersorū, cū quibus viuimus, quíve nos agnoscunt, notitiámve de nobis habent, ita coalescit ac integratur existimatione, quā de nobis habent toto tēpore, quo viuimus, atq; etiam post mortē nostrā: sicut ergo, qui nos iniustè infamat apud aliquē, aut apud aliquos, iniustè efficit nos carere parte integrāte nostræ famæ, damniq; proinde illius nostri est causa, teneturq; idcirco illud nobis restituere: ita qui iniustè nos carere efficit fama nostra certo aliquo tēpore, iniustè efficit nos carere parte integrante nostræ famæ, estq; proinde causa illius nostri damni, quod restituere nobis similiter tenetur; neq; illud nobis ex eo resarciretur, quòd infamia aboleatur, continuariq; fama nostra incipiat, qualis erat antequā id damnū nobis iniustè inferretur, aut ex eo, quòd retractatione fama nostra redeat ad statū in quo erat antequā iniustè læderetur: quippe cùm nō redeat maior, quàm ante læsionem erat, vt suo augmento pars illa quo ad durationē, quæ iniustè ablata ac impedita fuit, resarcitur, neq; quo ad durationē ad eum redeat statū, in quo erat antequam à nobis iniustè auferretur: non ergo sicut res habet in re externa furto ablata, aut iniustè damno affecta ac destructa, quando restituitur & cōpensatur re alia eiusdē bonitatis ac valoris, ita res habet in fama, quando infamiæ abolitione resarcitur, aut retractatione instauratur. Quando enim res externa furto ablata, iniustéve dāno affecta ac destructa, alia æquiualenti restituitur, totū, quod iniustè fuerat ablatū aut destructum, quo ad omnes suas partes restituitur ac compensatur: at verò quando infamia morte aut obliuione eorum, apud quos quis fuerat iniustè infamatus, aboletur, aut retractatione fama læsa instauratur, non redit fama integra quo ad omnes suas partes, sed perinde res habet, ac si res externa restitueretur destructa in aliqua sua parte: quod constat non sufficere ad integram ac plenam restitutionem.

Secundo, interim dū perseuerat infamia, cuius aliquis iniusta fuit causa, tenetur is, qui illius fuit causa iniusta, restituere id damnū iniustè datū, vt omnes cōcedunt: quòd si restituere illud non possit bono eiusdē generis, tenetur restituere id pecunia, aut aliqua alia ratione, vt in sequētibus dicemus: ergo dato transactoq; iā toto dāno iniusto, quod infamatus sustinuit, nō minùs, qui illud iniustè dedit, tenetur id totū quo ad durationem restituere, quā teneretur restituere partem illius, si quæ adhuc in futurum pendēret: eaq; de causa, quando abolita fuit infamia morte, verbi gratia, eorū, apud quos iniustè infamauit, transactaq; fuit tota infamia quo ad durationē, quam iniustè infamatus toto tempore, quo illi vixerūt, sustinuit, non minùs est illi restituendum damnum totum infamiæ transactum ac perpessum, quàm esset illi eidem restituēda pars quo ad durationem eiusdem damni, quæ adhuc in futurū pendēret, restaretque adhuc perferenda.

Fateor hæc argumenta facilè permouere quēuis doctū virū possent, vt assereret, abolita iam infamia, aut fama iam instaurata retractatione criminis falsi aut notæ impositæ, adhuc eum, qui iniustè infamauit, restituere teneri id infamiæ, quod infamatus interim sustinuit dum infamia abolita non fuit: vt & me (statim ac de hac re cogitanti occurrerunt) ancipitē reddiderunt, num hac in re discedendū mihi esset à communi doctorū sententia. Re tamen attentè matureq; cōsiderata, inclino recedendū ab ea nō esse. Nō solùm quòd non facilè transgredi debeamus limites, quos patres nostri maturo iudicio cōstituerūt; neq; sit recedendū ab vsu ecclesiæ à temporibus antiquis recepto; neq; pœnitentes sint grauandi tanto tā molesto difficiliq; onere, dū cum probabilitate ab eo possunt excusari: sed etiam quoniam in vnaquaq; re, attenta ac expēsa illius natura, est arbitrandū ac iudicandū, nū maneat vel non maneat damnū, sed potiùs in nudā transierit iniuriam, ac proinde nū iniungenda sit aut non sit restitutio pro illo. Res etenim externæ ad ipsarum vsum ordinantur, ac proinde interim dum non restituuntur, vel eędē numero, quæ iniustè ablatæ aut destructæ sunt, vel aliæ illis æquiualentes, vt earū similis aut æquialens esse possit vsus, dicitur is, qui id iniustū detrimentū accepit, manere in damno à principio ei iniustè dato. Cęterū fama in virtutis testimoniū ordinatur, aut alterius excellētiæ, de qua est ea fama, & in emolumēta, quæ inde sunt nata oriri, attenta existimatione hominū, vsúq; & institutione reipublicę, cuius sumus partes. Neq; famę assistētia virtuti, aut alteri excellētiæ verè aut existimatæ, in vno tempore, inseruit in aliud tēpus, quin potiùs diuisa quo ad durationē atq; assistentiā virtuti, aut alteri excellentiæ, ad diuisionē temporis, in quo durat, transit cum ipso tempore, neq; inseruire est apta quo ad suum vsum in aliud tēpus. Quo fit, vt fama eo modo spectata, perinde se habeat, atq; se habet sanitas corporis diuisa ad diuisionē tēporis, in quo vita durat: eaq; de causa, sicut, qui iniustè lædit sanitatē corporis, tenetur quidē interim dum id damnū ac læsio perseuerat ac pendet in futurū, restituere id damnū, adhibendo quæ necessaria sunt, vt corpus ad suā naturalē disp ositionē reducatur, & insuper restituere tenetur, si quæ alia damna lucri cessantis, aut dāni emergētis ex ea læsione iniusta ac defectu sanitatis vlteriùs sunt secuta, vt si ob eū sanitatis

tatis defectum eo modo iniustè læsus nõ locauit operas suas, aut ab alio lucro est impeditus, vel damnum aliud ei emersit ac sustinuit; redintegrata verò sanitate, vel natura sola curante, vel simul arte adiuuante, ad nullam restitutionẽ læsionis ac damni corporis præteriti tenetur, vt cũ Adriano & Richardo, nemine, quod sciã, refragante, tractatu præcedente Disp. 88 dictum est: ita qui famã iniustè lædit, tenetur quidẽ interim dum id damnũ durat, infamiaq; in futurum pẽdet, restituere id damnũ, adhibendo quæ necessaria sint, vt infamia cesset, & vt existimatio de illo ad pristinum redeat statum, & insuper restituere tenetur, si quæ alia damna lucri cessantis, aut damni emergentis, ex ea infamia secuta fuerunt: at verò, redintegrata ac instaurata iam fama, vel retractatione criminis falsi, aut notę impositæ, vel quòd alia via abolita iam sit infamia, cui causa iniusta fuerat data, sanè nulla obligatio restituendi manet id damnum famæ præteritũ. Ratio autem vtrobiq; est eadem, quoniam scilicet quemadmodũ in læsione corporis, redintegrata iam sanitate, nullũ manet damnũ, subiacuisseq; antea damno corporis ad tempus, non retinet eam rationem damni permanentis, sed transit in rationem nudæ iniuriæ acceptæ, pro qua non restitutio, sed sola pœna debetur: ita in læsione famæ, instaurata iam fama, contrariæ infamiæ abolitione, nullum famæ damnum remanet, subiacuisseque infamiæ aliquando non retinet iam rationem damni permanentis, pro quo sola restitutio debetur, sed transit in rationem nudam iniuriæ acceptæ, cui non restitutio, sed pœna respondet. Ac sanè est credendum, si Petrus aut Paulus, vel alius Apostolorũ, confessionem alicuius audisset, qui confiteretur, se ante quindecim dies imposuisse alicui crimen aliquod, nihil aliud tali pœnitenti in satisfactionem præcepisset, quàm vt se ipsum coram illis retractaret, quibus id dixit, nullam aliam illi iniungendo restitutionem pro infamia, cui ille alius eo modo iniustè infamatus integris illis quindecim diebus subiacuit, quando inde nullum aliud damnum fuit ei subsequutum: id quod perpetuò praxim ecclesiæ seruasse non dubito.

Ad obiectionem ergo in contrarium negandum est, subiacuisse aliquem infamiæ tempore præterito, non esse nudam iniuriam, absq; vlla ratione damni in eo permanentis, postquam iam instaurata est fama, contrariæ infamiæ integra abolitione. Ad primã verò probationem in contrarium dicendum est, quamuis non eodem omnino modo res se habeat in re furto ablata & in fama iniustè ablata, vt bene argumentum probat; nihilominus infamiam solùm subire rationem damni quamdiu in futurum pendet, non verò habere rationem damni quo ad partes, quæ, diuisa ad diuisionem temporis, in quo toto perseuerat, iam transierunt, esseq; desierunt: eo etenim ipso quòd transeunt, habere desinunt rationem damni permanentis, sortiunturq; rationem nudæ iniuriæ acceptæ, vt de partibus sanitatis corporis, diuisæ ad diuisionem temporis, in quo totò vita durat, dictum est: eaque de causa, abolita iam infamia, famaq; reducta ad statum, in quo erat ante infamiam, non remanet obligatio compensandi restitutione infamiam, quæ fuit vsq; ad integram famæ instaurationẽ: quoniam ea infamia eo ipso, quòd fluxit, rationem habere desiuit damni permanentis. Quamuis ergo fama non redeat quo ad eas suas partes, quæ iniustè fuerunt impeditæ, esseq; debuerunt in tempore præterito; redit tamen quo ad omnes partes, quas, quando redit, erat habitura: caq; de causa in nullo redit damno affecta: quemadmodum damno affecta rediret res externa, quæ restitueretur non integra quo ad omnes suas partes. Quo fit, vt non eadem sit ratio, quod ad restituendi obligationem attinet, de partibus famæ iniustè ablatæ, quæ, si extitissent, impeditæq; iniustè non fuissent contraria infamia, fluxissent cum tempore, & de partibus rei externæ, quæ iniustè ablata aut destructa sit.

Ad secundam, concesso antecedente, neganda est consequentia, quando dato transactoque toto damno, is, qui illud iniustè est passus, non remanet in damno, vt in re proposita euenit. Quando verò pars talis damni est transacta, & pars alia pendet in futurum, ea sola quę in futurum pendet, est restituenda: quoniam ea sola habet iam rationem damni: non verò est restituenda pars transacta: quoniam hæc ipso, quòd transacta est, non retinet rationem damni, sed solùm habet rationem iniuriæ acceptæ, vt dictum explanatumque est.

Dices: Ex his sequitur, aliquem reportare commodum ex eo, quòd non restituat tempore, quo tenetur. Etenim si expectet, vt infamia aboleatur obliuione aut morte eorum, qui illam norunt, liberabitur ab onere restituendi, cui ante eam infamiæ abolitionem subiacebat. Respondeo, nullum esse absurdum, si per accidens id inde sequatur. Sicut etiam ex eo, quòd is, qui vulnus iniustè inflixit, expectet vt vulneratus per naturam perfectè sanetur, deobligatur ab onere restituendi illi damnum sanitatis amissæ, quod tamen ante sanitatem acquisitam restituere tenebatur, expensas cõpetentes efficiendo ad perfectam curationem. Hæc tamen commoda temporalia, per accidens ita ex culpa retardandi restitutionem sequuta, coniuncta sunt cum longè maiori damno proprio spirituali. Exemplũ quoque adhiberi posset in eo, qui retardando restitutionem rerum externarum, cum iniuria, sed sine alio damno eius, cui restitutio fieri deberet, rebus, quas ita restituere teneretur, lucraretur negociando: d quippe lucrum ad ipsum spectaret, idque temporale commodum ex sua iniqua retardatione restitutionis reportaret, cõiunctum cum longè maiori suo damno spirituali.

Quamuis autem hæc omnia ita se habeant, tutum tamen atque æquum arbitror suadere pœnitentibus, maximè quando infamia sola obliuione aut morte eorum, qui notitiam de illa habebant, esse desiuit, vt laudibus infamati, quo ad alia illius laude digna, compensare conarentur infamiam, quam ille cum iniuria fuit passus, aut aliquibus beneficiis ea de causa illi impensis, vel saltem Deo offerendo, vt si illi in aliquo tenetur, id diuina ipsius Maiestas compenset, applicando illi de ipsius operibus satisfactoriis, quantum viderit ad id esse satis. Non tamen affirmare auderem, pœnitentes ad hæc teneri.

Vtrùm

Vtrùm indirectè falsum crimen in iudicio alicui imponens, se ipsum in eo iudicio defendendo, teneatur illi ad famæ restitutionem. Disp. 43.

SVMMARIVM.

1. *SI accusatus negando crimen suum damnum inferat famæ legitimè eum accusantis, tenetur illi restituere id damnum, vel se retractando si adhuc perseueret iudicium, aut estò iudicium sit iam absolutum: modò tamen tutò id possit efficere sine longè maiori suo incommodo.*
2. *Siue in iudicio siue extra iudicium crimen alicuius iniustè detegatur, atque is qui illud commisit, vt se defendat, affirmet, vel detectorem non dicere verum, vel se tale aliquid non fecisse, vnde indirectè affirmet illum non dicere verum, tenetur illi ad restitutionem famæ, si eam fortè in aliquo tunc læsit.*
3. *Qui indirectè famam accusatoris læsit, quamuis non teneatur eam illi restituere, suum retractando dictum, seq; ipsum infamando, tenetur tamen illi restituere famam per verba quædam sobria.*
4. *Qui in iudicio non seruato ordine iuris accusatur & interrogatur de aliquo crimine, quod verè commisit, potest absque mendacio affirmare, se id non commisisse, liceatq; id iureiurando confirmare, posito, vt illud confiteri teneatur.*

EXemplum est, quando aliquis, qui verè crimen aliquod commisit, de eo accusatur, atque, vt se defendat, negat se id crimen commisisse: eo enim ipso virtute ac indirectè affirmat accusatorem mentiri, calumniatoremque esse. Simili modo si aduersus denunciantem aut testificantem de eo crimine illud neget, virtute ac indirectè affirmat illum ea in re fuisse mentitū. Quærunt ergo doctores, num qui ita se defendendo famam alterius lædit, restituere id damnum illi teneatur.

1 Est verò in hunc modum distinguendū: Quoniam vel qui eò modo accusatur, seruato ordine iuris, interrogatur, ita vt, quia iuridicè interrogatur, teneatur crimen suum confiteri: vel nondū interrogatur seruato ordine iuris, ita vt crimen suum teneatur confiteri, iuxta ea quæ tractatu sequenti explicanda sunt. Atq; in primo euentu conueniunt doctores, si accusatus, negando crimen suum, damnum inferat famæ legitimè eum accusantis, teneri illi restituere id damnum, vel se retractando, si adhuc perseueret iudicium, aut estò iudicium sit iam absolutum: modò tamen tutò id possit efficere sine longè maiori suo incommodo, vt pænæ alicuius grauis: vel quando aliter non posset, compensando id damnum aliquibus aliis bonis. Ratio autem est, quoniam cùm iniustè id damnum dederit; eo quòd iuridicè accusaretur ac interrogaretur; restituere tenetur id damnum iniustè datum. Meritò autem dictum est, si negando crimen suum, damnum inferat famæ legitimè illū accusantis: quoniam si re ipsa damnum illi non inferat, vt vt plurium nullum inferet, quoniam non propterea accusans, aut aduersus eum testificans, habebitur mendax aut calumniator, sed omnes intelligent, vel accusatum omni modo, quo potest, siue verè siue falsò, per fasve aut per nefas se defendere, suspicioque erit accusatum mentiri; vel tales A erant tunc circumstantiæ, ex quibus credatur, accusantem bona fide & absque vlla leuitate processisse ad accusandum, facileque potuisse decipi, in quibus euentibus, vt accusans nullum famæ suæ detrimentum incurret, ita neque accusatus ad vllam restitutionem ea de causa illi tenebitur. Ita *Caiet. 2.2.q.62.ar.2. & in summa, verb. restitutio. c. vlt. casu. 1.*

In secundo verò euentu Caiet. locis citatis ait, 2 siue in iudicio, siue extra iudicium, crimen alicuius iniustè detegatur, atque is, qui illud commisit, vt se defendat, affirmet, vel detectorē non dicere verum, vel se tale quid non fecisse, vnde indirectè affirmet illum non dicere verum, teB neri illi ad restitutionem famæ ita læsæ, si eā fortè in aliquo tunc læsit. Si enim eam tunc non læsit, quia is, qui crimen detexit, non reputatur ab id audientibus mentitus, iuxta ea quæ in præcedenti euentu dicta sunt, non tenetur illi ad vllam restitutionem, vt est perspicuum. Solùm verò admittit Caietanus, accusatum de crimine aliquo vero, non seruato ordine iuris, posse respōdere: Nego proposita. Probentur. Non asserēdo falsa ea esse, aut se ea nō commisisse. Addit etiam Caietanus, quamuis iniustè eo modo accusans, aut crimen alienum detegens, contra iustitiam peccet, teneaturque restituere accusato famam, quam ea ratione læsit; & vicissim peccet contra C iustitiam accusatus eo modo, qui directè aut indirectè dicit, accusantem non verum dixisse, teneaturque ei ad restitutionem famæ, quam ita læsit; locum tamen non esse compensationi, sed sibi mutuo eo teneri restituere famā læsam: censet enim in restitutione famæ locum non esse compensationi: quod tamen infrà suò loco improbabitur.

Scotus verò *in. 4. dist. 15. q. 4. Richardus ibidē art. 5. q. 3. Adria. q. de rest. famæ in prin. & in responsione ad. 4. principale, Sylvest. verb. rest. 3. §. 3. Sotus. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad. 4. Nauar. in Ma. c. 18. n. 48. Maior & Gabr. vterq; in. 4. dist. 15. q. 16.* affirmāt eum, qui in eo secundo euentu negat, se tale crimen comD misisse, aut qui falsum id esse asserit, quod ipsi tribuitur, non teneri restituere famam detectori eius criminis. Ducuntur. Quoniam licèt sit mentitus, atque, si iuramento id confirmauit, peccauerit lethaliter; peccatum tamen illud nō est contra iustitiam: quippe cùm is iure suo sit vsus, suamq; famam defenderit, quam alius iniustè lacerare est aggressus: quare sicut, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia scilicet ita erat necessarium ad suam defensionem, suum occidit inuasorem, licèt odio id efficiat, lethaliterque contra caritatem peccet, ad nullā tamen restitutionem tenetur, eo quòd iustitiam non violauerit; ita res habet in proposito.

Scotus addit, nihilominus, qui ita indirectè 3 famam accusatoris læsit, quamuis non teneatur eam illi restituere suum retractando dictum, seque ipsum infamando, teneri tamen restituere illi famam per verba quædam sobria, vt dicendo, non existimetis illum calumniatorem: credo enim eum bonam habuisse intentionem, arbitratumq; fuisse se probare posse suum intentum. Sotus verò, Maior, & Sylvester locis citatis meritò aiunt: Si Scotus intelligat, illum ad id teneri de iustitia, falsum id esse. Quoniā accusatus non peccauit contra iustitiam se ita defendēdo: eaq; de causa nō tenetur de iustitia ad vllā resti-

tutionem. Si autem intelligat ex caritate, verum esse id, quando spes esset, ea via instaurandâ esse famam illius. Sotus tribuit Scoto affirmasse, eũ, qui suum crimen negauit, de quo accusatur aut interrogatur, conseruato iuris ordine, peccasse contra rempublicam. Contrarium tamen apertè ibi Scotus affirmat. A

Quãuis opinio Scoti, & aliorũ hactenus explicata ac limitata, nobis probetur, arbitror tamen cũ *Ledesmio. 2. 4. q. 18. art. 2.* limitandâ adhuc eam esse, vt intelligatur esse veram, quando is, cuius crimen iniustè fuit detectum, nõ aliter sufficienter ac tutò credit se consulere suæ proprię famę, quàm negando, se id crimen commisisse, aut asserẽdo, falsum esse, quod de ipso dicitur. Si enim credit, se aliter sufficienter consulere suæ famæ, vt dicendo probet, quæ obijcit, aut negãdo quæ obijciuntur, simulq; obijcientem excusando, nõ quidẽ de falsitate eorũ, quæ dicuntur, sed de mẽdacio & calumnia ex parte illius, sanè cõtra iustitiam peccaret, restituereq; teneretur eam famæ partẽ, quã eo modo excedendo in sui defensione læderet. Ratio autẽ est, quoniã iustitia solùm facere in defensionẽ propriam permittit, quantũ est satis, vt tutò quis se defendat: excessus verò est iniustus. Si tamen non occurrit hæc præmeditari ac taxare, excessusq; non est talis ac tantus, quem quiuis facilè, si animaduertere vellet, intelligeret necessarium ad tutã defensionem non esse, sanè non auderẽ iniungere ita excedenti restituendi onus: quoniam redacto culpa alterius ad eas angustias defendendi tunc subitò suam famam, non facilè hæc occurrunt, vt ad illa attendat, eaq; expendat, aut excessum euiret: Adde, si se ita defendendo cum eo excessu, non integre suam famam compurgauit, sed suspicio aliqua apud audientes manet, ne fortè id crimen commiserit, tunc compensare posse damnum, quod, se defendendo cum excessu vltra limites sibi concessos, illi alteri intulit cum damno sibi ab altero iniustè illato. B C

4 Illud in hac materia propter Sotum & alios admonuerim: Eum, qui in iudicio non seruato ordine iuris accusatur ac interrogatur de aliquo crimine, quod verè commisit, posse absq; mẽdacio affirmare, se id non cõmisisse, liciteq; iureiurando id confirmare, intelligendo, vt illud cõfiteri teneatur. Ratio autẽ est, quoniã iustus iudex in eo solo euentu, in eoq; solo sensu, interrogaret: quare responsio illa verum continet in sensu, in quo iustus iudex interrogat, interrogaréve intenderet. Ei verò iudici, qui nõ legitimè interrogaret, non teneretur respõdere ad peruersam mentẽ ita interrogantis, sed satis esset si responderet in sensu aliquo vero, quẽ ea verba haberẽt, respondendo ad mentẽ legitimè interrogantis. Hactenus de restitutione famæ, quando læditur, falsum crimen, siue directè siue indirectè, alicui imponendo. D E

De restitutione famæ læsæ iniustè detectione criminis veri, notæve veræ alicuius.

Disp. 44.

SVMMARIVM.

1. *Cùm fama iniustè læditur detegendo crimen alicuius verum, aut notam alicuius veram, tunc fama restituenda non est retractando, quod verè fuit dictum. Sed si amphibologia aliqua ea existimatio à detegente id crimen, iniustè mentibus audientium effecta, euelli à mentibus illorum possit, ea est vtendum: euulsaq; omnino ea existimatione à mentibus illorum, sufficienter est facta restitutio illi, cuius fama iniustè fuerat læsa.*
2. *Varii modi amphibologiarum.*
3. *Amphibologiæ, statim atque agnoscitur eis esse vsum ad restituendam famam, quando crimen verum fuit iniustè detectum, inutiles ad id omnino reddunt, vel simpliciter, vel apud eos, qui id norunt, atque agnoscere possunt.*

QVando fama iniustè læditur detegendo crimen alicuius verum, aut notam alicuius veram, conueniunt doctores, tunc famã restituendam non esse retractando, quod verè fuit dictũ: quoniam id esset mendacium, quod pro nulla re mundi est proferendum: eo quòd sit intrinsecè malum. Conueniunt item, si amphibologia aliqua ea existimatio à detegente id crimen aut notam, iniustè mentibus audientium effecta, euelli à mentibus illorum possit, ea esse vtendũ: euulsaq; omnino ea existimatione à mẽtibus illorũ, sufficienter esse factam restitutionẽ illi, cuius fama iniustè fuerat læsa. Nisi fortè ante eam famę restaurationẽ ex præterita infamia subsequuta fuissent damna aliqua lucri cessantis aut iacturæ alicuius: tunc enim hęc etiam essent illi restituẽda. Quòd si infamia permanens est, nec eo modo euelli posset, ait *diuus Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.* & cum eo *Adrian. quodl. 11. q. 1. lit. S.* & doctores communiter, non solùm in hoc euentu, sed etiã in quocunq; alio, in quo sit obligatio restituendi famam, neque fama læsa posset aliter reparari, compensationem eius iniustè læsionis facienda esse in aliquibus aliis bonis prudentis arbitrio. 1

Diuus Thomas & Scotus locis citatis, ac quidam alii, sequentes suadent amphibologias ad famam restituendam, quando crimen verum (idem intellige de nota vera) fuit iniustè detectum, & permanet infamia. Vt detegẽs illis, quibus illud detexit, dicat: Malè dixi, tale vel tale de tali dicendo, iniusteq; illum infamaui. Nequaquam id credatis. In his enim verbis nullum interuenit mendacium. Cùm enim peccauerit id dicendo, vtiq; malè id dixit. Verè item iniustè illum infamauit id de illo dicendo. In eo item, quòd suadeat, vt id non credant, neq; mendaciũ interuenit, neque mali aliquid continetur.

Recentiores tamen theologi meritò obseruant, quamuis is restituendi modus sufficiens fortè esset apud aliquos rudes, quando verisimiliter crederetur, ea via depellendam omnino à mentibus eorum esse malam illam existimationem, quam de eo proximo conceperant: insufficientem tamen esse apud eos, qui iudicio pollerent: hi enim cùm attenderent, famam ita restituentem non apertè asserere se falsum dixisse, potiùs ea via confirmarentur verum id fuisse, quod audierunt, quàm ab eorum mentibus mala existimatio, quam conceperant, euelleretur. Præsertim si de hoc modo famam restituendi, quando verum crimen fuit detectum, notitiam aliquam habeant.

Maior. in. 4. dist. 15. q. 16. hunc modum restituendi famã in hoc euentu suadet, vt qui iniustè crimen verũ detegendo infamauit, dicat: Quãdo tale quid de tali dixi, existimabam verum esse, adhibita

adhibita tamen postea diligentia, inueni, me A *45.* & alii. Est autem hic modus compensandi famam, quando restarciri non potest, melior cæteris: eo quòd ad æqualitatem bono eiusdem generis compensetur. Quando autem neutro prædictorum modorum restitui posset, compensanda est honore, reuerentiam illi exhibendo, aut alios honoris actus erga illum exercendo, vltra eos, quos alioquin illi exhibuisset, qui proportione quadam eam famam compensent, consonatq; *diuus Th. art. 2.* citato in responsione ad 1. Cùm enim honoris bonum, affine maximè sit bono famæ, quando fama bono eiusdem generis non potest omnino compensari, rectiùs accommodatiusq; ad ipsam rei naturam compensabitur honore, quàm aliquo alio bono. Beneficiis etiam ac pecunia compensari poterit, quando alia non occurrerit via. Satisfactio autē bonis spiritualibus, vt Deo offerendo de propriis satisfactionibus pro illo, quantum sua diuina maiestas iudicauerit ad id esse satis, vel sacrificia & orationes pro illo offerendo, si ille adhuc viueret, nec contentus esset eo satisfactionis modo, non sufficeret: quoniam velut pro nihilo id duceret, vt tractatu præcedente Disp. 84 de satisfactione in bonis spiritualibus pro damno corporis, honoris, aut famæ, quæ viuo fieret, dictū est. Si autem iam esset defunctus, neq; cōstaret eum esse in inferno, sufficeret sanè ea satisfactio ac restitutio. Quoniam restitutio pro eis bonis ipsi defuncto, & non hæredibus illius, est facienda; eo quòd bonum famæ & honoris transferibile non sit ad hæredes, neque hæreditario iure ad ea bona habent ius: defuncto verò in eo statu magis grata erit satisfactio in bonis spiritualibus, quàm in quibuscunque aliis bonis, vt Disputatione citata dictum est. Si autem constaret illum esse in inferno, nulla prorsus restitutio deberetur, tam illi; quoniam iam non esset proximus, neq; in eo vllam ei efficeremus iniuriam; quàm hæredibus illius; quoniam illi ius non habent ad eam restitutionem, vt vtrumque Disputatione citata est dictum.

2 Ego hunc etiam modum aliquando suasi, vt dicat: Quod de tali dixi, ex mea sanè malitia id dixi, atque, si opus fuerit, iuramento confirmabo, ex mea malitia me id dixisse: vnde id omnino non credatis, talemque existimationem de mentibus vestris deponite. In quo sanè modo restituendi famam nihil mendacii continetur: quippe cùm ex nequitia propria id proferentis emanauit detectio illa iniusta criminis alieni.

Alii recentiores hanc aliam amphibologiam excogitauerunt, vt cùm duplex sit veritas, sermonis scilicet ac vitæ, quæ in eo est posita, & quod operamur, cum lege Dei consentiat; & per con- B sequens duplex etiam sit falsum, seu etiam mendacium, vnum, quod contrarium est veritati sermonis, & alterum, quod contrarium est veritati vitæ, & in eo est positū, quòd cum lege Dei non consentiat, sed ab ea discrepet, de quo nō semel mentio fit in scripturis sacris: cùm, inquam, hæc ita sint, qui crimen verum de aliquo iniustè detexit, dicat, quod de tali dixi, falsum esse cōperi, aut comperi esse mendaciū, vel falsum aut mendacium tunc affirmaui, intelligendo de falso aut mendacio, contrario veritati vitæ, ita vt sit sensus, id dicendo, transgressus sum legem Dei, seu peccaui: quod est verissimum. Neq; hæc amphibologia caret maxima probabilitate. Quādo ta- C men ex ea, aut ex aliqua alia, longè maior infamia sequeretur ei, qui eo modo restituere aggrederetur famam, quàm esset infamia restituenda, obligatio non esset eo modo restituere famam, vt ex dictis disputationibus præcedētibus satis cōstat.

3 Illud circa hos omnes modos est obseruandū, statim atq; agnoscatur, eis esse vsum ad restituēdam famam quando crimen verum fuit iniustè detectum, inutiles ad id omnino reddi, vel simpliciter, vel apud eos, qui id norunt aut agnoscere possunt. Atq; vltimū, si introducatur, aut sciatur, præiudicium afferre ei modo restituendi famam, quando crimen fuit alicui impositum, de quo Disp. 41 est dictum. Quando enim quis, etiā D sub iureiurando, affirmauit, se falsum aut mendacium dixisse, suspicabuntur id audientes, eum intelligere de falso aut mendacio, contrario veritati vitæ, & non veritati sermonis, nisi aliquid addatur, quo omnino constet, non de veritate vitæ, sed de veritate sermonis id intelligere ac proferre.

Hac itaq; de re non alia regula aptior potest tradi, quàm, si attenta qualitate eorum, qui criminis veri detectionem audierunt, attentisque cæteris circumstantiis cōcurrentibus aliqua amphibologia ex his, vel alia, quam pœnitens aut confessarius adinuenient, credatur eiusmodi sufficienter existimationem illam, cuius pœnitens E iniusta fuit causa, tunc ea via pœnitens famam restituat. Si item spes sit, ea amphibologia minuendam esse infamiam, idem quoq; remedium præstetur. Reliquum verò infamiæ, quod remāserit, laudibus saltem eiusdem de aliis illius bonis ea dexteritate compensetur, vt tantum famę illi ea via accrescat, vel apud eosdem, vel apud alios, quantū quo ad illud aliud remanet illi de infamia. Atq; eodē modo compensanda est fama, quotiescunque fama iniustè ablata restarciri non potest. Ita tradunt *Caiet. 2.2. q. 62. art. 2. ad. 2. Sotus in resp. ad. 4. citata, Nauar. in Manu. c. 18. n.*

Vtrùm famæ restitutio fieri debeat hæredibus eius, à quo iniustè ablata est, & transeat obligatio eam efficiendi ad hæredes eius, qui iniustè eam abstulit. Et quid, quoad vtrumque, de damnis, quæ ex ea famæ abolitione sequuta sunt. Et quousque hæc sint restituenda. Disp. 45.

SVMMARIVM.

1. *Restitutio famæ non transit ad hæredes illius, cui iniustè fuit læsa, quasi illis debeatur, sed fieri debet defuncto, nisi constet eum esse in inferno. Intellige, quo ad famam defuncti læsam præcisè sumptam.*
2. *Damna lucri cessantis aut iacturæ in bonis externis, si quæ sequuta fuerunt ex infamia iniustè defuncto dum viueret illata, debentur hæredibus defuncti.*
3. *Quando aliquis qui dum vixit infamauit iniustè aliquem, eam infamiam illi non restituit, obligatio eam restituendi transit ad hæredes ipsius.*
4. *Quòd si ex læsione iniusta famæ, dāna alia in bonis externis lucri cessatis aut iacturæ alicuius iniustè infamato sunt secuta; tunc, si is qui damnū famæ iniustè*

iniustè dedit, ea alia damna dum viueret non restituit, tenentur hæredes illius illa ei restituere, aut etiam hæredibus illius, si ille iã defunctus sit.

1 EX dictis in calce Disputationis præcedentis liquet, restitutionem famæ non transire ad hæredes illius, cui iniustè fuit læsa, quasi illis debeatur: sed fieri debere defuncto, nisi constet eum esse in inferno, proximumq; proinde iam non esse: nam tunc nulli debetur ea restitutio, vt in calce Disputationis præcedentis est dictum. Intelligendũ tamen est id, quo ad famã defuncti læsam præcisè sumptam. Quando enim cum defuncti fama læsa etiam esset fama filiorum eius, aut aliorũ illi coniunctorũ, tunc quatenus simul iniustè esset læsa fama horũ, vtiq; ipsis restitutio deberetur, non quidẽ famæ defuncti, sed famæ ipsorũ vnà cum defuncti fama iniustè læsæ. Item quando defunctus actionem iniuriarum intentauerat pro fama sibi læsa, liteq; cõtestata ex hac vita discessit, tunc prosequi eam actionẽ ad hæredes ipsius attinet: atque, si ciuilis actio fuerat intentata, pœna pecuniaria, aut transactionẽ circa illam facere, ad hæredes attinet, iuxta ea quæ tractatu præcedente Disp. 43 & alibi dicta sunt. Præterea quando iniuria quo ad honorẽ & famã fuit facta defuncto post illius mortem, ad hęredes & consanguineos illius attinet intẽtare pro ea iniuria actionem, eamq; prosequi, vt Disp. 38 dictum est. Illis tamen, meo iudicio, nulla restitutio pro ea infamia, quatenus defuncto est iniustè illata, debetur in foro conscientiæ, sed defuncto debetur restitutio famæ illius quamdiu infamia perseuerat. Quòd autem iniuriarũ actio in foro exteriori hæredibus ac consanguineis defuncti concedatur ac competat pro ea infamia, ipsisq; adiudicanda sit pœna, si ciuilis actio intentetur, idcirco ciuili iure est meritò sanctum, vt ea iniuria atque infamia defuncto illata impunita non maneat, essetque qui in hac vita partes defuncti ea in re ageret: nulli verò meliùs ad id constituti potuerunt, quàm hęredes & consanguinei defuncti.

2 Quod verò attinet ad damna lucri cessantis, aut iacturæ in bonis externis, si quæ secuta fuerunt ex infamia iniustè defuncto dum viueret illata, illa sanè debentur hæredibus defuncti. Quoniam quemadmodum succedunt in bonis omnibus externis defuncti, ita ius ad eos transit ad bona omnia externa, quę defuncto debebantur. Imò verò, vt ex dictis tractatu præcedente Dis. 43 liquet, actio eis concedi in foro exteriori debet, vt si probent eam iacturam fuisse passum defunctum in bonis suis externis ex detrimẽto in fama illius iniustè illato, ipsis tãquam successoribus in bonis omnibus externis defuncti soluatur, estò defunctus nullam ea de re intentasset actionem, modò tamen ea damna dum viueret non remisisset.

3 Vtrùm autem si aliquis, qui dum vixit aliquem iniustè infamauit, eam infamiã illi non restituit, obligatio eam restituendi transeat ad hæredes ipsius; *Adrian. quodl. 11. q. 1. lit. S. citata*, & cum illo *Nauar. in Manu. c. 18. n. 46.* respondent affirmanter, aiuntq; id habere locum etiam in exteriori foro. Ea verò sententia nobis probatur, iuxta ea quæ de damno corporis vitæ ac membrorũ tractatu præcedente Disp. 45 dicta sunt. Cùm enim fama iniustè ablata pecunia saltem restituenda A sit, quando aliter non restituitur; debitumq; pecuniarium ad hæredes transeat debitoris, vt scilicet illud defuncti loco iuxta vires hæreditatis restituere teneantur; consequens profectò est, vt hæredes eius, qui iniustè infamauit, restituere teneantur damnum famę, quod defunctus iniustè intulit, nec restituit. Cùm verò, vt ibidem dictum est, nec maior nec alia obligatio transeat ad hæredes, quàm sit illa, quam defunctus habebat, sanè sicut defunctus restituere poterat famam iniustè à se læsam, compensando eam laudibus infamati, aut honore illi exhibito, vel orationibus & propriis satisfactionibus applicatis pro infamato iam defuncto, vt disputatione B præcedente & tractatu præcedente Disp. 84 dictum est, ita hæredes eius, qui iniustè infamauit, simili quoque modo satisfacere possint.

Quòd si ex læsione iniusta famæ damna alia 4 in bonis externis lucri cessantis aut iacturæ alicuius iniustè infamato sunt sequuta, tunc constat si is, qui damnum famæ iniustè dedit, ea alia damna dum viueret non restituit, teneri hęredes ipsius illa ei restituere, aut etiam hæredibus illius, si ille iam defunctus sit. Quoniam id pecuniarium debitum in hæredes eius, qui illud dedit, transit, vt iuxta vires hæreditatis illud soluant ei, qui illud passus est, hæredibusque illius, si ille iam defunctus sit, vt constat ex dictis tra- C ctatu præcedenti Disp. 43, & aliàs sæpe, neminique ea de re potest esse dubium.

Sotus. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad. 4. ait, eum, qui verum crimen detegendo causa fuit iniusta, vt infamatus, vnà cum fama, detrimentum in bonis externis diuitiarum pateretur, teneri quidem ad restitutionem illius, sed non integre; vt integre teneretur, si mentiendo infamasset, atque ita infamando vlteriùs causa esset eiusdem detrimenti. Meritò verò à Nauarro reprehenditur in *Manu. c. 18. n. 45.* Quoniam cùm verum dicendo iniustè illum infamauerit, atque ita iniustè illum infamando, verè vlteriùs fuit causa iniusta totius illius alterius damni inde subsecuti, non secùs D atque si mentiendo infamiam illudque aliud damnum vlteriùs iniustè dedisset, sanè ad integram restitutionem illius alterius damni iniustè vlteriùs dati tenetur, nihil impediente quòd, cæteris paribus, grauiùs peccasset, crimen illi imponendo, quam verum illius crimen iniustè detegendo: satis quippe est, iniustè dedisse totum id damnum, præsertim interueniente lethali culpa, vt ad integram illius restitutionem teneatur.

Ibidem Sotus addit, in restitutionibus faciendis detrimenti in rebus externis ex iniusta famæ læsione subsequuti, pensanda esse possibilitatem eius, qui restituere tenetur. Addit. Quis quæ- E so restituere valeat, si impedimento ei, quem diffamauit, fuit, ne Episcopatum aut egregiam cathedram amplissimámve dignitatem obtineret. Debet ergo (inquit) in hisce euentibus consilium teneri sapientium. Quòd si is verbis Sotus intendat, non esse obligationem restituendi tantum, quantũ similia damna prudentis arbitrio æstimabuntur, vt ita erant in spe, eumq;, qui id damnũ dedit, aliter impossibilitate deobligari à restituenda parte dãni illius, quàm si tantundẽ furatus esset, falsa profectò est ipsius sententia, nobiscumq; consentit *Nauarrus loco citato ad finem. n. 43.* Nisi enim remissio per eum fiat,

fiat, qui id damnum est passus, sanè restituere tenetur id damnum integrum: atque, si propter impossibilitatem partem aliquam non restituat, obligatio illi remanet paulatim eam restituendi postea, quando potuerit, ac si potuerit.

De restitutione famæ iniustè facto aliquo læsæ. Et vniuersim de restitutione honoris iniustè læsi. Disp. 46.

SVMMARIVM.

1. *Repetitis nonnullis de honore læso dicto vel facto transitio fit ad Disputationem præsentem.*
2. *Quando iniustè facto aliquo aut dicto contumelioso honor læditur, seu potiùs existimatio alicuius, tenetur is, qui ita existimationem iniustè læsit, restituere illi quantum id damnum permanens prudentis arbitrio æstimabitur, attenta qualitate personæ, & aliis circumstantiis. Insuper restituere illi tenetur, si inde aliud damnum lucri cessantis aut iacturæ alicuius in bonis externis diuitiarum fuit illi secutum.*
3. *Modus in restitutione famæ iniustè læsæ is tenebitur, exhibendo infamato honorem & reuerentiam, se illi subiiciendo, veniam ab eo petendo, tantum laudis ei accumulando, vt ad æqualitatem illi honor compensetur, qui iniustè læsus est.*
4. *Si is qui contumeliam intulit, aliter non posset ad æqualitatem satisfacere in bonis honoris & famæ, quam petendo veniam, neque offensus contentus esse vellet satisfactione in bonis externis, sed exigeret vt, qui iniuriam intulit, veniam ab ipso peteret, tenetur tunc is id præstare offenso, neque satis est, si satisfacere velit in bonis externis.*
5. *Præter restitutionem ob læsionem in existimatione explicatam, non debetur alia restitutio ob id præcisè, quòd contumeliosus actus fuerit contra honorem ei debitum, cui ea contumelia illata fuit.*
6. *Quando adulterium latet, ita vt soli adulteri illud sciant, nulla debetur restitutio: nisi ex eo adulterio suscepta sit proles, vel id adulterium damnum aliud adiunctum habeat.*
7. *Quando contumelioſus actus est talis, vt nullum damnum corporis aut bonorum externorum relinquat, tunc esto eiusmodi actus ante faciem eius fiat, cui contumelia infertur, ipsve factū esse sciat, si tamen alteri factum esse ignorent, aut is ipse solus, qui eam contumeliam est passus, in causa fuerit, vt ad notitiam aliorum deuenerit, nihil ei debetur restitutionis.*
8. *Quando contumelia vni facta quasi redundet in personas illi coniunctas ob amicitiæ, consanguinitatis, aut aliam similem rationem, nulla consurgit obligatio quidquam restituendi personis ita coniunctis pro infamia.*

1 DIsputatione 23 ostendimus, famam non solùm signo aliquo iniustè lædi, sed etiam facto, consurgereque obligationem eam restituendi. Diximus item in contumeliis, quando notitia, quòd illatæ sint, ad alios peruenit, plus iniuria affectum æstimare iacturam famæ, quam ex eo patitur, quòd ad alios notitia deuenerit ipsi illatas esse, quàm æstimet iacturam honoris, quam est passus, dum illatæ ipsi sunt. In existimatione enim eorum, ad quorum notitiam id deuenerit, paruipendetur is, qui alapa aut fuste sit percussus, aut cum cuius vxore adulterium sit commissum, vel qui aliam similē iniuriam sit passus, quousque iuxta leges huius seculi debitam vindictam sumat, neque coram illis apparere audebit. Hac de causa ibidem dicebamus, quando scientibus aliis facto aliquo aut dicto ignominioso honor alicuius læditur, consurgere longè maiorem obligationem restituēdi famam illius, quæ simul cum honore fuit læsa, quàm honorem eodem facto aut dicto ignominioso læsum. Manet quippe, qui eam contumeliam est passus, obnoxius despectui atque sine honore in eorum existimatione, qui id norunt: quod sanè ad famam seu existimationem de illo spectat, hocque potissimùm cupit resarcire. Imò verò hoc videtur esse, quod doctores restituendum esse docent, quando affirmant restituendum esse honorem iniustè læsum, seu iniustè ablatum: hoc quippe habet rationem damni permanentis in futurum ob abiectiorem ac viliorem existimationem, quæ de illo in his manet, qui id norunt, satisque consentaneè ad hoc loquitur *diuus Thom. 2.2.q.62. art.2. ad.3.* dum sic ait, *Ad tercium dicendum, quòd actio contumeliam inferentis non potest fieri vt non fuerit. Potest tamen fieri vt eius effectus, scilicet diminutio dignitatis personæ in opinione hominum, reparetur per exhibitionem reuerentiæ.* Non verò doctores intelligere videntur, restituēdum esse honorem quo ad hoc præcisè, quòd factum aliquid sit contra honorem ac reuerentiam, quæ alicui debebatur. Id enim transiuit, neque damnum in personā, quæ eo actu in honorata fuit, reliquit, eoque ipso, quod transiuit, subire cæpit rationem solius iniuriæ sumptæ præcisè à damno dato, cui certa pœna respondet, non verò respondet vlla restituendi obligatio, vt sæpe in præcedentibus est dictum atque ostensum. Iuxta hanc ergo doctrinā decidenda sunt ea, quæ tractatu præcedēti Disp. 88, 100, & aliis in hunc locū referuauimus.

Prima conclusio est. Quando iniustè facto aliquo aut dicto cōtumelioso in hoc sensu honor læditur, seu potiùs existimatio alicuius, quòd deinceps apud alios, qui id norunt, abiectior ac vilior existimatio de illo habebitur, tenetur, qui ita honore seu potiùs existimationē ac famam illius iniustè læsit, restituere seu cōpēsare illi, quātū id dānū permanens prudētis arbitrio æstimabitur, attenta qualitate personæ, & attentis cæteris omnibus circunstantiis cōcurrentibus. Insuper restituere illi tenetur, si inde aliud damnum lucri cessantis aut iacturæ alicuius in bonis externis diuitiarum fuit illi sequutum.

In priori parte huius conclusionis idcirco apposita fuit pars illa; id damnum permanens: quoniam si damnū iam esset abolitum, vel morte eorum omnium, qui factam fuisse eam cōtumeliam nouerunt, vel obliuione, obligatio non est restituendi id damnum, quod iam non existeret, vt ex dictis præcedentibus disputationibus constat. Eadem ratione, si is, qui illud fuit passus, cōpetentem, iuxta seculi huius leges, de illo vindictā sumpsisset, non censeretur manere, eaq; de causa obligatio non esset illud restituendi. Adde, in eo euentu locū esse cōpensatione vnius dāni cū alio, iuxta ea quæ disputatione sequenti dicenda sunt. Quòd si compensatio. l. propria vindicta sumpta, non æquaret damnum antea iniustè datum, tunc solùm incrementū esset restituēdum.

dum. Præterea, si contumelia priùs illata competenti pœna fuisset in exteriori foro punita, vel criminali vel ciuili, tunc damnum ea illatũ non censeretur manere compensandum restitutione aut satisfactione: quoniam iam ea via esset sufficienter punitum ac compensatum. Si autem pœna manifestè non æquaret damnum datum, neque eâ esset contentus, qui illud accepit, tunc in conscientiæ foro solùm esset compensandus excessus damni, vt est notissimũ. Illud etiam est obseruandũ, homines regulariter pro eiusmodi damno, ex contumelia illato, non solere aliam restitutionem ac compensationem velle, quàm eam, quam ipsi sumpserint vindicando iniuriam illatam: atq; estò non audeant aut Dei timore non velint sumere vindictam, soleri dedignari aliam compensationem ipsis fieri, maluntq; suum potiùs damnum ac miseriam sustinere, quàm restitutionem ob id damnum accipere, quæ ipsis apud alios noua esset ignominia. Imò sunt multi, qui neq; veniam ab ipsis peti volunt, neq; per eum, qui iniuriam illos affecit, neq; per tertiam personam: quoniam ægre admodum ferrent, mentionem de contumelia ipsis illata eis fieri, eoq; ipso de nouo irritarentur ad vindictam per se ipsos sumendam, aut certè optarent potiùs talem veniam ab eis non peti: in quo euentu constat, eũ, qui contumelia affecit, nihil impediente damno manente in contumelia affecti fama, ex eaq; contumelia sequuto, neque ad satisfactionem veniæ petitione esse cogendum, neq; ad id teneri. Quòd si eiusmodi damnum in existimatione illius ex adulterio cum vxore illius fuit sequutum, iura impediunt transactionem circa eam iniuriam ac damnum fieri, vetantq; intentari ciuilem actionem ob eam iniuriam ac damnum, solumq; cõcedunt intentare actionem criminalem, vt ex dictis tractatu præcedente à Disp. 46 & rursus à Disp. 89 liquet. Tametsi ibidem sit additũ, permissam iam hodie ex tacito consensu ac dissimulatione principum, publicarúmve potestatum, transactionem priuatam esse, hoc est, transactionem, non instrumento publico, neq; coram ministris publicis, publicáve autoritate factam, sed inter priuatos ipsos. Tametsi rarissimi sint, qui circa adulterium illã efficiant. In euentibus itaque omnibus explicatis, qui multi nec infrequentes sunt, atq; etiã quando id damnũ passus restitutionẽ remitteret, constat, vel omnino nõ esse obligationem restituendi damnum in existimatione ac fama proximi iniustè contumelia datum, vel maxima ex parte cessare eam obligationem; ita vt, qui id damnũ iniustè dedit, non teneatur id totum restituere, sed solam partem, vt in nonnullis ex his euentibus dictũ est. Illud tamen admonuerim, quando qui eã contumeliam idq; damnũ iniustum est passus ac sustinet, non admitteret aliam satisfactionẽ, credendum esse, gratũ illi futurum, vt honor & reuerentia maior solita illi exhibeatur, & augeatur aliis viis fama, bonaq; existimatio de illo, obsequiaq; illi præstetur, dummodo ea dexteritate hæc omnia fiant, vt non sentiantur ac intelligantur fieri in recompensationem ignominiæ præteritæ, ita vt illa præteritam ignominiam in hominum memoriam reuocent. Atque ea via curare is debet, qui damnum famæ contumelia intulit, illud resarcire, si non integre, certè ex parte, idq; præcipi illi à confessariis deberet. Quatenus itaque locus & obligatio erit fieri restitutionem pro damno honoris & famæ contumelia iniustè dato, intelligenda est prior nostræ conclusionis pars: non verò quando prædictis aut aliis similibus modis cessat ea obligatio, vel omnino vel magna ex parte.

Ea itaque prior pars ita intellecta ac explanata facilè patet. Quoniam tunc fama iniustè læsa manet cõtumelia antecedente; eaq; læsio damnum est permanens, pẽdénsve in futurum: ergo obligatio erit illud restituendi, quantum arbitrio prudentis æstimabitur, attentis circumstãtiis omnibus concurrentibus: nisi, qui ad id alioquin ex natura ipsa rei tenetur, ex aliquo ex capitibus explicatis, vel ex alio simili, omnino aut ex parte, ab ea restituendi onere liberetur.

Ex ea priori conclusionis parte ita comprobata, explicata, ac intellecta, sequitur primò. Eum, qui alapa aut fuste alium ignominiosè percussit, aut pedibus illum conculcauit, vel barbam illius ignominiosè apprehẽdit, aut præscidit, vel euulsit, vel aliquo alio ignominioso facto, scientibus id aliis, contumelia illum affecit, ex natura rei, nisi ex aliquo ex capitibus explicatis, aut ex alio simili, omnino aut ex parte excusetur, teneri illi restituere, quantum æstimabitur infamia, quæ inde illi resultat: quæ sanè eo maior erit, plusq; æstimabitur, quo plures illã sciunt, & quo factum fuerit ignominiosius, atque quo persona, cui ea contumelia illata est, dignior ac præstantior fuerit: ex his enim, & ex cæteris omnibus circumstantiis concurrentibus, pensanda est quantitas illius, damnumq; ex illa resultans, vt ad æqualitatem compensetur.

Ex eadem parte secundò sequitur, si aliquis, id aliis scientibus, adulterio aliena abutatur vxore, vel aliquo alio actu, qui cedat in mariti infamiam ac vilipendium, vel illam insectando, siniſtram suspicione generet, quæ in infamiam mariti cedat, teneri eum similiter ex natura rei marito illi restituere, quantum ea infamia æstimabitur, nisi similiter ex capitibus explicatis, aut ex alio simili, ab ea obligatione vel omnino vel ex parte excusetur. Ea autem infamia eo maior similiter æstimabitur, quo plures culpa eius, qui id crimen patratus est, id nouerint, & quo maritus dignior fuerit, & quo plures aliæ circumstantiæ infamiam illam aggrauantes interuenerint. Imò verò si eam mulierem inuitam insectetur, aut quamuis aliam, eaque de causa mulieri illi infamia sequatur, estò cum illa nihil inhonestum habeat, tenetur similiter ei restituere, quantum ea infamia ei æstimabitur, quin & omnia alia damna inde vlteriùs sequuta, vt tractatu præcedente Disput. vlt. conclus. 10 dictum est.

Ex eadem parte tertiò sequitur, si quis vi mulierem aliquam opprimat, aut aliquid aliud ei mulieri ignominiosum cum ea, ipsa inuita aut inuoluntariè mixtè consentiente, habeat, ita vt culpa eius, qui eam iniuriam illi infert, notitia eius rei ad aliquem alium aut ad alios deueniat, teneri eum illi restituere, quantum æstimabitur infamia inde illi subsequuta, attentis circumstantiis omnibus concurrentibus.

Idem intelligendum est, quando ex quocunque alio facto aut dicto contumelioso, vt dicendo alicui, mentiris, aut aliud simile contumelio-

sum

lioſum, infamia ac vilipendium in exiſtimatione eorum, qui nouerunt eam contumeliam illi eſſe factam, ei ſequitur.

3 Modus verò reſtituendi exiſtimationẽ ac famam in euentibus explicatis, quatenus, iuxta ea quæ dicta ſunt, ad id is tenebitur, qui iniuſtè honori ac famæ præiudicauit. Honorem ac reuerẽtiam infamato exhibendo, ſe illi ſubjiciendo, ac veniam ab illo petendo, laudibus illius, & aliis ſimilibus rationibus, quatenus illi grata & vtilia hæc omnia, iuxta hactenus dicta, erant, & non quando exacerbare magis poſſunt, nec prodeſſe, tantum honoris & famæ illi accumulare atque augere, vt ad æqualitatem illi compenſet honorem ſeu exiſtimationem ac famam, quam iniuſtè læſit. Talis enim ſatisfaciendi modus, ſi ad æqualitatem id fieri poſſit, eſt optimus: eo quòd ad æqualitatem bonis eiuſdem generis compenſet damnum iniuſtè illatum. Quòd ſi is, qui honori ac famæ alterius iniuſtè præiudicauit, nõ eo modo ad æqualitatem potuerit compenſare damnũ quod dedit, & quod tenetur reſtituere, ob maximam læſionem in exiſtimatione ac fama, cuius fuit cauſa, vt ſi alapa vel fuſte publicè nobilem percuſſit, vel ſi ita cum vxore illius eſt adulteratus, vt publicum id ſit factum, tunc tenetur aliis bonis compenſare, quod ea alia via ad æqualitatem compenſare non potuerit. Et quidem ſi infamatus adhuc viuat, nec contentus ſit compenſatione in bonis ſpiritualibus, vt regulariter contentus non erit, tenetur id compenſare pecunia aut aliis externis bonis, ſi infamatus id ita velit. Plerique enim dedignabantur talem ſatisfactionem accipere, aut eis offerri, vt ſuprà dictum eſt. In dubio tamen an infamatus tunc ſatisfactionem in eis bonis velit, tentandum erit, an eam velit, vt illi ſignificando, talis vult tibi ſatisfacere, vide quam ab eo ſatisfactionem velis. Atque quando comperiretur velle eam in bonis externis, meliùs multo tranſactione cum illo fieret, petendo ab eo vt aliquid remitteret, & vt contentus eſſet tanta vel tanta ſatisfactione, quàm arbitrando vſq; ad vltimum indiuiſibile, quãtum illi ad æqualitatem debeatur, vt tractatu præcedente in ſimilibus euentibus eſt dictum.

4 *Ledeſmius.2.4.q.18.art.2 ait.* Si is, qui contumeliam intulit, aliter non poſſet ad æqualitatẽ ſatisfacere in bonis honoris & famæ, quàm petendo veniam, neque offenſus contẽtus eſſe vellet ſatisfactione in bonis externis, ſed exigeret, vt qui iniuriam intulit, veniam ab ipſo peteret, teneri eum id præſtare offenſo, neque ſufficere, ſi ſatisfacere vellet in bonis externis. Ratio autẽ eſt, quoniam ſatisfactio fieri debet in eodem genere bonorum, ſi id ſit poſſibile, & is, cui fieri debet, contentus non ſit alio genere ſatisfactionis, vt poterit rationabiliter nolle eſſe contentus. Idem innuit etiam *Caiet.dub.5.citato.* Quare, inquit Ledeſmius, abſoluendus non erit pœnitens, qui noluerit veniam petere pro contumelia illata, quando offenſus contentus non eſt alia ſatisfactione, neque qui offendit, aliter ad æqualitatem poteſt ſatisfacere in bonis honoris & famę. Quia verò priuati religioſi bona externa nõ habent, quibus contumelias à ſe illatas compenſent, neque regulariter aliis bonis honoris & famæ poſſunt eas ad æqualitatem compenſare, ſtatuit Auguſtinus in Regula, eos petitione veniæ teneri illas compenſare: maximè quia expedit religioſos ſigna humilitatis exhibere, quibus damnum, quod per ſuperbiam intulerunt, compenſent. Prælati præterea ea de cauſa competentes alias pœnas eis imponere ob eas culpas, atque in ſatisfactionem offenſi, debent. Quando verò iniuſtè infamatus defunctus iam eſſet, cùm ipſius bonum honoris ac famæ ad hæredes ſuos non tranſeat, ſanè defuncto ipſi, & nõ hæredibus illius, eſt faciẽda reſtitutio eius læſionis. Quare cùm in eo ſtatu plus ille gaudeat bonis ſpiritualibus, quàm aliis bonis, vtiq; in ſpiritualibus bonis eſſet ei reſtitutio facienda, offerendo de propriis ſatisfactionibus *pro* illo, quãtum Deus iudicauerit ad id eſſe ſatis, aut offerendo pro illo orationes & ſacrificia modo in præcedentibus ſæpe explicato. Quòd ſi conſtaret, eũ eſſe in inferno, tunc vt non eſſet iam proximus noſter, ita neque vlla ſatisfactio ei deberetur, vt etiam in ſuperioribus ſæpe eſt dictum.

Poſterior verò concluſionis pars, nempe ſi ita infamato damnum aliud in bonis externis diuitiarum lucri ceſſantis, aut iacturæ alicuius, ex ea infamia ſit etiam ſequutum, id quoque reſtituendum illi eſſe, vt ſi is, qui alapa aut fuſte fuit percuſſus, ea de cauſa non inueniat mulierem, cum qua æquè bene matrimonium contrahat, atque inueniret, ſi eam infamiam non eſſet paſſus; aut ſi mulier, quæ iacturam iniuſtam in honore & fama eſt paſſa, non inueniat virum, cum quo æquè bene nubat, ac ſi paſſa nõ eſſet eam infamiam; reſtituendam eis etiam eſſe eam iacturã in bonis externis; ea, inquam, poſte rior concluſionis pars ab omnibus conceditur, facileq; probatur. Quoniam id damnum iniuſtè fuit ei datũ, vnà cum dãno in honore & fama: ergo eſt illi ad æqualitatẽ reſtituẽdũ. Quin & in exteriori foro, vnà cũ reliqua iniuria, iubebitur id illi cõpẽſari.

Secunda concluſio. Præter reſtitutionem ob 5 læſionem in exiſtimatione ac fama explicatam, non debetur alia reſtitutio ob id præcisè, quòd cõtumelioſus actus, ex quo ea læſio ſequuta fuit, fuerit cõtra honorẽ ac reuerentiã ei debitã, cui ea contumelia illata fuit. Item ſi ex actu illo contumelioſo nulla læſio relicta fuit in corpore eius, qui ea contumelia fuit affectus, quia vel non læſit, vel ſi læſit, inſtaurata iam ea læſio fuit per naturam, aut facilè per naturam ſine ſumptibus inſtaurabitur, nulla reſtitutio ex eo capite debetur affecto ea contumelia, eſtò dolorem eo contumelioſo actũ paſſus ſit, & eſtò læſionem in corpore, eo modo iam inſtauratam, aut quæ facilè & ſine ſumptibus inſtaurabitur, effecerit. Quo fit, vt pro adulterio cum vxore alterius, præter reſtitutionem læſæ exiſtimationis ac famę mariti, quæ præcedente diſputatione explicata eſt, non debeatur ei reſtitutio alia ex eo, quòd id adulterium patratum fuerit contra honorem ac reuerentiam, quæ in illius vxore marito debebatur. Fit ſimiliter, vt pro publica alapa, vel percuſſione fuſte vel calce, præter reſtitutionem exiſtimationis ac famę ea percuſſione iniuſtè læſæ, de qua præcedente concluſione dictum eſt, non debeatur ita percuſſo reſtitutio alia ex eo, quòd hæc facta ſint contra honorem & reuerentiam illi debitam, aut ex eo, quòd ea percuſſio dolorem aut læſionem intulerit, quæ ſine ſumptibus inſtaurata eſt. Idem intellige de ſimilibus aliis contumelioſis ac ignominioſis

actibus. Prior conclusionis pars ex eo probatur, quòd in eo præcisè, quòd contumeliosus actus fuerit contra honorem ac reuerentiam, quæ ea contumelia affecto debebatur, nullum cernitur permanens damnum, sed transiuit in nudam iniuriam, sine vllo relicto damno: pro iniuria verò sumpta præcisè à damno non debetur restitutio, sed solùm puniri potest ac debet condigna pœna, quæ ante latam sententiam non debetur, vt sæpe dictum comprobatumque est. Posterior verò pars similiter probatur, quoniam quando læsio corporis non relinquit damnum permanens, nulla debetur restitutio, vt cùm Adrian. & Richardo, nemine reclamante, tractatu præcedente Disp. 88 & aliàs sæpe dictum est.

6 Tertia conclusio. Quando adulterium latet, ita vt soli adulteri illud sciant, nulla debetur restitutio: nisi ex eo adulterio suscepta sit proles; vel id adulterium damnum aliud adiunctum habeat, vt si adultera dona misit de bonis mariti, aut aliud simile damnum habeat adiunctum. Dãna enim omnia cum illo coniuncta, aut ex illo sequuta, satis perspicuum est restituenda esse. Præcipuum verò, quod hac conclusione asserimus, probatur. Quoniã pro adulterio quatenus præcisè est contra honorem ac reuerentiam mariti, nulla debetur restitutio, vt conclusione præcedente dictum. Item nullus vnquam dixit, pro irreuerentia, quæ eum, cui fit, latet, & quæ alios etiam latet, soliique cognita est eam facienti, deberi restitutionem: tale autem quo ad hoc est adulterium, quod solis adulteris est notũ. Vnde pro adulterio cognito à solis adulteris, præcisèque sumpto ab aliis omnibus damnis, nulla restitutio debetur. Et quoniam, quæ de hac re hoc loco addi poterant, copiosè dicta sunt tractatu præcedente Disp. 100, non plura circa hanc conclusionem obiciam.

Quarta conclusio. Quando contumeliosus
7 actus est talis, vt nullum damnum corporis aut bonorum externorum diuitiarum relinquat, vt de alapa, de leui percussione ignominiosa fustis aut calcis, & de adulterio ac aliis similibus est dictum, tunc estò eiusmodi contumeliosus actus ante faciem eius fiat, cui ea contumelia infertur, sive factum esse sciat, si tamen ceteri factum esse ignorent, aut is ipse solus, qui eam contumeliam est passus, in causa fuerit vt ad notitiam aliorum deuenerit, credo nihil ei vi atque in ratione restitutionis deberi. Tenetur tamen, qui eam contumeliam intulit, curare reconciliationem cum fratre suo, veniam ab illo petendo, ac se illi humiliando, quatenus alterum non irritandũ nouerit, signaque pœnitentiæ, quòd id fecerit, ostendendo: atque ea omnia præcipere ei debent confessarii. Item si in exteriori foro ob eam contumeliam ac iniuriam condemnetur pœna æquali pecuniaria, aut exilii, tenetur illam implere: si verò condemnetur pœna flagellorum, aut alia graui corporis, quamuis non teneatur eam ipse exequutioni mandare, possitq; illicitè eam euadere, si sine violentia alicui ministro publico illata possit illam effugere; eam tamen sibi illatam patienter sustinere debet.

Primum, quod hac conclusione asserimus, ex eo probatur, quoniam restitutio, vt sæpe est dictum, solùm respondet damno, in illiusq; solius compensationem debetur: in euentu autem nostræ conclusionis contumelia illa iniustè illata nullum damnum relinquit: quoniam non corporis, aut bonorum externorum, vt in eadem conclusione supponimus, neque famæ; quippe cũ contumelia illa illata ab aliis omnibus ignoretur, vt etiam habet eadem conclusio, vel si ea contumelia ab aliis sciatur, id non sit culpa eius, qui illam intulit: quòd autem is illam sciat, qui eam iniustè intulit, non inducit obligationẽ restituendi, vt conclusione præcedente & fusiùs tractatu præcedente Disp. 100 dictum est: neq; item, quòd is illam sciat, qui illam est passus, obligationem restituendi inducit: tum quia ea notitia non pertinet ad infamiam propriam ipsius: tum etiam quoniam facile attendere potest eam contumeliam non sua culpa sibi obuenisse, sed alterius, eaque de causa non est cur ea de causa viliorem de se ipso existimationẽ habeat: denique neque actus ille contumeliosus relinquit damnum honoris: quoniam in eo præcisè, quòd sit aliquid factum contra honorem & reuerentiam, quæ alicui debebatur, nullum damnum, quod permaneat, relinquitur; sed id ita esse iniuste factum, transit in nudam iniuriam, vt conclusione 2 dictum est: consequens ergo est, vt in euentu conclusionis propositæ nihil vi atque in ratione restitutionis debeatur.

Secundũ verò, quod eadem conclusione asserimus, de curanda scilicet reconciliatione illo modo fratris ea contumelia affecti, ex eo facilè patet, quòd lumen ipsum naturæ doceat, eum, qui causam offensionis proximo dedit, teneri pro viribus & posse illum sedare, eique reconciliari, satisfaciendo illi si quid ea de causa vi restitutionis debet, vt si offensio fuit publica & ignominiosa, quę dãnum in fama illi reliquerit: si verò solùm illi aliquid debet in pœnam pro iniuria sine damno illata, transigendo cum illo circa eam iniuriam ac pœnam, vel iudicis sententiam expectando, vt pœnam iustè iniunctam soluat; modò illa non sit grauis corporis, quàm licitè possit fugere, iuxta id, quod in vltima parte eiusdẽ conclusionis subiũgitur, & tractatu quinto sequenti magis explanabitur; & simul, attenta qualitate offensæ, & attentis circunstantiis cõcurrentibus, se illi humiliando, & ab eo veniam petendo. Atque hoc est, quod Christus docuit ac præcepit Matthæi 5, consentaneè ad id, quod natura ipsa rei caritasque postulabat, dum de contumeliis illatis agens, dixit: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Quando superior est, qui contumeliam absq; damno verbo, aut facto, iniustè subdito intulit, tunc necesse non esset petere ab eo veniam, *Ne, vt* Augustinus in regula ait, *dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur autoritas.* Sed satis erit ostensione maioris beneuolentiæ, quàm esset solita illi ostendi, & fauore aliquo illi compensare iniuriam illatam, eumq; reconciliare. Quod idem dicendum est de nobili comparatione obiecti, quem contumelia iniustè affecisset, & de præceptore comparatione discipuli: neque enim suppliciter tenẽtur veniam petere ab ipsis, quibus contumeliam intulerunt: sed satis erit aliter fauore & honore illis satis facere, eosque sibi reconciliare. Atque hoc est, quod vult *Caiet. 2. 2. q. 72. art. 3. & in opusculo. 17. responsorum. 18. resp.*

resp.dubio.5. Quamuis estò priuatim, non se coram illis genu flectẽdo ac se humiliando, illis dicerent, parce, quod apud te excessi; ego enim video me excessisse, neque me id debuisse facere; nõ video quid autoritatis amitterẽt, imò potiùs existimo optimum de se ea in parte exemplum darent, subditosque ædificarent. Semper verò tenerentur ad æqualitatem damnum illorum satisfacere, vel in honore & laudibus illius, vel in aliqua alia re.

8 Quinta conclusio. Quando contumelia vni facta quasi redundat in personas illi coniunctas ob solam consanguinitatis, aut amicitiæ, vel aliam similem coniunctionem; vt contumelia facta filio aut filiæ redundat in parentes ac fratres, arbitror nullam consurgere obligationem quicquam restituendi personis ita cõiunctis pro infamia ac vilipendio, quod in ipsos per accidẽs redundat, iuxta ea quæ tractatu præcedẽte Disp. vlt. quoad restitutionem propter stuprum dicta sunt. Neque enim damna, quæ per accidens eo modo resultant in personas cõiunctas, obnoxia sunt restitutioni, vt ita per accidens in personas coniunctas resultant. Lege quæ ibi dicta sunt.

Cùm quanto periculo ac detrimento teneatur famam restituere, qui illam iniustè læsit. Disp. 47.

SVMMARIVM.

1. *NVllus cum periculo propriæ vitæ tenetur restituere damna honoris ac famæ, quæ prudentis arbitrio longè inferiora sunt vitæ eius, qui eam restitutionem deberet efficere.*
2. *Sed quando cum fama proximi, eiusdem vita periclitatur, vel detrimetum honoris, arbitrio prudentis æquiparatur vitæ eius qui ea damna dedit, aut fere illi æquiparatur, tenetur tunc qui iniustè eam infamiam intulit cum periculo propriæ vitæ eam famam restituere.*

DIsputatione 40, iunctis iis quæ Disp. 41 addita sunt, dictum est, quando obligatio non sit restituendi famã, quia vel non fuit læsa, vel nõ fuit iniustè læsa, vel recuperata iam est, saltẽ obligatione præteritæ infamię iniustè illatę, morte, vel obliuione suorum, apud quos erat ea infamia. Nunc verò hac & duabus disputationibus sequentibus est examinandum, permanente ac perseuerante damno famæ iniustè illato, existẽteque ex natura rei obligatione illud restituẽdi, ex quibus causis cesset omnino aut ex parte ea obligatio, vel differri possit restitutio, aut restitui possit in aliquo alio bono, etiam non cõsentiente eo, cui talis restitutio fieri debet. Tametsi euentus alios à Disp. 41 explicauimus, in quibus, quia restitutio fieri non potest bono eiusdem generis, aut non sine longè maiori iactura eius, qui illam facere debet, quàm sit fama restituenda, fieri possit ac debeat bono alterius rationis.

1 Quod ad id verò attinet, quod in titulo huius disputationis est propositum, quæ hoc loco dicenda erãt, cõpiosè sunt dicta ac examinata tractatu præcedente Disp. 102, iuncta Disp. 754 tractatus 2, & iunctis aliquibus ex vltimis conclusionibus disputationis 37 huius 4 tractatus. Ea verò de causa breuiter duas regulas statuam locis citatis, præsertim Disp. 102 citata, fusiùs explicatas. Prima est: Nullus cum periculo proprię vitæ tenetur restituere damna honoris ac famæ, quæ prudentis arbitrio longè inferiora æstimabuntur vita eius, qui eam restitutionem deberet efficere. Neque item restituere tenetur famam alienam cum periculo suæ propriæ famæ longè maioris ac pretiosioris, quàm sit fama restituenda. Tenetur tamen in vtroque euentu pro viribus & posse vel bonis eiusdem generis vel alterius generis compensare damnum totum, quod iniustè dedit, quantum illud hac alia via compẽsare potuerit. Secunda regula est. Quando cũ fama proximi vita eiusdem proximi periclitatur, vel detrimentum famæ & honoris illius, aut simul aliorum bonorum eiusdem, quòd illi iniustè illatum est, & simul fortasse per resultantiam suis quoq;, arbitrio prudentis æquiparatur vitæ eius, qui ea damna dedit, aut ferè illi æquiparatur, tenetur, qui iniustè eam infamiam intulit, cum periculo propriæ vitæ eam famam restituere. Similiter, quando præiudicium famæ iniustè illatum superat, æquatur, aut ferè æquatur, iacturæ famæ, quam is, qui illud intulit, patietur, si illud restituat, sanè restituere illud tenetur cũ ea iactura suæ famæ propriæ. Exempla locis citatis proposita sunt. Vtraque autem regula ex eo probatur, quoniam vnusquisq; restituere tenetur damnum à se iniustè datum, cum æquali aut cum paulo maiori suo detrimento; non verò cũ detrimento suo longè maiori: tametsi, quando longè maius detrimentum ipsi ex restitutione sequeretur, reneatur aliis viis, quantum poterit, idem integrum damnum restituere, vt disputationibus citatis hæc omnia explanata comprobataque sunt.

Vtrùm remissio eius, cui damnum famæ iniustè est illatum, liberet ab onere illud restituendi. Disp. 48.

SVMMARIVM.

1. *QVando infamia non redundat in tertiam personam aut in communitatem, quæ simul infamata maneat de eodem, aut in altos, qui iuris dispositione ex delicto alterius infames maneant, tunc remittente iniustè infamato obligationem restituendi, deobligatus manet is infamans ab obligatione, qua de iustitia tenebatur restituere famam, nihil impediente quòd ea infamia redundet in detrimentum aliorum aut reip.*
2. *Quando restitutio honoris & famæ fieri deberet in eo ipso bono, in quo quis damnum accepit, ita quòd quasi redintegranda esset fama læsa, eaq; fama necessaria esset vel ad tollendum scandalum, vel in notabile subditorum aut reip. bonum, tum lethaliter peccaret qui remitteret restitutionem talis famæ: nisi ex restitutione similia damna sequerentur ex parte eius, qui restituere deberet.*
3. *Quando fama eo modo non est necessaria, tunc remittere illius restitutionem nullum regulariter est peccatum, sed meritum.*
4. *Is, cui remittitur obligatio restituendi famam, nõ peccat, si post eam remissionẽ illam non restituat, nisi quando posset sine suo notabili damno illam restituere.*

DVo in controuersiã circa disputationẽ proponuntur vocari possunt. Vnum est, vtrũ is, cui damnum famæ iniustè est illatum, licitè remittere restitutionem illius possit. Alterũ verò, vtrùm ea remissio sit valida, ita vt, qui id damnũ

iniustè intulit, liber ab eo restituendo maneat, A facta illi ea remissione.

Caiet. locis initio Disp. 37 citatis, quemadmodũ affirmat, neminẽ licitè facere posse detrimẽtũ suę proprię famę, quin potiùs id ex suo genere culpam esse lethalem, cum onere reipublicæ restituendi id famæ damnum: sic quoq; dicere debet, neminem licitè remittere posse restitutionem suæ propriæ famæ: atq; si eam remittat, eã remissionem non deobligare eum, cui facta sit, ab onere eam famã restituendi. Ex eodẽ quippe fundamẽto. *2.2.q.62.art.2.ad.2.* affirmat, quo ad famam locum non esse compensationi; sed si duo se inuicem infament, mutuò teneri sibi inuicem restituere totam famã, quam iniustè abs- B tulerunt. Idem ex eodem fundamento affirmat *Maior initio eiusdem Disp. 37* relatus.

1 Prima nostra conclusio est: Quando infamia non redundat in tertiam personam, aut in communitatem, quæ simul infamata maneat de eodem aut de alio crimine, aut in alios, qui iuris dispositione ex delicto alteri⁹ infames maneant, iuxta ea quæ Disp. 37 concluſ. 4 iunctis iis, quæ in calce Disput. 27 dicta sunt, tunc remittente iniustè infamato obligationem restituendi, deobligatus manet is, qui iniustè infamauit, ab obligatione qua de iustitia tenebatur restituere famam, nihil impediente, quòd ea infamia redundet in iniuriam ac detrimentum C aliorum, aut reipublicæ, vt si iniustè infamatus erat prælatus, vel persona publica, cuius fama subditis aut reipublicæ intererat, iuxta ea quæ Disp. 37. concluſ. 4 citata, & Disp. 46. concluſ. 5 comprobata sunt. Quando autem infamia in tertiam personam aut in communitatem aliquã redundaret, quæ simul infamata de eodem aut de alio crimine maneret, vel etiam in aliquos, qui iuris dispositione manerent infames ex delicto principaliter infamati, tunc remittente eo, qui principaliter iniustè fuit infamatus, obligationem restituendi famam, licèt qui iniustè infamauit, liber maneat ab obligatione, qua de iustitia tenebatur famam illi restituere, nõ tamẽ manet liber ab obligatione, qua de iustitia item tenebatur restituere illis aliis famam, quam simul ab eis iniustè abstulit, nisi & hi quoque simul hanc etiam aliam restituendi obligationem remittant.

Priorem huius conclusionis partem affirmãt omnes, quos Disp. 37 concluſ. 2 citauimus pro opinione contraria Caietani opinioni, manifesteque deducitur ex fundamento contrario illi, cui Caietanus nititur, quod eo in loco comprobauimus ac stabiliuimus. Cùm enim homo dominus sit honoris sui ac famæ, nec minùs, quàm bonorum externorum diuitiarum, liberam vtriusque habeat dispositionem; cõsequens profectò est, vt sicut, remittente illo restitutionem bonorum externorum diuitiarũ, liber is manet, qui ea restituere tenebatur, ab obligatione, qua de iustitia ea restituere erat astrictus, iuxta ea quę tractatu. 2, Disp. 757 dicta sunt, ita remittente eodem suæ famæ restitutionem, liber similiter is maneat, qui eam restituere tenebatur, à vinculo quo de iustitia eam illi restituere erat astrictus, nihil impediente, quòd qui eã remissionem facit, malè aliquando faciat, eam remissionem efficiendo, & quod id aliquando cedat in aliqualem iniuriam ac detrimentum aliorum, quando infamia suæ est propria eam remissionem concedentis, iuxta ea quæ Disp. 37 concluſ. 4, & Disp. 46, concluſ. 5, explanata sunt. Vt tamen ea remissio obligationis restituẽdi famam, eũ, cui fit, deobliget à vinculo, quo de iustitia eam restituere erat astrictus, esse debet libera omnino, modo tractatu 2, Disp. 757 citata copiosè explicato.

Posterior verò conclusionis pars ex eo constat, quòd quando aliquis multis damnum iniustè intulit, omnibusq; de iustitia restituere tenetur, vnicuique id damni, quòd inde accepit, non satis est, vnum illorũ remittere damnum iniustè datũ, etiam si is sit præcipuus, qui damnum accepit, vt qui damnum eis multis iniustè dedit, liber maneat à vinculo, quo aliis damnum ab eis acceptum restituere tenebatur.

Secunda conclusio. Quando restitutio honoris & famæ fieri deberet in eo ipso bono, in quo quis damnũ accepit, ita quòd quasi redintegrãda esset fama læsa, eaq; fama necessaria esset, vel ad tollendum scandalum, vel in notabile subditorũ aut reipublicæ bonum, vel deniq; ad eorum aliquid ex iis, quæ Disp. 37, conclusione 3 & 4, explicata sunt, tunc lethaliter peccaret, qui remitteret restitutionem talis famæ: nisi ex restitutione similia damna sequerentur ex parte eius, qui restituere deberet. Dixi, quando restitutio fieri deberet in eo ipso bono, in quo quis damnum accepit, ita quòd quasi redintegranda esset fama læsa: quoniam si fieri restitutio deberet in aliquibus aliis bonis, eo quòd fama in se ipsa restitui non posset, vt quia crimen, quod iniustè fuit detectum, erat verum, neq; potuit deinceps palliari, tunc, qui ita in fama iniustè fuit læsus, remittere posset eius famæ restitutionem absque peccato, nihil impediente, quòd ex infamia sequutũ esset ac perseueraret scandalum, vel damnum ac malum aliud, quod eo restituendi modo non tolleretur. Addidi, nisi ex restitutione similia damna sequerẽtur ex parte eius, qui restituere deberet: quoniam quando æquale scandalum sequeretur ex eo, quòd is, qui infamauit, deD geret se iniustè infamasse, aut æquale aliorũ aut reipublicæ damnum, eo quòd ille etiã esset prælatus, valdeque reipublicæ vtilis, posset iniustè infamatus ex caritate eligere pati potiùs iacturam proprii honoris ac famæ, permittereq; ea damna, quæ inde malitia alterius sequuta sunt, quàm vt alius similem proprii honoris ac famæ iacturam pateretur, & quàm vt de nouo similia alia damna ac scandala orirẽtur, esseteq; id profectò magni meriti coram Deo. Intelligendum tamen est hoc, nisi persona, quæ talem restituendi obligationem remitteret, aliquibus ex officio esset præposita, in quorum præiudicium eius infamia cederet, nec munus id relinqueret: tunc E enim quamuis cedere posset iuri suo; non tamen cedere posset iuri sibi subditorum, eaque de causa quando subditi ipsi, aut illi superior prælatus, cui ea in re teneretur obedire, inuiti essent, remittere sanè non posset eam suæ famæ restitutionem, estò subditis alterius, qui eam efficere teneretur, simile detrimentum ex ea restitutione per accidens proueniret. Conclusio ita explanata probatur, quoniam cùm ea restitutio necessaria sit ad tollenda mala, quæ sub reatu culpæ lethalis tenetur is impedire, cui ea restitutio esset facienda, sanè remissio eius restitutionis culpa esset lethalis, vel contra solam caritatem, vel etiam

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

tiam contra iustitiam, si in aliorum præiudiciũ A fieret, in quorum iniuriam id cederet, & quibus ipse ex suo officio teneretur.

3 Tertia conclusio. Quando fama eo modo nõ est necessaria, tunc remittere illius restitutionẽ, nullum regulariter est peccatum, sed caritas ac meritum. Probatur, quoniam in eo non cernitur prodigalitas, sicut cernitur in laceratione propriæ famæ, antequam amittatur: sed regulariter adest rationabilis causa, cur ea remissio restitutionis concedatur, nempe vt pudori ac difficultati proximi in ea efficienda ac iacturæ famæ illius consulatur, & vt simul exerceatur patientia eius, qui eam infamiam sustinet, remissionemq; illam restituendi efficit.

4 Quarta conclusio. Is, cui in euẽtu prioris partis primæ conclusionis remittitur obligatio restituendi famam, non peccat, si post eam remissionem illam non restituat: nisi quando sine notabili sua molestia ac damno posset illam restituere, interesset̃que notabiliter ei, cui esset facienda, illam restitui, vel necessarium id esset ad tollendum scandalum, aut ad impediendum notabile damnum proximi alicuius. Deniq; non teneretur eam restituere, nisi quando, si ipse esset alius tertius, qui famam illam non læsisset, ex caritate teneretur eo modo subuenire ei famæ. Neque omittẽdo tunc restitutionem eius famę, quam iniustè læserat, peccaret contra iustitiam, C sed solùm contra caritatem. Probatur hæc conclusio, quoniam facta ei illa remissione obligationis restituendi, nulla in eo manet obligatio restituendi de iustitia, vt cõclusione prima ostẽsum est; sed perinde tenetur solùm ex caritate, atque cæteri proximi ex caritate tenentur impedire damna suorum proximorum, si commodè possint: quo fit, vt cùm obligatio ex caritate solùm sit, quando sine notabili proprio detrimento, sine notabiliq; propria molestia pro quantitate damni, quod proximo imminet, possit illud impedire aut resarcire, verum nostra conclusio habeat.

Vtrùm in fama locum habeat compensatio, ita vt deobligetur quis ab onere restituendi famam, quam iniustè læsit, quia is alius æquale famæ damnum huic iniustè intulit. Disp. 49.

SVMMARIVM.

Illicitum est in recompensationem infamiæ, quã alius nobis iniustè intulit, illum infamare, estò ille iniquè restituere nobis non velit famam, quã nobis iniustè abstulit.

2. Post illatam vtrimque iniustè infamiam, locum habet compensatio damni cum damno, vt nullus E eorum de iustitia teneatur restituere alteri, nisi solùm excessum damni, si forte plus infamauit, quàm ab altero sit infamatus.

3. Qui sibi mutuò damna famæ intulerunt, tenentur sibi inuicem famam restituere non curando compensationem: idq; de caritate, non de iustitia.

4. In euentibus, in quibus, cùm famæ vnius damno iniustè dato simul illatum est famæ quorundam aliorum, quod de iustitia illis restitui debeat, estò compensatio fieri posset obligationis, qua illi præcipuè restituenda erat sua fama, cum obligatione, qua is idẽ æquale damnũ famæ teneretur illi, qui ipsi restituere tenebatur, non tamen propterea cessaret obligatio.

5. Quando vnus alterum iniustè infamasset, neque vt tenebatur, vellet eam famam illi restituere, tunc iniustè infamatus, qui damnum in fama alteri non dedisset, posset in pecunia compensare dãnum famæ in quo est.

CAietanus & Maior, vt in principio disputationis præcedentis retulimus ex illo suo fundamento, quòd homo non sit dominus sui honoris ac famæ, asseuerant, locum non esse cõpensationi quoad famam iniustè læsam, sed vtrumque eorum, qui se inuicem iniustè infamaB runt, teneri sibi mutuò famam restituere. In cõtraria verò sententia sunt doctores communiter, qui asseuerant hominem dominum esse sui proprii honoris ac famæ.

Nostra verò prima conclusio est: Illicitum est 1 in recompensationem infamiæ, quam alius nobis iniustè intulit, illum infamare, estò ille iniquè restituere nobis non velit famam, quam à nobis iniustè abstulit. Tametsi licitum nobis sit, in nostram iustam defensionem, quantum sit satis ad protegẽdam ac defendendam quin & ad recuperandam nostram famam, illum in iis infamare, quæ via sunt ad nostram famam ab iniuria vindicandam. Hæc posterior conclusionis pars C Disp. 24 & alibi ostensa fuit. Prior verò ex eo est manifesta, quoniam cùm infamia alterius non sit bonum illius, quod in recompensationem boni ex nobis iniustè ablati nobis sumamus, sed sit solùm læsio boni alterius, sanè in eo nihil aliud cernitur, quàm vindicta, quæ est omnino illicita propria autoritate.

Secunda conclusio: Post illatam vtrinque in- 2 iustè infamiam, locum habet compensatio dãni cum damno, vt nullus eorum de iustitia teneatur restituere alteri nisi solùm excessum damni, si fortè plus infamauit quàm ab altero sit infamatus. Quòd si ex mutuò consensu fiat ea damnorum compensatio, tunc estò vnus eorum alD teri restituat infamiam, quam illi intulit, hic alter non tenetur restituere infamiam, quam antea restituenti intulerat: quippe cùm iam eam illi non debeb at, restitutioque ipsa facta sit beneficium in se collatũ, quod de iustitia compensare non tenetur. Excipe, nisi iterum facta inter eos fuisset conuentio, quòd ea lege vnus restitueret, vt alter restituere vicissim teneretur. Quãdo verò non interuenit mutuus tacitus vel expressus consensus in ea recompensatione, tũc vno eorum restituente alteri famam, quam ab eo iniustè abstulerat, alter tenetur illi restituere famam, quam ab eo iniustè etiam abstulerat, nihil impediente, quòd ex sua parte compensatioE nem mutuam intendisset ac voluisset. Ratio autem est, quoniam ea compensatio, non interueniente ad illam consensu alterius, intelligebatur sub tacita conditione, nisi alter restitueret: poteratque alter bona fide restituere, nihil sciens de compensatione, quam alius intẽderat: in quo euentu æquitas ac ratio non patitur, vt qui restituit, in iactura maneat famæ, quam alter ab eo iniustè abstulerat. Prima huius cõclusionis pars ex eo liquet, quoniam fama in hominum potestate ac dispositione non secùs est posita, quàm in hominum potestate ac dispositione sint posita bona externa diuitiarum, maximè rerum, qua-

rum dominium ad eos spectat, quibus ea damna iniustè sunt illata, quàm in damnis famæ. Reliquæ verò eiusdem conclusionis partes probatione alia non indigent.

3 Tertia conclusio. In euentibus, in quibus præcedente disputatione est dictum, nihil impediẽte remissione obligationis restituendi famam, teneri eum, qui eam remissionem obtinuit, famã illam ex caritate restituere, ad scandalum aut alia mala vitanda, dicendum quoque est eos, qui sibi mutuò damna famæ intulerunt, teneri sibi inuicem famam restituere, non curando compensationem. Tunc verò tenentur ad id de caritate, non verò de iustitia. Hęc conclusio satis est perspicua, quoniam vnusquisque, nihil impediente compensatione, quam alioquin efficere poterat, ex caritate tenetur vitare scandala, & impedire dãna proximorũ, si cõmodè ea impedire possit.

4 Quarta conclusio. In euentibus, in quibus cũ famæ vnius damno, iniustè datum, simul illatum est famæ quorundam aliorum, quod de iustitia illis restitui debeat, iuxta dicta in posteriori parte conclusionis primæ disputationis præcedentis, estò compensatio fieri posset obligationis, qua illi præcipuo restituenda erat sua fama, cum obligatione, qua is idem æquale damnum famæ teneretur similiter restituere illi, qui ipsi restituere tenebatur; non tamen propterea cessaret obligatio, neque compensata censeretur, qua illis aliis restituere tenebatur damnum famæ ipsis vnà cum illo præcipuo illatum. Conclusio hæc notissima ex se est, neque probatione indiget.

5 Quinta conclusio. Quando vnus alterum iniustè infamasset, neque, vt tenebatur, vellet eam famam illi restituere, tunc iniustè infamatus, qui damnum in fama alteri non dedisset, posset in pecunia compensare damnum famæ, in quo est, idque non solùm non soluendo debitum antiquum occultum, quantum ad æqualitatem sufficere iudicaretur ad competentem compensationem damni famæ, in quo est, sed etiam occultè accipiendo de nouo, quantum satis esset ad eandem compensationem: dummodo non interueniret scandalum, & aliter commodè obtinere non posset restitutionem suæ famæ, & denique dummodo interuenirent conditiones omnes requisitæ, vt licitè in cõscientiæ foro fiat occulta compensatio debiti, quas tractatu 2, Disp. 691 copiosè explicauimus. Conclusionem hanc affirmat *Ledesmius. 2. q. 18. art. 2.* Probari autem potest, quoniam quando aliter fieri non potest restitutio famæ, fieri debet in bonis externis, vt præcedentibus disputationibus dictum est: ergo quando is, qui famã restituere tenetur, sua nequitia in aliis bonis illã nõ restituit, aut restituere eã in aliis bonis nõ potest, tenetur in bonis externis diuitiarum illam restituere: quare, si id non præstet, sitque iniustus detẽtor eius, quod restituere tenetur, licitũ erit facere in bonis externis illius competentem compensationem, etiam occultè occupando de nouo bona externa illius, modò concurrant conditiones omnes requisitæ ad licitè autoritate propria occultam compensationem efficiendam. Illud verò admonuerim, cùm is, qui dãnum famæ iniustè intulit, non teneatur restituere in bonis externis diuitiarum, sed sufficienter restituat in bonis honoris & famæ, vt præcedentibus disputationibus dictum est, consequẽs est, vt si, post compensationem in bonis illius externis diuitiarum effectam, ille in bonis honoris & famæ restituat, reddenda illi esse externa bona, in quibus compensatio fuerat effecta: id quod Ledesmius vbi suprà bene obseruat.

De iustitia commutatiua circa bona spiritualia. Et num, qui damni in bonis spiritualibus alteri est causa, ad restitutionem teneatur. Disp. 50.

SVMMARIVM.

1 *Inter bona spiritualia quædam sunt naturalia, quæ immediatè non ordinantur ad felicitatẽ moralem sempiternamq́, beatitudinem consequẽdam: quædam verò sunt, quæ ad felicitatem moralem immediatè ordinantur, ad consequendãq́, felicitatem æternam, & de nocumento, quod prioris generis bonis infertur, idem est dicendum, quod de nocumento dato in bonis corporis.*

2. *Qui causa est iniusta damni in aliquo scientiarũ aut artium, restituere ei tenetur, quantum prudentis arbitrio æstimabitur id damnum.*

3. *Qui alteri causa est peccati, tenetur ad restitutionem damni ei in spiritualibus ita dati, illum suasionibus ad pœnitentiam adducendo, vt resipiscat, atque si ille non sufficiant, orando pro illo, & conãdo vt alii, qui ad id efficaciores sint, idem illi persuadeant, modò sine fructu eum non infamet apud illos.*

4. *Qui in causa fuit vt alius per ignorantiam peccaret, aut vi vel metu causa fuit peccati alicuius, tenetur de iustitia causam peccati auferre, ignorãtiam ab illo depellendo; aut si vi vel metu illum in peccato detinet, liberum illum relinquendo, vt absque vi & metu à peccato desistere possit.*

5. *Qui culpa alterius ita per ignorantiam decepti, damnum in spiritualibus paterentur, certè cum iniuria ob inuoluntarium mixtum ratione ignorantiæ illud paterentur, ac proinde de iustitia teneretur ille auferre ab iis eã deceptionis causam, & illis & aliis restituere damna omnia, siue spiritualia, siue aliorum bonorum, ex ea iniusta causa ita subsecuta.*

6. *Qui alteri causa est peccati absque ignorantia, ita vt is qui peccat, prudens & sciens peccet, ad nullã restitutionem ei tenetur, siue spiritualium damnorum, siue quorumcunq́, aliorum; quæ ei ex tali peccato sequantur, licèt hortatione aut cõsilio peccati autor fuerit.*

7. *Dissoluuntur quinque argumenta contraria.*

EGimus huc vsque in hoc quarto tractatũ de iustitia commutatiua circa bonum honoris & famæ. Supereſt pauca de iustitia commutatiua circa bona spiritualia addamus. Cur autem hanc vltimam partem huic quarto tractatui de iustitia addendam annectandamque censuerimus, in principio huius quinti tractatus est dictum.

1 Inter bona spiritualia quædam sunt naturalia, quæ immediatè non ordinantur ad felicitatem moralem, sempiternamque beatitudinem consequendam, vt sunt potentiæ, scientiæ, & artes: quædam verò sunt, quæ ad felicitatem moralem immediatè ordinantur, ad cõsequendãq́; sempiternam felicitatem, vt virtutes, gratia, meritoriaq́;

ritoriáque opera. Quod autem ad bona prioris generis attinet, idem de nocumento in illis dato est dicendum, quod de nocumento dato in bonis corporis tractatu præcedente dictum est. Qui enim potionibus, præstigiis, dæmonumque adiutorio, aut alia ratione, iniustè aliquem vsu rationis priuat, vel nocumentum aliud illi infert quoad vsum potentiarum animæ, ad restitutionem æstimationis illius tenetur, quantum prudentis arbitrio, attentis circunstantiis omnibus concurrentibus, id damnum, si permaneat, iudicabitur. Tenetur item ad restitutionem omniũ aliorum damnorum, si quæ inde vlteriùs sint sequuta, non secùs, quàm si abscinderet manum, aut aliud damnum corporis inferret. Imò verò læsio potentiarum organicarum, impeditioque iniusta vsus illarum, damnum est corporis: impeditio verò vsus potentiarum non organicarum, quamuis damnum spirituale sit, ex læsione tamen organorum potentiarum organicarum prouenit ac pendet, quatenus dum rationalis anima corpori est immersa, intellectu ac voluntate operatur dependenter à potentiis organicis, quarum læsio in potentias, quibus subministrant, redundat. Eodem verò modo puniendum est delictum, quo eiusmodi damnum infertur, inferrive intentatur, quo tractatu præcedente explanatum est, punienda esse delicta & iniurias contra bonum corporis, quæ mortem corporis non inferunt.

2 Item qui causa est iniusta damni in aliquo scientiarum aut artium, vel quia vi, aut fraude, aliáve ratione iniustè aliquem prohibuit ab vsu aut ab acquisitione alicuius earum, vel quia sua culpa falsa pro veris docuit, vel quia, cùm ex officio ac de iustitia alios docere ac instruere teneretur, negligens notabiliter in docendo ac instruendo, vt tenebatur, fuit, aut ad id erat ineptus, idque in causa fuit, vt ii, quos de iustitia docere tenebatur, dánum paterentur in eius scientiæ aut artis acquisitione, restituere eis tenetur, quantum prudentis arbitrio æstimabitur id damnum, & quantum æstimabuntur alia damna, si quæ inde sint vlteriùs sequuta. Quare non est cur hoc loco hac de re aliud dicamus, quàm quæ tractatu præcedente circa damna & iniurias corporis, & circa restitutionem damnorum corporis, & eorum, quæ vlteriùs inde sint sequuta, dicta sunt.

3 Quod verò ad bona posterioris generis attinet, *Scotus in.4. dist. 15. q.3. Richardus ibidem art.5.q.2. Adrian.q.de restitutione bonorum animæ, Palud.in.4.dist.15.q.2.art.2. Gab.eadem d istinctione.q.17.& diuus Ant.part.2.c.2.§.1.* affirmant, eũ, qui alteri causa est peccati, illum ad id inducendo, vel quacunque alia ratione, teneri ad restitutionem damni ei in spiritualibus ita dictis, illum suasionibus ad pœnitentiam adducendo & vt respiscat, atque si illæ ad id non sufficiant, orando pro illo, & conando vt alii, qui ad id efficaciores sint, idem illi persuadeant; modò tamen fine fructu eum non infamet apud illos.

Probant verò id. Primò, quoniam grauiùs peccat, qui damnum spirituale alicui infert, quàm qui illi damnum infert in rebus externis; vnde Anterius Papa. *c. ex merito*, & Anacletus. *c. deteriores.6.q.1. Deteriores*, inquiunt, *sunt, qui vitam morefq; bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum prædiaq; diripiunt.* Habetque id verum, ait Adrian. etiam si solo malo exẽplo proximos scandalizando, illos ad peccatum inducant: ait enim Nicolaus Papa. 11.q.3. præcipui, *Scire etiam prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt:* sed qui damnum rebus externis aliorum inferunt, tenentur illud eis restituere: ergo etiam illi, qui damnum rebus spiritualibus inferunt, etiam si solo exemplo illud eis inferant, tenentur illud eis restituere.

Secundò, qui alteri venenum propinat, quo salus eius corporis læditur, tenetur de iustitia curare quantũ potuerit, vt ab eo periculo eruatur, resarcireque ei damnum ea via illi illatum: ergo qui alterum ad peccatum inducit ac pertrahit, tenetur etiam de iustitia curare, quantum potuerit, vt ab eo longè maiori damno eruatur, illudque ei resarcire.

Tertiò, qui seruum corrumpit alienum, in causaque est vt ille fugiat, de iustitia tenetur domino illius de eo damno ei dato: ergo qui consilio vel malo exemplo Dei seruum corrumpit, illumque per culpam lethalem efficit ab eo recedere, gratiamque illius amittere, simili modo tenebitur de damno spirituali ita illato. Neque refert, ait Adrianus, si peccator restitutionem damni illius remittat: quoniam Deus, qui superior est, illud non remittit: neque valet remissio inferioris contra superioris, cuius ille est, voluntatem, in cuius iniuriam id damnum redundat.

Quartò, prælati ex officio atque ex iustitia curare tenentur bonum spirituale suorum subditorum: ergo hi saltem, si subditos suos ad peccandum inducant, imò si negligentes sint in curando, ne ipsorum subditi culpam lethalem incurrant, peccant contra iustitiam, tenebunturq; non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, id illorum spirituale damnum resarcire, curando pro viribus & posse illorum conuersionem ac emendam.

Quintò, qui hæresim aliquam persuasit, aut alium pernicioſum errorem, omnium consensu, tenetur eos omnes, quos ita persuasit, dissuadere omni via ac ratione, qua id meliùs consequi possit: ergo simili modo, qui alium ad peccandum induxit, tenetur ad eam satisfactionem, vt omni via, qua id consequi possit, curet pro viribus illius conuersionem ac emendam.

Prima nostra conclusio est: Qui in causa fuit, 4
vt alius per ignorantiam peccaret, aut vi vel metu causa fuit peccati alicuius, & maximè si per vim, aut metum, illum adhuc in peccato detinet, tenetur de iustitia causam peccati auferre, ignorantiam & errorem, quantum satis sit, ex sua parte abillo depellendo, aut si vi vel metu illum in peccato detinet, liberum illum relinquendo, vt absq; vi ac metu à peccato desistere possit. Quin & damna inde illis aut aliis sequuta tenetur restituere, nisi fortè aliquando ipse ignorantia inuincibili excusetur à culpa eam causam peccati adhibendo, & per consequens ab obligatione restituendi damna inde sequuta.

Exemplum primum, quod ad ignorantiam attinet, est: Vt si aliquis errores in fide aut in mo-

ribus docuit,& alii, putantes errores non esse, illos sequuti sunt,freti illius autoritate, aut rationibus,seu inductiuis, quibus illos persuasit, sanè de iustitia tenetur contrarium illos eosdem docere,quod in se est,& quantum sufficiès iudicabitur,efficiendo vt,si per illos non steterit,errorem repellant. Atque restituere illis aut aliis tenetur,si quæ damna inde sint sequuta,interim dum errorem non depulit,saltem sufficiētia adhibendo media,vt,si per illos non staret, depelleretur ac cessaret eorum ignorantia. Eo enim ipso,quòd id efficeret, culpa tota imputaretur ipsis,qui in eodem perseuerarent errore, & non ei,qui illos antea docuit,ac proinde ipsi soli sibi ipsis imputare deberent damna, quæ inde ipsis deinceps prouenirent,ipsique soli essent causa dānorum,quæ inde aliis deinceps euenirent,vt,verbi gratia,ex contractu iniusto, ac proinde ipsi soli tenerentur ea restituere. Si autem,qui eos docuit, ignorantia inuincibili excusaretur à culpa illos ita docendo, satis perspicuum est,excusari quoque ab onere restituēdi damna inde eis aut aliis sequuta: eo quòd nō teneretur ex parte rei acceptæ,sed,si teneri deberet, illud esset ex parte iniustè acceptionis culpæve suæ,qua id damnum dedisset: quam supponimus nullam esse.

Concluſio quo ad ignorantiam,& quo ad exemplum propositum,probatur. Quoniam qui culpa alterius ita per ignorantiam decepti, dānum in spiritualibus,aut inde etiam vlteriùs in aliis suis bonis paterentur,certè cum iniuria ob inuoluntarium mixtum ratione ignorantiæ,atque adeò per iniustitiam ipsis ab eo,qui ita illos decepit,illatam,illud paterentur, ac proinde de iustitia teneretur ille auferre ab eis eam deceptionis atque erroris causam illis datam, teneretúrque de iustitia illis & aliis restituere damna omnia, siue spiritualia,siue aliorum bonorum, ex ea iniusta causa ita subsequuta. Quare de rigore iustitiæ fortasse tunc tenebitur aliquid etiam de satisfactionibus suis propriis offerre Deo pro parte satisfactionum culpæ illorum in amplectendis illis erroribus, quando, qui illos amplexati sunt,non fuerunt omnino ob ignorantiam excusati à culpa,quia ipsorum ignorantia non fuit inuincibilis,& quādo veniam quo ad id ab illis non obtinuisset. Licèt enim ipsi etiam in culpa fuerint eos sequendo errores,imò propter solam suam propriam culpam id damnum eis obuenerit,teneanturque ad eam satisfactionem ratione suæ propriæ culpæ, incidisse tamen in illam deceptos iniustè ab alio, interuenientéque inuoluntario mixtè ob eam ignorantiam ac acceptionem,aliquid fortasse operari debet,vt qui ita decepit,ad partem eius damni teneatur. Damnum verò amissionis gratiæ, reparari totum per pœnitentiam peccati, quo fuit amissa, potest ab eo ipso,qui id damnum sua culpa incurrit, per ipsumque stabit,præsertim eo ipso, quòd qui eum decepit, causam deceptionis ex sua parte depellat.

Illud est obseruandum, estò qui absque sua culpa, excusante omnino ab ea ignorantia inuincibili, damni fuisset causa, docendo, verbi gratia,contractum esse licitum,quem postea cōperit iniustum,proximoque iniuriosum esse,nō teneatur ad restitutionem damnorum inde subsequutorum; teneri tamen quasi ex officio atque de iustitia auferre eam causam iniustitiæ à se datā,si cōmodè possit,quod si nō auferat,tunc deinceps restituere tenebitur damna, quæ ex ea causa sequentur: quoniam licèt à principio non fuerit iniustè data formaliter, sed solū materialiter,à puncto tamen,quo non aufertur,& commodè potest auferri,incipit esse causa formaliter iniusta comparatione eius,qui illam dedit,neque eam aufert,cùm commodè possit, atque ad id teneatur,iuxta ea quæ Disput.40 dicta sunt.

Secundum exemplum eiusdem conclusionis quoad vim ac metum est. Si quis famulum,puellam,aut quemuis alium,per vim aut metum aliquid iniquum facere efficiat, tenetur de iustitia auferre vim aut metum,illos in sua integra libertate relinquendo, damnumque ipsis aut aliis,ex vi,aut metu ita illato,sequuta, resarcire. Si quod autem damnum illi vlteriùs dent, postquam repositi sunt in sua integra libertate, vi omni ac metu prorsus sublatis,tunc ipsis solis id damnum imputabitur,& non ei, qui à principio vim aut metum intulit, ac proinde ipsi soli tenebuntur illud restituere. Quod is,qui à principio vim aut metum intulit,excusatus fuit à culpa,quia inuincibili ignorantia credidit id sibi efficere licere,tunc ipse ad restitutionem dāni non tenebitur. Qui autem metu ductus illud culpabiliter dederit, quia voluntariè mixtè illud dedit,nihil interueniente, quod eum excusaret à culpa lethali in eo dando,tunc ipse tenebitur illud restituere. Concluſio quo ad vim & metum, quo ad hocque secundum exemplum, quando culpa interuenit ex parte vim aut metum ad rem iniquam inferētis,eodē modo probatur,quo probata quo ad primum exemplum fuit. Videlicet quoniam is per iniuriam causa est iniusta omnium eorum damnorum, ac proinde causam illorum tenetur auferre,si adhuc ea causa perseuerat, teneturque ea omnia damna ex ea causa sequuta restituere, estò aliqua eorum prouenerint culpa eius, cui ad id metus incussus est: quoniam inuoluntariè mixtè,per iniuriam metus sibi illatam, illorum fuit causa: vnde qui metum iniustè intulit,tenetur primo loco tanquam præcipua causa ad totum dānum;hic verò alius solùm ad illud tenetur in defectum causæ principalis,nisi metus fuerit valde leuis. Tunc enim meo iudicio vterque ad illud contribuere debebit,prout plus aut minus illius fuerit causa.

Secunda concluſio. Qui alteri causa est peccati absque ignorantia,fraude,ac metu,ita quòd is,qui peccat,sciens & prudens atque absq; metu ei incusso peccat,ad nullam restitutionem ei tenetur siue spiritualium damnorum, siue quorumcunque aliorum,quæ ei ex tali peccato sequantur,estò consilio atque hortatione causa eius peccati fuerit. Lege tamen caritatis arctiùs aliquantulum tenetur eam corrigere ac conari eruere à peccato in euentu,in quo quiuis alius, qui eiusdem peccati esset conscius, teneretur eū corrigere ac conari eruere ab eo peccato. Probatur hæc concluſio quoad priorem partem. Primò,quoniam volenti & consentienti non fit iniuria,ac proinde nullus contra iustitiam peccat, suadendo illi damna,quæ ipse sciens ac prudens vult,& quorum periculo ipse per suum liberum

con-

consensum se exponit. Quo fit, vt quemadmodum nullus doctorum affirmat, eum, qui consulit aliquod peccatum, ex quo tertio alicui sequitur damnum aliquod iniustum, teneri ei, qui id consilium accipit, restituere damna, quæ ex eo cõsilio ei proueniunt, sed solùm teneri restituere damna illi tertio, cui ex eodem consilio damna iniusta proueniunt; idque solùm in defectum eius, qui eo consilio permotus, ea damna iniustè intulit, ita quòd si is, qui eo consilio permotus ea damno intulit, illa restituat, ipse ad nihil vtrique eorum teneatur; si verò ea non restituat, teneatur quidem ipse ea tertio illi restituere, quod loco eius restituerit, vt tractatu 2. Disput. 737 ac alibi dictum est; ratioque horũ omnium est, quoniam qui consilium dedit, non peccauit contra iustitiam comparatione eius: qui sciens ac prudens id consilium accepit ac exequutioni mandauit, sed solùm cõparatione eius, cui damna ex eo consilio illata sunt: ita in re proposita dicendum sit, eum, qui suo consilio alicui id scienti ac volenti causa fuit peccati, non teneri restituere illi damna, tam spiritualia, quàm quæcunque alia, quæ ex eo peccato ei obuenerunt: eo quòd id illi suadendo, non peccauerit aduersus eum contra iustitiam, sed solũ contra caritatem. Secundò, quoniam nullus ex consilio, quod alteri dat, tenetur ei ad damna, quæ ex eo consilio ei proueniunt, nisi interuenerit fraus, vt constat *l. 2. §. vlt. ff. mandati*, cuius verba sunt: *Nemo ex consilio obligatur, etiam si nõ expediat ei, cui dabitur: quia liberum est cuiq; apud se explorare, an expediat sibi consilium*: Et regula *consilii. ff. de reg. iud.* Sic habet: *Consilii non fraudulenti, nulla obligatio est. Caterùm si dolus & calliditas interceserit, de dolo actio competit.* Et regula *nullus de reg. iur. lib. 6.* habet: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quo in loco glossa in delictis id totum affirmat, quod à nobis ratione præcedente est dictum; ergo qui consilio alteri scienti ac consentienti causa est peccati, ad nullam restitutionem ei tenetur damnorum, quę ex eo peccato illi obueniunt. Posterior verò pars conclusionis propositæ adeò est perspicua, vt probatione nõ indigeat. Quando autem & quo ordine seruato, teneatur quis ad correctionem fraternam, suo in loco in hac. 2. 2. explicatum fuit.

7 Ad primum verò argumentum in contrarium concessa maiori, si intelligatur de grauiori peccato (Ex circumstantiis enim potest aliquando id esse minus graue peccatum, vt *1. 2. q. 73. art. 8.* conferendo peccatum scandali cum peccato homicidii examinatum fuit: & idem euenire potest, si conferatur cum furto, aut cum alio delicto circa bona externa) concessa item similiter minori, quando ea damna, de quibus in ea est sermo, inferuntur existente inuoluntario ex parte eius, qui illud patitur, vt regulariter euenit, neganda est consequentia: eo quòd, qui spiritualia damna patitur, sciens & prudens, libete consentiendo in peccatum ob quod ei obuenerunt, illa incurrat: vnde in eo non fit ei iniustitia, quæ necessaria est, vt quis ad restitutionem ob damna data teneatur: sicut fit iniustitia ei, cui damnum, ipso inuito, sine iusta causa in rebus suis externis infertur.

Ad secundum, concesso antecedente, quoniam in eo interuenit iniustitia ex parte propinantis venenum, neganda est consequentia: quoniam in eo non interuenit iniustitia: quippe cùm ea damna, volendo & consentiendo in peccatum, ad quod quis malo exemplo aut alia ratione inducitur, incurruntur.

Ad tertium, concesso antecedente: quoniam id est damnum in bonis externis domini eius mancipii, quod is dominus inuitus patitur: neganda est consequentia, si agatur de restitutione ei facienda, qui id damnum patitur: quoniam sciens ac prudens libere consentiendo in peccatum, ob quod illa damna incurrit, ea patitur. Si verò de Deo agatur, vt in instantia ab Adriano subiuncta, neganda similiter est consequentia. Quoniam id non est Dei damnum, quod restituendum Deo veniat, sed est offensa ipsius, quæ pœna ab eo est punienda, estque peccatoris damnum.

Ad quartum concesso antecedente, concedenda est quoque consequentia, quòd teneantur ex officio, & suo modo ex iustitia, curare conuersionem & emendam illorum, sed non aliter, quando fuerunt causa peccatorum illorum, quàm quando non fuerunt eorum peccatorum causa: & cùm ipsi subditi se possint eruere, Dei adiutorio, ab eis damnis, si velint, quando intelligunt se in eis esse, suaque voluntate scientes ac prudentes in eis iaceant, non tenentur prælati restituere eis ea damna, à quibus ipsi se possunt eruere, sed solùm tenentur ex officio, & suo modo ex iustitia illos adiuuare.

Ad quintum dicendum est, in eo euentu quando est ignorantia, etiam culpabilis, ex parte eorum, qui illos sequuntur, teneri illos, qui eos docuerunt, auferre illam, tanquam causam quam adhibuerunt, vt illi alii eos errores aspecterentur ac sequantur: tenerique ad id de iustitia, vt conclusione prima ostensum est. Quando autem illi, qui eos errores sequuntur, non ignorarent errores esse, tunc qui illos docuerunt, non tenerentur ex iustitia, ac ex caritate, arctiori tamen vinculo, quàm si illos non docuissent, eos dissuadere eo spirituali damno, vt conclusione secunda dictum etiam est.

Num retrahens aliquem à religione ad restitutionem teneatur vel ei, quem retraxit, vel religioni.

Disp. 51.

SVMMARIVM.

1. *Varia doctorum opiniones circa quæstionem de retrahendo aliquem à religione.*
2. *Qui eum, qui nondum professus est religionem, nec per vota simplicia est ei adstrictus suasionibus à religione absque vi, metu, fraude, ac deceptionibus retrahit, vel ei qui nondum religionem erat ingressus; simili modo dissuadet ingressum, ad nullam restitutionem tenetur, nec religioni nec ei, quem a religione retraxit, aut cui ingressum dissuasit, sed graviter peccat, si absq; iusta causa id faciat, non tamen peccat, si ex rationabili causa id efficiat.*

3. *Si quis*

3. *Si quis absque vi ac fraude à religione eum extrahat, qui per professionem aut per vota simplicia obligatus est iam religioni, tenetur religioni ad restitutionem damni inde secuti, ad restitutionē ve emolumenti, quod ea ratione religio amittit. Ad nullam verò restitutionem tenetur extracto.*

4. *Dissoluitur obiectio in contrariam partem.*

5. *Qui erit in causa, vt aliquis religionem egrediatur, de iustitiæ rigore tenetur religioni, quantum prudentis arbitrio æstimabuntur prædicta omnia damna, vt contraria bona, ad quæ religio habebat ius, erant tunc impotentia. Si potest, reducat illum iterū ad religionem; sin minus, quærat eius loco alium æquè idoneum; si nec hoc possit, ipse religionem profiteatur.*

6. *Negant nonnulli hunc teneri ingredi religionem; quia consilium ingrediendi religionem proficiscitur à propria libertate: deinde nemo inuitus ingredietur religionem.*

7. *Quando damnum permanens religioni ex ea religiosi extractione esset secutum: teneretur qui illum extraxit illud integre resarcire, saltem compensando illud aliis bonis, vel remissionem eius damni ex religione obtinere. Quòd si vel remissionem obtineat, vel sufficienter illud resarciat reducendo egressum, aut aliquid insuper compensando, vel inducendo alium æquè vtilem, non tenetur ipse tunc religionem ingredi.*

8. *Quando is qui prædicto modo fuit causa damni notabilis, in quo religio ob egressum sui religiosi manet, non potest illud alio modo resarcire, quam suo ingressu, atque ipsius ingressu resarcietur omnino aut magna ex parte, tunc is tenetur eam religionem ingredi, nisi religio illi remittat id damnum ei illatum.*

9. *Dissoluuntur tria argumenta in alteram partem.*

10. *Qui absque iusta causa aliquem ab ingressu religionis impedit, aut iam ingressum inde extrahit, tenetur ad restitutionem, tum religioni, quantū æstimabuntur emolumenta, quæ religio ex ea persona poterat recipere, tum etiam impedito, auferendo ab illo impedimenta, quæ illi apposuit, liberumq; omnino relinquendo, vt religionem ingrediatur, aut vt ad illam regrediatur, & insuper ei resarciendo, si quod aliud damnum sit inde ei subsecutum, quod ille per se ipsum, si velit, non possit resarcire.*

11. *Pœna excommunicationis ipso facto incurrenda statuta est in concilio Tridentino, tam cogentibus non quoscunque, sed mulieres, ingredi religionē, quam impedientibus illas volentes religionem ingredi, ab ingressu.*

I Scotus *in.4.dist.15.q.3.ad.2.Palud. ibidem. q.2. art.2. Maior & Gab. ibidem vterque q.17. Adrian. q. de restitutione bonorum animæ, diuus Ant. part.2.titu.2.c.2.§.1. Sylvest. verb. rest.3.q.1.* & alii affirmant, non solùm eum, qui extraxit professum à religione teneri ad restitutionem, tam religioni, quàm ipsi extracto, sed etiam eum, qui extraxit nouitium, aut impedit ingressum ei, qui animum habebat ingrediendi religionem, teneri ad restitutionem, tam impedito, quàm religioni.

Paludanus & alii censent restitutionem religioni esse faciendam, inducendo efficaciter extractum aut impeditum ad religionem ingrediendum, vel, si id assequi non possit, quærendo alium æquè idoneum ac vtilem religioni, quem eam ingredi persuadeat, vel, si id etiam ad effectum perducere non possit, religionem per se ipsum ingrediendo. Quod referunt fecisse Raymundum, Generalem meritissimum ordinis diui Dominici, qui propterea quòd nouitium quendam suo consilio ab eodem sanctissimo ordine extraxisset, neque illi persuadere regressum potuisset, ipse eandem ingressus est religionem, fuitque in ea vir admodum vtilis æ insignis.

Maior quamuis in reliquis consentiat, negat tamen retrahentem teneri per se ipsum religionem ingredi: sed ait, satis esse, quando nec persuadere potest retracto vt intret, nec inuenit alium æquè idoneum, cui ingressum loco illius persuadeat, si alia via religioni damnum, quod illi intulit, satisfaciat.

Scotus etiam, & quidam alii, quamuis consentiant, restituendum esse religioni, etiam quando nouitius consilio aut suasione extrahitur, atque etiam quando à proposito ingrediendi religionem is dimouetur, qui solùm habebat propositum religionem intrandi; nihilominus dicunt, quia multum interest inter habere iam aliquid, & prope esse vt illud habeatur, non tantam restitutionem deberi, quando nouitius extrahitur, aut aliquis dimouetur à proposito ingrediendi religionem, quanta debetur, quando is à religione extrahitur, qui iam erat professus.

Idem Scotus, Gabriel, Maior, & Adrianus addunt, eum, qui nouitium extrahit, aut illum, qui propositum ingrediēdi religionem habebat, ab eo proposito remouet, tunc solùm teneri ad restitutionem religioni, quando odio animóve nocendi religioni id efficit, vel quando fraude ac dolo idem facit: secùs autem quando absque fraude ac dolo & non animo nocendi religioni id facit, argumento eorum quæ disponuntur *l.1.§.idem aiunt.ff. de aqua. plu. arcend.* quæ tractatu. *2.Disp.709 & 727* relata sunt.

Extracto verò, aut impedito ab ingressu in religionem, affirmant doctores citati eo modo esse restitutionem faciendam, quo disputatione præcedente dictum est eos affirmare restitutionem faciendam esse ei, qui in culpam inductus est lethalem, nempe suadendo retracto ingressum religionis, seu regressum ad illam, orationibusque ad id eum adiuuando, aliosque quærendo, qui id efficaciùs illi persuadeant.

Nostra verò prima conclusio est: Qui eum 2 qui nondum professus est religionem, nec per vota simplicia est ei astrictus ac obligatus, suasionibus atque aliis ad id inductiuis à religione absque vi, metu, fraude, ac deceptionibus extrahit, vel ei, qui nondum religionem erat ingressus, simili modo dissuadet ingressum ac propositum, quod ad ingrediendum habebat, ad nullam restitutionem tenetur, nec religioni, estò odio animóque ei religioni nocendi id efficiat, nec ei, quem ita ex religione extraxit, aut cui ingressum propositúmve ingrediendi dissuasit. Quamuis autem grauiter peccet, absque rationabili ac iusta causa dissuadendo illi ingressum, aut suadendo illi egressum:

non

non tamen peccat, si ex rationabili ac iusta causa A vtrumuis illorũ efficiat. In dubio verò, an causa sit rationabilis ac iusta ad tantum dissuadendũ bonum, semper est proponendum in fauorem religionis, securioris que ac perfectioris status. In hac conclusione consentiunt *Sotus. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 1. Ledesmius. 2. 4. q. 18. art. 2. & alii.*

Prima verò illius pars, quod ad hoc attinet, quòd qui eo modo dissuadet ingressum, aut suadet egressum, ad nullam restitutionem teneatur religioni, probatur. Quoniam ea suasio non est aliud, quàm cooperatio ad id, quod is, cui id ita suadetur, potest absque cuiusquam iniuria efficere: eo quòd religio nondum ad contrariũ ius vllum comparauerit: cùm ergo id fiat absque vi, B metu, fraude, ac deceptione, ob quam cũ iniuria professio in religione aut ingressus in illam impediatur, & in eo non cõtraueniatur iuri, quod ea religio habet, ad illos recipiendos, qui se illi obligare ac tradere voluerint: consequens profecto est, vt quemadmodum is, qui absque vi, metu, ac fraude dissuadet donationem aut legatum alicui, ne illud ei efficiat, cui decreuerat illud facere, non peccat contra iustitiam, neque tenetur ad vllam restitutionem ei, cui alioquin id erat obuenturum, vt cum Adriano & plerisq; aliis tractatu 2, Disput. 727 ostendimus: ita in re proposita dicendum etiam sit: cùm sit vtrobiq; eadem prorsus ratio.

Quòd verò estò ea suasio fiat odio, animoque nocendi ei religioni, obligatio non sit quicquã ea de causa restituendi ei religioni, probatur. Quoniam, vt eadem Disput. 727 citata cum eodem Adriano & cum plerisque aliis dictum est, odium nocendique animus non inducit restituendi obligationem, quando ex eadem actione ac re, secluso eo odio & animo nocendi, ea obligatio non resultaret: quippe cùm restituendi obligatio consurgat ex peccato cõtra iustitiam, non verò ex peccato contra solam caritatem. Eodem etiam in loco respondimus ad legem 1. §. idem aiunt. ff. de aqua plu. arcend. atque cum eodem Adriano & aliis diximus, D dispositionem eius legis solùm habere vim post latam sententiam, neq; esse extendendam extra euentus iure quo ad id expressos. Legas quæ ibi dicta sunt.

Eadem pars conclusionis quo ad hoc, quòd neque ei debeatur restitutio, qui eo modo est à religione extractꝰ, aut cui dissuadꝰ religionis ingressꝰ fuit, satis cõstat ex dictis disputatione præcedẽte, cõclusione 2. Ex cõsilio quippe, in quo nec fraus, nec deceptio, nec vis vlla, aut metus interuenit, nulla cõsurgit obligatio restituẽdi ei dãna, quæ ei sequuta sunt, qui id cõsiliũ fuit ãplexatus: eo quòd volẽti & cõsentiẽti nulla facta sit iniuria. Cõfirmatur, quoniã maiꝰ spiritua- E le dãnum infert is, qui inducit alium ad culpam lethalem, quàm inferat is, qui alium inducit ad id, quod solum est contra consilium: cùm ergo, qui eo modo inducit ad culpam lethalem, ad nullam restitutionem inducto teneatur, vt disputatione præcedente comprobatum fuit: consequens profectò est, vt neque qui solùm eodem modo inducit ad id, quod est contra consilium, teneatur inducto ad vllam restitutionem.

Secunda verò pars, quòd scilicet grauiter peccet, qui absque rationabili ac iusta causa dissuadet alicui religionis ingressum, aut ei suadet egressum, facilè patet. Quoniam retrahere à tãto bono atq; à tam securo ac perfecto statu absque sufficienti causa graue sanè peccatum est, tenebiturque, qui ita retraxit, caritatis lege suadere cõtrarium, si spes sit iri resarcitum, quod ita impediuit, vt conclusione secũda citata de eo dicebamus, qui alium ad peccatum induxit. Vnde grauiter peccant parentes, qui solo carnali affectu permoti absque rationabili causa nullum non mouent lapidem, vt filios à religione, quam ingressi sunt, extrahant, lachrymis & aliis viis conando à tam sancto proposito illos auertere. Soletque Deus illos, ac filios ita extractos, grauiter etiam in hoc seculo punire. Videant etiã senatores regii se grauiter peccare, concedendo mandata, vt absque rationabili causa, priùs sufficienter cognita ac examinata, extrahant & collocentur in domo aliqua, vbi acriter eorum constantia tentetur, occasioque grauis, quin & causa vehementissima, eis detur retrocedendi à tã sancto proposito, vim iniustam religionibus inferendo, vt ad id concedant nouitios receptos.

Tertia verò pars, illum scilicet non peccare, qui ex rationabili ac iusta causa alicui dissuadet ingressum religionis, aut egressum suadet, ex se quoque est satis perspicua. Si enim ingressus futurus sit nociuus, attenta qualitate eius, qui ingredi vult, & attentis circunstantiis aliis concurrentibus, vèl quia in religione, quam ingredi tẽtat, dissolutè viuitur, & est verisimile, quòd ille plus Deo seruiet extra eam religionem, quàm in illa; vel quia, qui religionem ingredi tentat, leuis est, & difficilis admodum moribus, ita vt timendum sit longè maiora mala & scandala sequenda esse ex ingressu, & ex retrocessione, quã sit bonum, quod ex ingressu speratur, iustè ac sãctè dissuadetur ei ingressus. Memini me legisse apud Augustinum in sermone quodam ad Eremitas, id quod prudenter sanctus ille obseruault, & sæpe experimur, estq; præ mentis oculos in multis habendum. Nempe vt est proprium Dei, permittere mala, vt inde maiora alliciat bona: ita esse proprium diaboli, interdum ad bonum incitare, vt inde maiora mala sequantur. Inter iustas etiam causas religionis ingressum dissuadendi computari possunt, si qui ingredi vult, debilis admodum sit, qui continuò morietur, nec valebit sustinere labores eius religionis, quã ingredi vult: si impedimentum ad eam religionem profitendam habeat: si iustè sit timendum, quòd plus nocebit religiosis, quàm in ea religione proficiet: si parentes ipsius ac sorores admodum grauiter eo indigeant: & aliæ similes. Quæ dicta quo ad hanc tertiam partem sunt, confirmat non parum illud Christi Lucę 9. Cùm enim quidam se Christo obtulisset ad illum sequendum in statu perfectionis, dicens: *Sequar te quocunque ieueris.* Cernens Christum, illum minùs aptum ad id esse, quæ siturumque commoditates corporis, & plus impeditum suos alios discipulos, quàm illos adiuturum in statu illo perfectionis, illum ab eo proposito diuertit, nec admittere illum voluit, dicens illi: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* quasi diceret, te autem non video ad tantam renunciationem rerum

ad

ad tantamque perfectionem sectandam aptum ac paratum. Continuò autem alteri, quem ad id aptum vidit, non se offerenti, illum ad id inuitãdo, dixit: *Sequere me.* Et cùm ille respõdisset: *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.* Eam dilationem illi nõ admisit, sed ei suasit, vt illa posthabita, cõtinuò ipsum sequeretur, dicens: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade & annuncia regnum Dei.* Me scilicet, vnà cum cæteris discipulis meis, in perfectionis statu sequendo, & ad ministerium annunciandi regnum Dei animarumque saluti intentandi. Et cũ continuò se alius ad id ei obtulisset, dicens: *Sequar te Domine*, addidisset-
B que, quasi ad id facultatem petendo: *sed permitte mihi primùm renunciare his, qui domi sunt.* Significando illi, eum qui eiusmodi perfectionis statum amplecti veller, tanquam ad eum aptus, omnino renunciare cætera omnia debere, nec ad illa respicere, se illis quouis modo implicando, dicens: *Nemo mittens manum suam ad aratrum*, in statu perfectionis animarum cultui ac profectui insistendo, *& respiciens retro*, ad terrena & secularia, quæ eum relinquere omnino oportet, *aptus est regno cælorum*, hoc est, ei statui perfectionis annunciandi regnum Dei. Quæ omnia ante mentis oculos habere debent, qui ad religionem alios admittunt, & qui perfectionem in religione sequi aggrediuntur.

3 Secunda conclusio: Si quis absque vi ac fraude à religione eum extrahat, qui per professionem aut per vota simplicia more nostrę societatis obligatus est iam religioni, tenetur religioni ad restitutionem damni inde ei sequuti, ad restitutionémve emolumenti, quod ea ratione religio amittit. Ad nullam verò restitutionem tenetur extracto.

Posterior huius conclusionis pars ex eo est manifesta, quòd, vt conclusione præcedente, & præcedente disputatione conclusione 2, est probatum, ex consilio, in quo nec vis, nec metus, nec fraus, ac deceptio interuenit, nulla consurgit obligatio restituendi ei, qui id consilium est
D sequutus. Tenebitur tamen lege caritatis longè arctiùs, quàm alii, is qui eius damni spiritualis causa eo modo illi fuit, curare, regressum illius in religionem, illiusque conuersionem, vt duobus locis citatis de iis, qui eo modo causa sunt damni spiritualis, dictum est.

Priorem verò partem affirmant omnes, quos in principio huius disputationis citauimus. Atque sub forma, qua est proposita, non negat eam *Maior in 4. dist. 15. q. 17. in fine.* Neque credo illam negarent Sotus & Ledesmius vbi supra. Verque enim conclusione 5, tametsi sub dubio, confiretur, eum, qui à religione professum extrahit, qui frugi erat religioni, teneri ad restitutio-
E nem religioni damni ea de causa religioni subsequuti: vt si ille cathedram moderabatur, vnde prouentus religioni obueniebant, teneri restituere religioni, quantum prudentis arbitrio id damnum religioni illatum æstimabitur. Neque item credo eam negere *Nauarrus in Manu. c. 12. n. 44.* subscribit enim Maiori, qui illam confitetur. Probari autem potest, quoniam ille adstrictus erat religioni per vota ad parendum in omnibus iuxta regulas ac institutum eius religionis: ergo religio ius habebat præcipiendi illi omnia, quæ essent iuxta regulas ac institu-
A tum eius religionis, atque percipiendi ex illis commoditates quascunque, quæ inde euenire possent religioni, siue illæ essent bonorum externorum diuitiarum, siue honoris ac famæ religionis, siue profectus spiritualis, aut in literis, eorum qui de eadem sunt religione, & hæc omnia illi erant debita ex virtute religionis ratione votorum, quibus illi est astrictus: non minus quàm alicui ecclesiæ debeantur ea, quæ illi per votum reale sunt promissa, obligatio ad quæ soluenda transit ad hæredes promittentis, quando promittens, dum viueret, ea non soluit, vt tractatu 2 Disput. 626 est dictum, & in materia de voto dicetur, qua de causa religio ad
B illa, quæ sibi ex suo professo prouenire poterant, ius quasi ex iustitia habebat: ergo qui iniquo consilio contrauenit huic iuri religionis, in causaque est, vt is priuetur, ad quæ ita ius habebat, quæque illi prædicto modo erant debita, tenetur illi ad eorum restitutionem, non minùs quàm quicunque alius, qui suo consilio in causa sit, ne aliquis id consequatur, quod sibi quacunque alia ratione erat debitum, & ad quod ius habebat iustitiæ, tenetur illi ad illius restitutionem, vt tractatu 2 Disp. 727 comprobatum est.

Video theologos quosdam huius nostræ ætatis ab hac conclusione, tametsi non ita verbosè 4
C comprobata, recedere nõ sine specie aliqua probabilitatis, ductos hac ferè ratione: Religiosus ipse professus, qui permotus eo pessimo consilio se subtrahit à religione, nõ tenetur restituere religioni damna, quæ religioni ex eo suo iniquo ac sacrilego egressu sequuntur, quatenus religionem priuat emolumentis, quæ ex ipso erat perceptura, ad quæ religio ratione votorum, quibus professus ille ei erat astrictus, habebat ius, erantque modo explicato illi debita: ergo neque, qui eo iniquo consilio concausa fuit eius sacrilegi egressus, tenetur ad restitutionem religioni illorum eorundem damnorum. Consequentiam, licèt illi eam non pro-
D bent, possumus nos probare. Tum quia religiosus ipse professus est magis præcipua causa religioni eorum damnorum, quàm sit is, qui suo consilio fuit concausa eius iniqui egressus, eorundemque damnorum: vt enim in materia de restitutione copiosè explanatum est, exequutor damni magis præcipua causa est illius, quàm sit consulens: si ergo religiosus ipse non tenetur ea restituere religioni, multo minùs tenebitur is, qui suo consilio concausa fuit egressus illius, eorundemque damnorum. Tum etiam, quoniam, vt in eadem materia de restitutione explicatum fuit, consulens, quando non decipit eum, cui id consilium de-
E dit, quo permotus damna aliqua iniustè intulit, non tenetur ad restitutionem eorum damnorum, nisi in defectum exequutoris, qui eorundem damnorum fuit causa magis præcipua, atque si consulens in defectum exequutoris ea damna restituat, tenetur exequutor ei restituere, quod loco eius restituit: si ergo religiosus ipse non tenetur restituere religioni prædicta damna, multo minùs tenebitur ea idem religioni is restituere, qui suo prauo consilio concausa religioso illi fuit eius egressus. Antecedens verò illius suæ rationis probant autores eius sententię.

Quoniam

Quoniam religiosus ille professus nõ est per suã professionẽ religioni deuinctus velut mãcipiũ comparatione domini, cui de iustitia debẽtur opera mancipii atq; emolumenta, quæ ex eis sunt prouẽtura, sed religioni est deuinctꝰ vt filius patri: vnde Basilius in regula de prælatis ait, *Patres se agnoscãt, non dominos.* Et Augustinus in sua regula ait: *Ille autem, qui vobis præest, nõse existimet potestate dominare, sed caritate feruente felicem.* Et Paulo inferiùs, *Superiori tanquam patri obediatur.* Et Christus Lucę 22: *Principes gentium dominãtur eorũ, vos autẽ non sic.* Quia ergo religiosus professus nõ vt mãcipiũ est deuinctus religioni, sed vt filius, ea quidẽ emolumenta, quæ ex industria & operibus religiosi obueniunt ac resultãt, eo ipso quòd resultant atque obueniunt, debentur religioni ex iustitia, ita quòd non religiosus ipse, sed religio ipsa dominiũ ac ius iustitiæ ad illa acquirit: qua de causa si religiosus illa prælato non offerat, sed ipse vsurpet, furtum committit: vnde Augustinus de eo religioso ait: *Est furti iudicio condemnandus.* Cæterùm eadem emolumenta, antequam resultent ac existent, non debentur à religioso ipso religioni nisi ex obedientia atque ex virtute religionis ratione votorum, quibus religioni est traditus & astrictus; atq; adeò debẽtur religioni ex hypothesi, si resultent atque existant: quia solus religiosus est, qui per se est religionis, tanquam illi iam per vota astrictus & effectus religionis: emolumenta verò ex illo sunt religionis, si existant, solùm religio habet ius ad illa, si existant, atque quatenus præcipere & iniungere obedientia potest religioso, ratione eorundem votorum, quibus religioni est astrictus, vt ea efficiat, ex quibus emolumenta illa resultẽt & obueniant religioni. Et quia emolumenta illa non sunt à religioso debita religioni ex iustitia, neque aliter religio habet ad illa ius iustitiæ, quàm si illa existant, ab eoque religioso proueniant & emanent, inde prouenit, quòd si religiosus sacrilegè à religione egrediatur, ab eaque apostatet, licèt teneatur ad religionem regredi vi suorum votorum, non tamen teneatur restituere religioni emolumenta, quibus medio illo tempore apostasiæ religionem iniquè priuauit, estò postea habeat vnde illa restituat, vt si à summo Pontifice dispensationem obtineat vt maneat in seculo, & habeat pingue beneficium, vnde emolumenta illa medii illius temporis possit resarcire: aut si regressus ad religionem, ex dispẽsatione eiusdem summi Pontificis habeat in religione liberam dispositionem aliquorum bonorum, non tenetur inde ea emolumenta restituere religioni, quibus eam priuauit, neque vnquam aliquis id affirmauit. Qua eadem ratione, si religiosus cathedram moderetur, vnde reditus non modici obueniant monasterio, religiosusq; ille sua culpa tempore aliquo non legat, priuetque monasterium contra prælati voluntatem emolumento eius temporis, nõ tenetur illud postea restituere monasterio, estò bona sibi cõcessa habeat, de quibus libere possit disponere, & vnde emolumenta illa possit restituere, neque vllus vnquam id affirmauit.

Arbitror verò recedendum non esse à conclusione proposita. Licèt enim religiosus ipse de iustitia restituere non teneatur ea emolumẽta, quibus illam sacrilegè atq; inobedienter iniquè priuat, quia nõ cũ tãto onere censetur se religioni in Dei obsequium tradere, neque id habent, neque rationabiliter haberent ac disponerent instituta religionum, per epicheiamque legum, & quarumcunque aliarum dispositionum interpretatiuam talem, id ita est intelligendum, nihilominus, qui suo iniquo consilio permouet professum, vt religionem egrediatur, & in consequentiam vt suo egressu religionem eis emolumentis sacrilegè atque iniquè priuet, vtique causa est iniusta religioni eorum damnorum, contraueniendo iuri illi, quod religio habet, vt ea emolumenta ex suo religioso recipiat. Sicut enim si eum religiosum decipiendo suo consilio & falsis suasionibus illum extraheret à religione, causa est iniusta religioni eorundem damnorũ, teneturque proinde illa restituere religioni tãquam illorum causa iniusta, nihil impediẽte quòd religiosus ipse ad nullam restitutionem teneretur in illo eodem euentu, estò culpabiliter se decipere sineret, & peccaret ex eo consilio egrediendo, vt ii ipsi, cum quibus disputamus, affirmant, & postea dicetur: idemque esset, si per metum incussum, aut vim aliquam, quæ eum religiosum à culpa lethali eiusdem egressus minimè excusarent, eum à religione extraheret, idq; propterea quòd in vtroque euentu, qui id consilium daret, eúmve metum aut vim ad eũ egressum inferret, contraueniret iuri, quod religio illa habet, vt ex suo religioso ea emolumenta percipiat, quod ius licèt non sit iustitiæ cõparatione religiosi, est tamen longè maius, quã sit ius, quod quis habet, vt ea legata & donationes recipiat, quæ quiuis sua libera voluntate ex meraque sua liberalitate voluerit ei efficere; cui iuri si aliquis contraueniat, impediendo ne fiant ea legata aut donationes, decipiendo illa efficere volentem, aut per vim aut metum illum à proposito illa faciendi auertendo, peccat contra iustitiam aduersus eum donatarium ac legatarium, teneturque illi restituere damnum priuationis inde sequutæ eorum legatorum ac donationum, estò qui illa facere volebat ea non deberet, ad nullamque teneatur restitutionem, vt tractatu. 2. Disp. 727 cum communi doctorum sententia dictum comprobatumque est: ita sanè res habet in proposito: qui enim iniquè professo religionis egressum persuadet, contrauenit illi iuri, quod verè habet religio recipiẽdi ea emolumenta ex suo religioso, eaque contrauentio iuri illi ex parte ita consulentis, iniustitia est cõparatione religionis illius, estò ius, cui contrauenitur, non sit iustitiæ comparatione religiosi, sed sit ius ortum habens ex virtute religionis & ex obligatione votorum: sicut qui contrauenit iuri legatarii aut donatarii, vt recipiat donationem aut legatum ab eo, qui ea ex liberalitate ei facere voluerit, contra iustitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, estò ius illud non sit iustitiæ comparatione eius, qui ex liberalitate legare aut donare vult.

Ad argumentum verò in contrarium, concesso antecedẽte, neganda est consequentia. Ad primam verò consequentiæ probationem dicendum est, quòd quamuis religiosus ipse sit magis præcipua causa eorum damnorum, detrimentiue illius religionis, quàm sit is, qui egressum illi consuluit ac persuasit, nihilominus religiosus non est causa iniusta illorum, sed sacrilega solùm; consulens verò eum egressum

est

est causa iniusta eorum damnorũ, contraueniẽdo iniustè iuri illi religionis, estò ius illud nõ sit iustitiæ cõparatione religiosi illius, vt dictũ est. Vnde cõcesso antecedẽte eiº primæ probationis neganda est consequentia: quoniam causa magis præcipua eorum damnorum, seu eius detrimẽti, non est causa iniusta: qui verò egressũ & in consequentiã damna illa consuluit, est causa eorum iniusta: obligatio autem restituẽdi oritur ex solo peccato contra iustitiam, quãdo obligatio restituendi non est ex parte rei acceptæ, vt in re præsenti nõ est. Ad secundã verò probationẽ dicẽdũ est, ea omnia, quæ in illius antecedente cõtinẽtur, vera esse, quãdo vterq; cõtra iustitiã peccat cõparatione dãnorum illatorũ: nõ verò quando solus cõsulens contra iustitiã peccat, vt quando decipit exequutorẽ, ita vt exequutor ab iniustitia excusetur, aut quando quacunque alia ratione solus consulens & non exequutor contra iustitiam peccauit. Vnde concesso antecedente, quando vterque contra iustitiam peccauit, neganda est consequentia: quia in re præsente solus consulens peccat contra iustitiam.

5 Qui ergo iuxta tenorem prioris partis secundæ conclusionis proposit æin causa fuerit, vt aliquis religionẽ egrediatur, de iustitiæ rigore tenetur religioni, quantum prudentis arbitrio æstimabuntur prædicta omnia damna, vt contraria bona, ad quæ religio habebat ius, erant tunc impotentia. Autores in principio huius disputationis citati, restitutionem esse faciendam reducendo illum iterum ad religionem, vt cessent ea damna. Aut si is, qui illum extraxit, non posit id ab eo assequi, inducendo alium æquè idoneum, atque æquè vtilem religioni, qui eadem religionem non fuisset alioquin ingressurus, vt loco illius profiteatur. Quòd si neque hoc efficere possit, restituat, inquiunt, ingrediendo ac profitẽdo religionem loco extracti, vt fecit Raymundus.

6 Maior. tamen, Nauar. Sotus, & Ledesmius locis citatis, quos sequũtur hodie theologi aliqui, negant, hunc teneri ingredi religionẽ. Imò Sotus & Ledesmius, quos prædicti theologi sequũtur, inquiunt, neq; teneri quærere alium, qui loco egressi religionẽ ingrediatur. Primò, quoniã consilium religionẽ ingrediendi nemo, nisi summa cum libertate, sequi tenetur; est quippe exequutio eius consilii perdifficilis; eo quòd, qui religionem profitetur, totam suam libertatem à se in perpetuum abdicet: eaque de causa canonico iure sanctè est institutum, vt professionem antecedat annus probationis, quo ingrediens deliberet, an vires ad id sentiat: ergo in nullo euentu tenetur quis religionem inuitus ingredi: neque vllus casus seu euentus mutare potest illud Christi verbũ Matth. 19: *Si vis perfectus esse, vade, &c.* Sed semper id liberum est relinquendum voluntati ingredientis.

Secundò, nemo ad fidem, nisi voluntarius admittitur: ergo multo minùs tenetur quis inuitus sequi consilium ingrediendi religionem.

Tertiò, quoniam obligatio restituendi in foro conscientiæ non oritur, nisi quando, si id in foro exteriori constaret, in eodem exteriori foro secundũleges cogeretur is, de quo id constaret, restituere. Sũmus autem Pontifex in foro exteriori non obligaret, eum, qui alium à religione iniquè extraxisset, religionẽ loco extracti profiteri.

Quod attinet ad restituendi modũ, tertia nostra conclusio in ordine est. Qui extrahit aliquẽ à religione, ex cuius egressu religio nullo manet priuata emolumento, quia tantũ cum eo religio insumebat, quantum emolumenti ex illo percipiebat, & quia potiùs religio illum adiuuabat, quàm ab eo adiuuaretur, ita vt ex illius egressu, omnibus computatis, nullum detrimẽtum sue damnum religioni prouenit, præsertim cũ loco egressi facilè recipiat æqualem aut idoneiorẽ, qui non adeò leuis & inconstans sit in Dei obsequio, vt illud deserat, sed damnũ est solùm egredientis, tunc is ad nullam restitutionem tenetur religioni, estò extractus idoneus religioni est. Probatur, quoniam inde nullum damnum manet in religione, saltem quod non facilè resarciat ingressum alterius æquè idonei: cùm vnũquodq; cænobium alere non possit nisi certũ numerũ.

Quarta conclusio. Quando damnum permanens religioni ex ea religiosi extractione esset sequutum, teneretur, qui eum extraxit, illud integrè resarcire, saltem compensando illud aliis bonis, vel remissionem eius dãni ex religione obtinere. Quòd si vel remissionem obtineat, vel sufficienter illud resarciat reducendo egressum aut aliquid insuper compensando, si ita necesse etiam sit pro damno medii temporis, vel inducendo alium æquè vtilem ac idoneum, vel aliis suis bonis, non tenetur ipse tunc religionem ingredi. Hanc affirmant Maior. & Nauar. vbi suprà, & ex se est satis perspicua: quoniam sufficienter satisfecit damnum illatum: neque tenetur restituere suo ingressu, quod aliunde sufficienter restituit. 7

Duo admonuerim: Vnum est, si loco egressi suscipiat monasterium alium, quia habet certum numerum, quem possit alere, & propterea quòd extractus recesserit, alium recipit, tũc iuxta idoneitatem de nouo recepti, compensatum erit aliquid damni antea dati, aut totum id damnum, estò absque suasione atque industria eius, qui damnum dedit, sit hic alius receptus: quippe cùm receptus non fuisset, nisi loco egressi.

Alterum verò est, quando restitutio fieret regressu eius, qui fuerat extractus, tunc si monasterium in damno aliquo adhuc maneat medii tẽporis inter exitum & egressum, quod regressu non resarciatur, aut propter egressum damnũ aliquod maneat in futurum, quia ille non regredietur adeò vtilis; tũc eam partem damni remanentem teneri eum restituere, qui causa iniusta fuit egressus, vt est notissimum, iuxta opinionem, quam secunda conclusione sequimur.

Quinta conclusio. Quando qui prædicto modo fuit causa damni notabilis, in quo religio ob egressum sui religiosi manet, nõ potest alio modo illud resarcire, quàm suo ingressu, atque ipsius ingressu resarcietur omnino, aut magna ex parte, tunc is tenetur eam religionem ingredi, nisi religio illi remittat id damnum ei illatum. Hæc est doctorum, quos in principio huius disputationis citauimus. Probari autem potest, quoniam is tenetur restituere id damnum iniustè ab eo datum, vt conclusione 2 ostensum est: neque potest illud alia via restituere, vt supponimus, & post hac: ergo tenetur hac via illud restituere: præsertim cùm argumenta contrariæ opinionis non concludant. 8

Ad primum ergo dicendum est, antecedens esse verum, quando ille vel sua sponte vel sua culpa 9

culpa, non induxit super se obligationem illud exequendi: si autem eam obligationem super se induxit, iã tunc non tenetur illud facere vt nudũ cõsilium, sed vi obligationis ex præcepto vel restituendi, vel impediendi votum, quam super se induxit. Sicut enim si is vouisset religionis ingressum, non negabit Sotus, teneri eum ingredi religionem, nihil impediente quòd Christus, dũ de religionis ingressu intra limites cõsilii est loquutus, dixerit; *Si vis perfectus esse, vade, &c.* nihilq; ité impediente quòd ecclesia probationis annum ante professionem statuerit: ita non est cur neget, iuréve negare possit, quando sua sponte ac culpa extrahendi alium à religione super se induxit obligationem restituendi religioni grauia damna ea via iniustè ei data, neq; habet aliá viá, quæ ea restituat, nisi ingrediendo religionem, teneri eum illam ingredi, non obstante, quòd Christus vt consilium reliquerit hominibus religionem ingredi, & quòd ecclesia id de probationis anno ante professionem statuerit.

Secundum verò argumentum si quid probat, solùm profectò est, nemine extrinseca coactione esse cogendum ingredi religionem ob maiora mala, quæ sequi possent, si eo modo extrinsecè coactus religiõnẽ ingrederetur: quẽadmodum ob eandem rationem, & quia ecclesia vim cogendi in eos non habet, qui extra ecclesiam sunt, vt fidem amplectantur, ecclesiamque ingrediantur, eos ad id non cogit. Non verò id argumentum probat, illum, de quo loquimur, non teneri ingredi religionem, estò reluctanté ad id sentiat voluntatem, vt ea via id restituat; quod tenetur restituere, & quod alia via restituere non potest. Quin potiùs argumentum retorquere potest ad contrarium probandum. Sicut enim quiuis profiteri tenetur catholicam fidem, nihil impediente quòd ad id reluctantem habeat voluntatem, quoniam ad id iure diuino obligatur: ita quando aliquis sua sponte induxit super se obligationem ingrediendi religionem, quia induxit super se obligationem restituendi, quam alia via implere non potest, & ea via potest, tenetur eam ingredi, nihil impediente quòd ad id reluctantem habeat voluntatem.

Ad tertium neganda est maior. Qui enim vendidit vltra iustum pretium rigurolum, tenetur in foro conscientiæ restituere: & tamen, estò id constet ac probetur in exteriori foro, nõ cogitur in eo restituere, nisi simul probetur excessum fuisse vltra dimidium iusti pretii: nec enim multiplicentur lites, & sequantur maiora mala, neque ciuile neque canonicum ius concedere voluerunt actionem in eo euento, vt tractatu 2 in materia de emptione & vendirione dictũ est. Atque idem esse posset in re, de qua loquimur, ne si is ingredi religionem in foro exteriori cogeretur, sequerentur inde maiora mala.

10 Sexta conclusio in hac disputatione est: Qui absque rationabili ac iusta causa, vi, metu, aut deceptione, aliquem ab ingressu religionis impedit, aut iam ingressum inde extraxit, vel ante vel post professionem, aut emissa vota, tenetur ad restitutionem, tum religioni, quantum æstimabuntur emolumenta, quæ religio ex ea persona poterat percipere, vt ita erant in spe; tum etiam impedito, auferendo ab illo impedimenta, quæ ille apposuit, liberumque omnino relinquendo, vt religionem ingrediatur, aut vt ad illam regrediatur, & insuper illi resarciendo, si quod aliud damnum sit inde ei subsequutum, quod ipse per se ipsum, si velit, non possit resarcire. Prior pars, quod ad eum attinet, qui iam per professionem aut per simplicia vota religioni erat astrictus, probata est conclusione secunda, multoque dilucidior est, quãdo interuenit vis, metus, fraus, seu deceptio, illamque in hoc euentu affirmant theologi huius ætatis, qui à secunda conclusione recedunt, propter ea quæ mox subiungemus. Quod verò ad eum attinet, qui nondum religioni erat astrictus, probatur. Quoniam licèt religio nondum ius ad ea emolumenta haberet, habebat tamen ius vt illa perciperet, si aliquis sua sponte se vellet ei astringere, religiosusque in ea fieri, cui iuri cõtrauenitur iniustè in eo, quòd aliquis mẽdaciis, vi, aut metu absque rationabili causa retrahatur ab ingressu in ea religione: non secùs atque contrauenitur iuri, quod vnusquisque habet vt percipiat donationes & legata ab eo, qui ex sua liberalitate voluerit ea illi cõferre, si mendaciis, vi, aut metu ille retrahatur à collatione earum donationum aut legatorum ipsi facienda: quare sicut, qui ita iniustè impedit collationem donationum aut legatorum, tenetur ad restitutionẽ eius damni eo modo impedito sequuti, vt tractatu 2 Disp. 727 ostẽdimus: sic qui modo explicato iniustè impedit aliquem ab ingressu religionis, tenetur ad restitutionem religioni emolumentorum, quę inde esset perceptura. Posterior verò conclusionis pars ex iis liquet, quæ cõclusione prima disputationis præcedentis dicta sunt. Is enim inuoluntariè mixtè impeditur à magno eo bono spirituali, ac proinde, qui eo modo iniustè eum impedit, tenetur auferre causam iniustè impedientem, vt is id bonum possit consequi, & insuper tenetur illud restituere, si quod aliud damnum inde fuit ei sequutum.

Illud postremò est hôc loco obseruandũ, pęnã excõmunicationis ipso facto incurrendã statutã esse in concilio Tridẽtino sess. 25. c. 18 de regularibus tã cogentibus, non quoscũq;, sed mulieres, ingredi religionem, quàm impedientibus illas, volentes religionem ingredi, ab ingressu, idque his verbis: *Anathemati sancta synodus subjicit omnes & singulas personas, cuiuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos, quàm laicos, seculares vel regulares, atq; etiam qualibet dignitate fũgentes, si quomodocunque coẽgerint aliquã virginẽ, vel viduam, aut aliam quemcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendũ habitum cuiuscunq; religionis, vel ad emittendam professionem, quiq; consilium, auxilium, vel fauorem derint, quiq; scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem aũtui vel præsentiam, vel consensum, vel autoritatem interposuerint. Simili quoq; anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem vel capiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediunt.* Atque hæc dicta sint de quarto hoc de iustitia tractatu ad laudem & gloriam omnipotentes Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti, nec non intemeratæ semper virginis Deigenitricis Mariæ.

FINIS.